GAZZANIGA

ET

BERTIERI

THEOLOGIA DOGMATICA.

THEOLOGIA
DOGMATICA

IN SYSTEMA REDACTA

A FR. PETRO M. GAZZANIGA

ORDINIS PRÆDICATORUM

ET FR. IOSEPHO BERTIERI

ORD. EREM. S. AUGUSTINI

PROFESSORIBUS VINDOBONENSIBUS

IN QUATUOR TOMOS DIVISA

ADDITA IN CALCE

FRANCISCI VERONII

REGULA FIDEI CATHOLICÆ

TOMUS II.

NEAPOLI,

Apud Januarium Mirelli bibliopolam

Via dicta Quercia Num. 17.

MDCCCXXIX.

Ex Typographia in Clivulo Divi Marcellini
Num. 3.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PARS QUARTA.

De Creatione Mundi, ejusque Gubernatione.

Postquam de illis Dei attributis egimus, quae *absoluta* vocantur P. II. tum de iis, quae dicuntur *relativa*, et Divinas Personas distinguunt P. III. doctrinae ordo postulat, ut de aliis dicamus, quae ad hoc universum spectant; nempe de illius creatione, et gubernatione. Porro haec toti Trinitati communia esse, scripturae sacrae indicant, cum rerum creationem modo Patri tribuant, unde etiam in symbolo confitemur *Patrem creatorem caeli et terrae*; modo Filio, de quo dicitur Joan. I. *Omnia per ipsum facta sunt*; modo Spiritui Sancto, de quo canit Ecclesia: *Veni creator Spiritus*. Nec res potest aliter se habere, cum creatio ab illa omnipotenti virtute, et sapientia procedat, quae toti Trinitati communis est. (*) Primo autem loco rerum visibilium creationem exponemus; deinde ea, quae de Angelis scitu magis necessaria sunt; post autem pauca addemus de primo homine; ac demum de divina Providentia agentes hanc partem absolvemus.

Creatio est toti Trinitati communis.

CAPUT PRIMUM.

Deus mundum universum ex nihilo creavit.

§. I.

Creatio proprie est *productio rei ex nihilo*. Haec vel nulli omnino, vel saltem paucis veterum Philosophorum innotuit; quod jure mirari solent aliqui,

Quid sit creatio?

(*) Nonnulli sectatores Raymundi Lulli, ut cum Magistro suo defenderent, Trinitatis mysterium posse naturali ratione demonstrari, dicebant aliquid in creaturis esse, quod a solo Spiritu Sancto productum sit; quam sententiam Estius haereticam appellare non dubitavit in secundum *Sentent.* Dist. 1. §. 6.

cum ipsa ratio, ut videbimus, primam rerum productionem nonnisi per creationem fieri potuisse ostendat. Magis tamen mirandum est, eam fuisse etiam ab iis ignoratam, aut negatam, quibus supernaturale revelationis lumen affulgebat. Id de Marcione testatur Theodoretus Lib. I. *Haeretic. Fabul.* cap. 24.; idipsum refert Tertullianus de Hermogene, aliisque, quos *Materiarios* vocabat: Cerdoniani demum, Manichaei, aliique duorum principiorum assertores materiam saltem aeternam, et increatam adstruebant. Sed omnem admirationem superat, Socinianos, quamvis materiae creationem ex nihilo nobiscum confiteri profiteantur, nihilominus de ea ambigendi libertatem aliis concedere (*).

A pluribus negata.

§. II.

Creatio prob. ex S. Litteris.

Quoniam igitur creationem rerum ex nihilo non solum increduli negant, sed etiam aliqui ex iis, qui divinam admittunt Revelationem, operae pretium erit primo ex sacris Litteris, deinde naturalibus rationibus eam comprobare. Et quidem, nisi cavillari aliquis velit, decretoria sunt illa verba Moysis initio Geneseos; *In principio creavit Deus caelum et terram*, quae etiam alibi saepius repetita legimus, ut Psal. 148. *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt*. Sap. I. 14. *Creavit Deus, ut essent omnia*. Hebr. III. 4. *Qui autem omnia creavit Deus est*. Ac denique Apocal. IV. ult. *Tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt*. Porro creatio, ut Sanctus Hieronymus linguae hebraicae scientissimus observabat epist. 140. est ejus, qui *prius non erat; conditionis exordium*.

(*) Ita inter alios Volkelius in Lib. *de vera Relig.* Socinianis hac in parte adhaeret Beausobrius *in Hist. Dogm. Manichae.* Lib. 6. cap. 5. Non erit autem inutile hoc loco breviter monere, non esse facile credendum quibusdam dubiae fidei scriptoribus, qui creationem ex nihilo cum ratione pugnare contendunt, sed esse mysterium sola fide credendum, hujusmodi enim phrases in ipsorum ore nihil aliud significant, nisi puram ironiam; nempe humanae rationi esse nuntium remittendum, si Christianae fidei volumus adhaerere.

§. III.

Non inficior vocem hebraicam ברא, qua usus est Moyses, nonnunquam in sacris Litteris usurpari pro quacumque productione etiam ex praejacente materia; ut in eodem Capit. I. Genes. 21. et 27. (*) Sed ubi agitur de prima productione caeli et terrae, eandem fuisse a Moyse intellectam de productione ex nihilo, pluribus argumentis manifestum fit: nam primo eam sic intellexerunt Rabbini peritissimi, ut videre est apud R. Maimonidem in suo *More Nevochim* Par. 2. cap. 30. et R. Aben-Hezra in Comment. ad init. Gen. Secundo: in illo loco Gen. sermo est de prima productione materiae informis, quae utique ex alia materia producta non fuit; dicitur enim: *terra autem erat inanis, et vacua.* Tertio: hic locus Geneseos clarius explicatur II. Machab. VII. 28. ubi mater ita suum filium adhortabatur: *Peto, nate, ut aspicias ad caelum et terram, et ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Demum in aliis pluribus scripturae locis dicitur *omnia* a Deo facta esse, ut Joan. I. 3. et alibi, quod utique esset falsum, si prima rerum materies a Deo facta non fuisset.

Vox ברא significat productionem ex nihilo.

§. IV.

Sed quoniam plerique ex nostris adversariis solam rationem audire amant, facile est etiam ex ipsa creationem ex nihilo evidenter ita demonstrare. Quod est improductum, et a se ipso existens, debet esse

Creatio prob. rationibus.

(*) Hinc etiam aliqui observant, LXX. Interpretes illam vocem ברא vertisse ἐποίησε *fecit.* Sed S. Greg. Nyss. orat. 4. *cont. Eunom.* verbum ποιεῖν idem prorsus significare dicit ac κτίζειν *creare.* Nisi ita sit, dicendum erit, LXX. Interpretes male hunc locum vertisse, quod assere non dubitavit Procopius Gazaeus nobilis Sec. VI. scriptor in suo Comment. in Octateuchum. Nec unus hic locus est, ubi LXX. Interpretes reprehenduntur, ut videri potest apud eruditissimum P. Gabr. Fabricy in tomo I. *Des titres primitifs de la revel.* pag. 138. et seq. Ceterum cum non in hoc solum loco, sec alibi frequenter creationis ex nihilo mentionem faciant sacrae Litterae, apparet, quantum aberraverit Simon Episcopius, dum Lib. 4. *Instit.* sect. 1. cap. 14. dixit, *nusquam in terminis, aut sine controversia asseri in Scripturis, materiam ex nihilo factam.*

omnino necessarium et omni perfectionum genere cumulatissimum. Si enim contingens est ab alia causa dependet, ut sit, vel non sit; et si a seipso est, nullos habere potest perfectionum limites, quemadmodum enim a nulla causa dependet, ut sit, ita a nulla causa coarctari potest ad certos, et determinatos perfectionum gradus, ut majores non habeat. Jam vero quis asserere audeat, aut mundum universum, aut varia, quae in eo sunt, rerum genera, aut primam omnium materiam, esse ita necessaria, ut ne fingere quidem possimus, ea non existere? vel quis dicet, ea esse ita perfecta, ut nulla ipsis fieri possit perfectionis accessio? cum potius contra videamus et multas in omnibus esse imperfectiones, et illas ipsas paucas, et tenues perfectiones, quae mundo conveniunt, ita convenire, ut ab eo sejungi possint: non igitur mundus, vel materia a se esse potuerunt; sed ab alia causa produci debuerunt, et ne procedatur in infinitum, eo tandem deveniendum erit, ut dicatur, fuisse ex nihilo extracta.

§. V.

Magis confirmatur.

Quod magis etiam apparebit, si consideremus, materiam hujus universi utut mole immanem, habere tamen suos magnitudinis fines, determinatam figuram, certum locum et situm. At vero si materia esset aeterna, increata, et a se, quis illi extensionis limites posuit? Quis figuram constituit? Quis determinavit illi locum, et situm? Cur non alia, et quidem omnia spatia possibilia sua immensitate occupavit? Cur ubique, et perfecte homogenea non fuit? Quis demum ipsi certam motus quantitatem impressit? Et quis hunc motum certis legibus adstrinxit? Haec, et multo plura id genus intelligi facile possnnt, posita materiae creatione ex nihilo; intelligi autem nullo modo possunt ea sublata.

§. VI.

Creatio est fidei catholicae dogma.

Neque haec creatio ex nihilo opinio tantum Theologorum, aut Philosophorum est, sed certissimum religionis nostrae dogma; quod profitemur in symbolo iis verbis: *Credo in Deum creatorem coeli, et terrae*: quibus Concilium Constantinop. I. haec alia addidit: *Visibilium, et invisibilium*. Et in Concilio Lateran. IV. an. 1215. in cap. *Firmiter* expresse definitum fuit: *Deum esse unum universo-*

rum principium, Creatorem omnium visibilium, et invisibilium, spiritualium, et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam.

§. VII.

Solvitur objectio ex Scriptura.

Pauca sunt, quae hujc dogmati ex sacris Litteris opponantur, nec magnam continet difficultatem; ut est illud Sap. XI. 18. Deus *creavit orbem terrarum ex materia invisa*, vel ut habet graecus fons ἀμόρφȣ, *informi*. Id enim nihil aliud significat, nisi materiam, cum primo a Deo fuit ex nihilo extracta, fuisse informem, post autem ad concinnam, et pulcherrimam hanc formam redactam. Porro ut S. Augustinus Lib. I. *de Gen. contra Manichaeos* cap. 6., observabat, *Deus rectissime creditur, omnia de nihilo fecisse; quia etsi omnia formata de ista materia facta sunt, haec ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est.*

§. VIII.

Athenagoras non admisit materiam increatam.

Nullo autem modo ferendi sunt nonnulli recentiores, qui vel ipsos Patres accusare non verentur, quasi materiam aeternam, et increatam admiserint. Solent autem hanc calumniam primo impingere Athenagorae, quod in *Legat. pro Christ.* Deum comparavit figulo in formatione hujus universi; unde etiam hoc generale principium statuit: *Opus est et materiae opifex, et materia opifici*; quo non obscure innui contendunt, Deum non creasse materiam, sed illa indiguisse, ut mundum formaret. Verum quis sibi persuadeat, Athenagoram, vel alios veteres Patres in hanc amentiam incidisse, quae non solum revelationi, sed naturali etiam lumini plane repugnat? Quis potius non miretur, hanc calumniam appingi Athenagorae, qui in ipsa eadem *Legatione* hoc ponit summum discrimen Deum inter, et materiam, quod Deus sit *ingenitus*, haec autem *genita*, seu facta? Quod si postea non adeo luculenter scribit, materiam a Deo esse factam, sed utens similitudine figuli solum dicit, ex ea Deum mundum formasse, id fecisse videtur, ut se, quoad fieri poterat, Ethnicorum phrasibus accommodaret; quoniam vel ex hoc uno, quod illi non inficiabantur, mundum a Deo esse formatum, recte colligebat, Deum

solum esse colendum, cetera autem omnia, quae a Deo facta sunt, esse nostro cultu indigna.

§. IX.

Nec Clemens Alexandr.

Nec minus facile est eamdem calumniam a Clemente Alexandrino depellere, quem negatae creationis materiae propterea accusant, quia in Lib. 5. *Strom.* opinionem Heracliti refert, nec refellit de duobus mundis, quorum unus sempiternus ponitur, et a nemine conditus, quo nomine Heraclitus materiam intelligebat. Neque enim ex hoc colligere licet, a Clemente fuisse hunc Heracliti errorem adoptatum, quia illum ibidem non refellit, cum id ad ejus institutum minime pertineret, quod erat tantummodo ostendere, pleraque a Philosophis Ethnicis fuisse ex nostris sacris libris depromta, quale illud erat Heracliti, mundum hunc visibilem esse aliquando per ignem conflagrandum, qua occasione, ut totam Heracliti sententiam exponat, meminit etiam alterius mundi, quem Heraclitus nec creatum, nec corruptibilem adstruebat. Ceterum et plures alias veterum opiniones refert ibidem, et alibi Alexandr. Philosophus erroneas, et absurdas, quas licet non refellat, nemo tamen eum probasse verosimile putet. Neque movere nos debet, quod Photius in *Biblioth.* cod. 109. monet, hunc errorem materiae increatae reperiri in Clementis *Hypotyposibus*, certum enim est, hoc Clementis opus jam ante Photium fuisse ab haereticis foede corruptum, et depravatum. Hunc autem errorem non fuisse repertum in *Hypotyposibus* genuinis, ex eo conjicere possumus, quod Eusebius in sua *Hist. Eccl.* earundem non semel cum laude mentionem fecerit.

§. X.

Rousseauvius castigatur.

Paucis hic castiganda est Jo. Jac. Rousseauvii impudentia, qui in scurrili sua Epist. ad Archiep. Paris. scribere ausus est, Justinum, Origenem, aliosque plures Ecclesiae Patres materiam increatam credidisse. Sane ut plura Justini loca omittam, *in cohort. ad gentes* errorem materiae increatae, quem Platoni tribuit, hac invicta ratione refellit: *Materiae vim utpote ingenitam, et ut ipse opinatur Plato, aequalem opifici, et coaevam reluctari par est ipsius voluntati. Ei enim, qui non creavit, nulla*

Et vindicatur Justinus.

est in id, quod est increatum, potestas: unde nec vis ulla ei inferri potest, cum ab omni externa necessitate libera sit.

§. XI.

Quam falso etiam absurdus hic error Origeni tribuatur vel ex solo cap. 3. ejus Lib. 1. *de Principiis* liquido apparet, ubi totus est, ut nonnisi unicum rerum omnium principium statuat, nempe Deum. Lib. autem 2. cap. 1. jure miratur, Anaxagoram, Pythagoram, et Stoicos, summos alioquin Philosophos in eam amentiam fuisse delapsos, *ut ingenitam, id est, non ab ipso Deo factam conditore omnium, materiam putaverint* (*) Atque Origenes.

§. XII.

Graviores contra creationem ex nihilo difficultates proposuit acutissimus Baelius. Torqueat se, inquit, quantum vult humana ratio, nullam poterit sibi ideam efformare creationis ex nihilo: immo haec e diametro pugnat cum illo principio *ex nihilo nihil fit*. Quamobrem nec in mentem venit ullius ex antiquis Philosophis, quibus plane impossibilis videbatur: unde illud Ciceronis Lib. 2. *de Divinit*. Cap. 16. *Eritne aliquid, quod ex nihilo oriatur, aut in nihilum occidat? quis hoc Physicus dixit unquam?* Objectio Baelii.

§. XIII.

Baelio non inviti fatebimur, nullam sensibilem, et phantasticam creationis ideam efformari posse, qualem in generationibus habemus, quae ex praeexistente subjecto fiunt: negabimus tamen, intelligi non posse, primam rerum productionem factam esse ex nihilo, cum ipsa ratio doceat, non posse in productionibus rerum in infinitum procedi, et tandem deveniendum esse ad aliquam primam productionem, quae ex nihilo facta sit. Illud autem commune prin- Solvitur.

(*) De Justini, et Athenagorae mente, quantum attinet ad materiae creationem, dignus est, qui legatur Prudent. Maran. *in Praefat. operum S. Justini* Part. 2. Cap. 2.: et contra Rousseauvium solide juxta, ac eleganter plura scripsit P. Antoninus Valsecchi *de fundam. Relig.* Lib. 3. Cap. 3.

cipium *ex nihilo nihil fit*, verum est, si recte intelligatur, nempe nihil fieri ex nihilo tamquam ex principio, vel subjecto: falsum est autem, si ea ratione intelligatur, qua Deus omnipotens effecit, ut ea, quae antea non erant, inciperent esse. Quod si Philosophi gentiles obtenebratum habentes intellectum, id non viderunt (de qua tamen re acris est inter eruditos disputatio) non propterea sequitur falsum esse, nam plura alia sunt ab ipsis ignorata, quae ratio nostra revelationis lumine confortata postea feliciter adinvenit. Ceterum creationem lumine naturali cognosci posse octo plane argumentis ostendit eruditus Bened. Pererius *de commun. principiis* Lib. 5. cap. 7.

§. XIV.

Magis explicatur responsio.

In eo etiam corrigenda est nostra imaginatio, quo nihilum concipimus quasi terminum, vel extremum aliquod, perinde, ac si creatio esset duorum extremorum nihili, et entis unio: vel quasi superanda esset distantia infinita inter nihilum, et ens. Haec falsa imaginatio ex eo oritur, quod creationem concipimus quasi mutationem rei de non esse ad esse, quod tamen falsum est; nam mutatio exigit aliquod subjectum transiens de uno termino ad alium. Creatio igitur melius explicatur exemplo temporis, puta cum de mane fit meridies, non quasi transeat in meridiem, aut fiat duorum extremorum unio, seu solum quia meridies succedit matutino tempori: ita etiam in creatione esse rei succedit nihilo.

§. XV.

Alia cavillatio Baelii.

Cavillatur hic subtiliter Batavus Philosophus. Si Deus mundum vel materiam ex nihilo creasset, vel id fecisset ab aeterno, vel non ab aeterno. Primum a plerisque impossibile reputatur; alterum etiam manifestam involvit contradictionem. Si enim Deus mundum condidit et non ab aeterno, debemus fateri, decretum creandi mundum tota aeternitate praecessisse ejusdem creationem, in quo duo ἀσύστατα inveniuntur. Primum quod in aeternitate aliquid prius ponatur, aliud posterius, quod notioni aeternitatis repugnat: secundum quod tota aeternitas pertransierit, antequam mundus conderetur.

§. XVI.

Mirum est tamen acutissimum Baelium non vidisse iisdem difficultatibus premi, qui fingunt, materiam informem extitisse a tota aeternitate, ex ea autem postea nescio quomodo hanc pulcherrimam mundi faciem prodiisse. Qui autem mundum, qualis nunc est, ab aeterno extitisse comminiscuntur, in seq. cap. refellentur. Ut autem propositis a Baelio difficultatibus satisfiat, omnino dicendum est, mundum non fuisse ab aeterno creatum, et decretum creationis creationem ipsam praecessisse, non tempore aliquo, quod in aeternitate nullum est, sed pro nostro concipiendi modulo; nihil enim prohibet, quin etiam in aeternitate omnino simplici duo veluti puncta fingamus, alterum, quo Deus voluit creare mundum, alterum, quo reipsa creavit. Verius autem dicetur, Deum a tota aeternitate voluisse ut mundus existeret, non tamen in ipsa aeternitate, sed in tempore, vel potius cum ipso tempore. Confer S. Thomam Lib. 2. contra Gentiles c. 31. et seq. Quamquam fatendum est, has, et multas id genus difficultates numquam plene, et omnino enodari posse, quia nullam claram distinctamque aeternitatis notionem habemus; quamobrem S. Paulus Hebr. XI. 3. inquiebat: *Fide intelligimus aptatā esse secula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*: haec tamen obscuritas non impedit, quin creationis possibilitatem, et existentiam perspicue videamus, cum solummodo modus, quo facta est tenebris involvatur. Atque hic locum habet illud sapientissimum S. Augustini monitum Lib. 12. *de civit. Dei* cap. 15. *Has argumentationes, si ratio refutare non posset, fides irridere deberet* (*). **Enodatur.**

Scholion. Demonstrata rerum, quae in mundo sunt, prima origine ex creatione, funditus corruit

---

(*) Inter multos, qui de creatione rerum ex nihilo scripserunt, legi meretur erudita, et acuta juxta ac solida dissert. P. Vinc. Thomae Moniglia *contra Materialistas*, P. Bened. Pererius *de commun. principiis*, atque imprimis S. Thoma in Lib. 2. *contra Gentiles* cap. 15. et seq.

Atheismus, ut res per se ipsa loquitur. Patet etiam infinita Dei virtus, et potentia, qua ex nihilo haec omnia extraxit; tum infinita ejusdem sapientia, qua innumera rerum genera tam apte, et concinne formare novit, et cetera item divina attributa, ut verissime dixerit Apostolus Rom. I. 20. *Invisibilia* (Dei) *per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Et quidem ut observabat S. Basilius in Ps. 32. explicans ea verba: *Omnia opera ejus in fide*, non solum divinam omnipotentiam, et sapientiam in immanibus hujus universi corporibus, ut sunt sidera, planetae, tellus etc., sed etiam in minimis rebus admirari debemus: *qui enim coelum expandit, et immensam pelagi vastitatem effudit; ille ipse est, qui tenuissimum etiam apum aculeum veluti fistulam excavavit, ut per id virus effundatur.*

CAPUT II.

Ostenditur, mundum non fuisse creatum ab aeterno.

§. XVII.

Recensentur erroris hujus patroni.

Inter Veterum deliria a recentioribus pseudo-Philosophis renovata numerari potest etiam mundi aeternitas, quam utut inintelligibilem aliqui credere malunt, potius quam narrationi Mosaicae de rerum omnium genesi fidem adhibere. Negari tamen non potest etiam inter eos, qui Scripturas sacras ut Verbum Dei venerari se profitebantur, hunc errorem aliquando regnasse (*). Operae igitur pretium erit,

(*) Hujus erroris accusantur a Censorino in Tract. *de die natali* Pythagoras, Ocellus Lucanus, Architas Tarentinus, Plato, Xenocrates, et Dicaearchus: potissimum autem hic error tribuitur veteribus Peripateticis duce Aristotele, quamquam non desunt, qui Aristotelem excusent. Inter Christianos hoc errore deceptos maxime eminere dicitur Origenes, de quo consuli potest Huetius in *Origenianis* Lib.

primo ex Scripturis sacris, deinde ex ratione eum explodere.

§. XVIII.

Confutatur aeternitas mundi ex scriptura.

Et quidem Moyses, cum mundi creationem spatio sex dierum factam esse dicit, manifesto innuit, eam non in aeternitate, sed in tempore factam esse (*). Praeterea Proverb. VIII. 22. ita divina Sapientia loquitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*; et iterum 26. *Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terrae: quando praeparabat coelos, aderam.* Psalmo item CI. *Initio tu Domine terram fundasti.* Accedunt etiam testimonia N. T. Nam Christus Jo. XVII. 5. ita Patrem orabat: *Clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Ac denique Eph. I. 4. Paulus dicit nos electos fuisse in Christo *ante mundi constitutionem*.

§. XIX.

Creatio mundi in tempore dogma fidei est.

His animadversis S. Thomas I. P. Qu. 46. art. 2., et Qu. 61. art. 2. asserere non dubitavit dogma fidei esse, mundum non ab aeterno, sed initio temporis creatum fuisse: quod etiam innuit Synodus Lateran. verbis supra §. 6. allegatis. Et quamquam haec omnia solum de mundo, prout nunc est, intelligi posse videantur, minime tamen ambigendum

---

2. quaest 12. Recentiorum autem pseudo-Philosophorum hac de re somnia collegit auctor pestilentis libelli *de l'éternité du monde*, qui Boullangerus creditur, multorum aliorum id genus impiorum operum parens. Ceterum novitatem hujus mundi plures etiam ethnici Philosophi cognoverunt, qui tamen fidei lumine destituti materiam aeternam fuisse constituebant, et plures comminiscebantur ejus vicissitudines, et revolutiones, mundique hujus ortus, et interitus, vel ex inevitabili fato, ut Stoicis placebat, vel ex fortuito atomorum concursu, ut Epicurei fabulabantur. Legatur si lubet Macrobius Lib. 2. in *Somnium Scipionis*, cap. 10.

(*) Non hic agitamus celebrem illam quaestionem, an nomine *principii*, quo Moyses suam narrationem exorditur, initium temporum, an vero Verbum divinum intelligi debeat. Eam curiose pertractat Nat. Alexander in *Hist. Vet. Test.* dissert. I. art. 1.

est, etiam materiam, ex qua mundus constat, fuisse initio temporis, et non ab aeterno creatam. 1. Enim id significatur iis verbis Geneseos I. *In principio creavit Deus coelum et terram, terra autem erat inanis, et vacua*; id est materia informis. Ulterius non apparet, cur Deus voluerit materiam ab aeterno creare, ut ex ea postea initio temporis mundum formaret. Demum pondus quoque habere debet concors Patrum sententia, qui nomine terrae vacuae, et inanis rudem, indigestamque molem, seu chaos intelligunt.

§. XX.

Rationi etiam consentanea.

Quantum ad rationes, sunt qui putant, mundi aeternitatem plane repugnare, et multa ad id comprobandum momenta afferunt (*). Sed S. Thomas Lib. 2. *contra Gent.* cap. 38. bene pro more suo observat, hujusmodi momentis non esse admodum innitendum, ne videatur fides catholica quasi vacillare, quia probabilia quidem sunt, non autem omnino demonstrativa. Omissa igitur ea quaestione, an possibilis sit aeternitas mundi, satis est ostendere, eum ab aeterno reipsa non fuisse. Inter ea autem, quae afferri solent, illud maxime mundi novitatem probare videtur, quod omnia historiae monumenta, quaecumque ab eruditis et diligentissimis antiquitatis inquisitoribus colligi potuerunt, sunt temporibus Noachicis posteriora, si unum excipias Librum Geneseos a Moyse conscriptum, qui mundi originem nobis exhibet circiter bis mille annis diluvio superiorem. Neque vero ullus est inter cordatos viros, qui decantatis Ægyptiorum, aut Sinensium antiquitatibus fidem adhibeat, ac demonstratum a pluribus fuit,

(*) Haec sententia magnos habet tam ex Theologis, quam ex Philosophis patronos. Immo eam pro certa habuisse videntur Patres Sec. IV. qui Arium impugnantes, Verbum esse Deum inde colligebant, quia ab aeterno fuit, et ipsa Synodus Nicaena ita contra eosdem Arianos definiebat: *Quicumque dicit Filium esse creaturam, dicit eum coepisse.* De hanc quaestione praeter Estium in Lib. 2. Sent. Dist. 1. §. 11., et multos Scholasticos consuli possunt Petavius Lib. 3. *de Deo* cap. 6. François *Preuves de la Religion* P. 2.

imprimis autem a Frereto, vera Sinensium monumenta ad Noe aetatem minime pervenire, et de hoc argumento dignus est qui legatur Jaquelotius Dissert. 1. *de existentia Dei* cap. 4. et sequ.

§. XXI.

Objectiones pro mundi aeternitate.

Nimis longus essem, si omnia afferre vellem, quae ad tuendam mundi aeternitatem novi, veteresque Philosophi excogitarunt; (*) paucis contenti erimus. Vel Deus, inquiunt, voluit ab aeterno mundum creare, et non potuit, vel potuit, et noluit; si primum; non est omnipotens: si secundum, est invidus, quod utrumque Deo repugnat. Addunt, intelligi non posse Deum tam sero huic operi manum admovisse, et tota retro aeternitate quasi otiatum fuisse. Tertio sequeretur, Deum antequam mundum crearet, non potuisse vocari *Dominum*, adeoque novum ei titulum accessisse, quo tota aeternitate carebat. Accedit demum et illud Eccles. I. 10.: *Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: ecce hoc recens est; jam enim praecessit in seculis, quae fuerunt ante nos.*

§. XXII.

Solvitur prima.

Quantum ad primam spectat difficultatem, omissa illa quaestione, quae inter Theologos adhuc viget, an scilicet Deus potuerit mundum ab aeterno creare; (*) sine dubio Deus voluit, ut mundus in

---

(*) Videri possunt apud S. Thomam 1. P. Qu. 46. art. 1., tum Lib. 2. *contra Gent.* cap. 32. et sequ. Quaest. item 3. *de Pot.* art. 17., ac demum in 2. *sentent.* Dist. 1. Qu. 1. art. 5.; et apud Ben. Pererium Lib. 15. *de commun. rerum omnium Principiis.*

(**) Aliqui ut Greg. Arimin., affirmantem sententiam libere tuentur, cum nihil repugnare ipsis videatur mundum ab aeterno existere potuisse. Alii excipiunt animas rationales; quia cum istae immortales sint, existerent modo animae numero infinitae, quod fieri non posse S. Thomas ostendit 1. P. Qu. 7. art. 4. Tertia opinio est Cajetani et aliorum, qui materiam, et res permanentes ab aeterno creari potuisse concedunt, non autem quae motu, et successione generantur. Postrema opinio valde multorum censet, nil aeternum esse posse praeter Deum, et creationem ex nihilo cum aeternitate pugnare, de qua videri possunt auctores in (*) super. citati.

tempore vel potius cum tempore, et non in aeternitate existeret. Nec propterea invidiae accusari potest; cum non propter nos, sed *propter semetipsum omnia operatus sit.* Prov. XVI. 4. Alteram difficultatem ita solvit Arnobius Lib. 1. *adv. Gentes*: *In infinitis perpetuis seculis nihil omnino dicendum est serum, ubi enim finis et initium nullum est, nihil praematurum est, nihil tardum.* Et sicut quando mundum creavit, Deum laboriosum fingere non licet, ita antequam crearet, otiosus dici non potest. Ut enim S. Augustinus Lib. 13. *de civit. Dei* cap. 17. inquiebat: *Fas non est credere, aliter Deum affici cum vacat, aliter cum operatur . . . non itaque in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia; sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria.* Quantum autem ad titulum *Domini* observat S. Thomas Qu. 3. *de Pot.* art. 17. ad 2. potuisse Deum vocari *Dominum* a tota aeternitate propter ipsius omnipotentiam, et voluntatem, qua poterat, et decreverat mundum creare. Verba demum Ecclesiastae communiter intelliguntur non de mundi aeternitate, sed de finita hac rerum revolutione, in qua omnia fere eodem modo recurrunt tam in ordine physico, quam morali. Quamvis teste S. Augustino Lib. 12. *de civit. Dei* cap. 13. *haec verba quidam sic intellexerint, tanquam in praedestinatione Dei jam facta fuisse omnia Sapiens ille voluisset intelligi; et ideo nihil esse recens sub sole.*

Solvitur secunda. **Solvitur tertia.** **Solvitur postrema.**

§. XXIII.

Solvitur alia objectio.

Idem S. Augustinus Lib. 12. *de civit. Dei* cap. 17. aliam difficultatem solvit ex eo desumtam, quod si Deus mundum ab aeterno non creavit, mutatus videri possit, inquiens, Deum *una, eademque sempiterna, et immutabili voluntate res quas condidit, et ut prius non essent egisse, quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse caeperunt: hinc eis, qui talia videre possunt, mirabiliter ostendens, quam non eis indiguerit, sed eas gratuita voluntate condiderit, cum sine illis ex aeternitate initio carente in non minore beatitate permansit.* Et S. Thomas magistri sui Augustini vestigia sequens Lib. 1. *contra Gen.* cap. 38.

ostendit, conveniens fuisse, ut nihil ab aeterno cum Deo existeret; tum quia ex hoc manifeste apparet, res a seipsis non existere, tum quia apparet etiam, Deum non ex necessitate, sed liberrime hunc mundum creasse.

CAPUT III.

Quis Dei scopus et ordo in creatione hujus mundi.

§. XXIV.

Primus creationis finis manifestatio divinae bonitatis.

Postquam de causa hujus mundi efficiente egimus, pauca modo dicenda sunt de ejusdem causa finali. Et quamquam S. Augustinus Lib. I. de Genesi *contra Manichaeos* cap. 2. interrogantibus, *quare fecit Deus caelum et terram?* respondendum esse dicat: *quia voluit*, et rursum sciscitantibus, *quare voluit?* reponat, *compescendam esse humanam temeritatem*; alibi etiam quam saepissime docet, causam creandi mundum Deo fuisse suam bonitatem, quam communicare, et manifestare creaturis voluit; unde etiam illud intelligitur Proverb. XVI. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*: non quod istis indigeret Deus ad suam felicitatem, sed quod ex mera sua bonitate vellet aliis suas perfectiones communicare. Quibus consideratis recte infert S. Thomas 1. P. Qu. 44. art. 4. ad 1. *Deum solum esse maxime liberalem, quia non agit propter suam utilitatem, sed solum propter suam bonitatem*. Et hic est finis praecipuus, cur Deus mundum condiderit.

§. XXV.

Alii Dei fines.

Cum hoc tamen non pugnat, quin etiam alios Dei fines concipiamus in condendis peculiaribus creaturis, quarum aliquae subduntur aliis, et omnes simul mira concinnitate, ac varietate dispositae, pulcherrimam mundi faciem constituunt. Maxime autem voluit, ut ex hac rerum omnium pulchritudine creaturae rationales ad considerandam, et laudandam Dei bonitatem assurgerent; unde finem Creatoris foede pervertunt, qui creaturis inserviunt Creatore

deserto. Creatura, inquiebat S. Augustinus Lib. 15. *de civit. Dei* cap. 22. *et bene potest amari, et male: bene, scilicet ordine custodito; male, ordine perturbato.* Et alibi saepe omnem cordis humani perversitatem in eo reponit, quod utendis fruatur, et utatur fruendis; nempe, ut explicat in eodem opere Lib. 11. cap. 25. *Ea re frui dicimur, quae nos non ad aliud referendo per seipsam delectat, uti vero ea re, quam propter aliud quaerimus:* unde (concludit S. P.) *temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur aeternis* (*). Hactenus de scopo, nunc pauca de ordine creationis.

Creaturis utendum, non fruendum.

§. XXVI.

Creationis ordo.

Postquam Moyses rerum Genesim describens dixisset, creatum fuisse coelum, et terram, subdit, terram fuisse *inanem, et vacuam*, ex quibus verbis communiter creditur a sanctis Patribus, et interpretibus, informitatem materiae praecessisse ejus formationi; quod ulterius Moyses insinuat, cum opera Dei distinctis sex diebus exponere pergit. Porro hoc ipsum videtur antiqua traditione etiam Ethnicis innotuisse; unde illud chaos, quod Hesiodus *in Theogonia*, Apollonius *in Argonautis*, Aristophanes *in avibus*, Lucianus *in Philopatride*, et praecipue Ovidius initio *Metamorph.* commemorarunt.

Materia primum creata.

§. XXVII.

Nec aliter sensit Augustinus.

Neque his contrarius est S. Augustinus, qui saepius docet, materiae informitatem non tempore, sed natura tantum fuisse ejus formatione priorem; sicuti cum aliquis loquitur, vox praecedit verba, non temporis, sed naturae ordine; ut enim S. Patris mentem fidelis ejus discipulus S. Thomas exponit 1. P. Q. 66. art. 1. Augustinus accipit informitatem materiae pro carentia omnis formae, quo certe modo impossibile erat creari materiam, non autem pro

---

(*) De hac distinctione inter *uti*, et *frui*, quae scholastica non est, consuli possunt idem S. Pater Augustinus in Lib. I. *de doctrina christiana*, et Guil. Estius initio *comment.* in Lib. 1.

carentia formae illius adspectabilis, et ordinatae, ad quam postea redacta est; quod S. Doctor aperte insinuat Lib. 1. *de Genesi contra Manichaeos* cap. 6.

CAPUT IV.

De opere sex dierum.

§. XXVIII.

Initium creationis rerum factum est a coelo, et terra; initium autem primae diei a luce, quam Deus creavit, et divisit a tenebris; sive haec lux fuerit aliqua nubes lucida instar illius, quae castra Israelis illuminabat Exodi XIV. 20.; sive sol imperfectus adhuc, et informis, ut aliqui interpretes sentiunt. Et quidem ut S. Basilius observat Homilia 2. *in Hexaem.* creatio lucis alia opera praecedere debebat, quia per lucem omnia manifestantur. Hinc prima dies, quae nocti, qua coelum, et terra operiebatur, successit; vel ut communior fortasse est opinio, initium primae diei factum est a lucis creatione, cui successit nox. Et quamvis nondum esset procreatus sol, cujus cursu dies formaretur; imaginari tamen possumus, eam lucem primo a Deo creatam instar solis in orbem agitatam 24. horarum spatio terrae ambitum ita perlustrasse, ut dies, et nox haberetur (*). Praetermittendum tamen non est, lucis nomine ab aliquibus sanctis Patribus, atque imprimis a S. Augustino fuisse Angelos intellectos, vel quando primo creati sunt, vel quando fuerunt gratia exornati; qua de re consuli potest Nat. Alexander de prima *mundi aetate* art. 2. prop. 3. Opus primae diei.

§. XXIX.

Haud levem difficultatem ingerit opus secundae diei, quod Moyses his verbis describit: *Dixit quoque Deus. Fiat firmamentum in medio aquarum,* Opus secundae diei.

(*) An prima dies a nocte inceperit, an vero a mane disputant Interpretes; et videri possunt Petavius *de opif. sex dierum* lib. 1. cap. 8. et Estius in lib. 2. *Sentent.* §. 5.

et dividat aquas ab aquis : et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quae erant sub firmamento ab his, quae erant super firmamentum . . . vocavitque Deus firmamentum coelum. Potissima difficultas est, quid nomine firmamenti, quod hebraicus textus vocat רקיע *Rachyah* intelligi debeat; sunt enim, qui ipsum caelum intelligant, cujus Moyses in vers. primo mentionem fecerat dicens: *In principio creavit Deus coelum, et terram*; atque adeo opus secundae diei nihil aliud esse volunt, quam coeli prius informis ornatum, rectamque dispositionem. Ita inter alios Chrysostomus Hom. 4. in Genesim. Alii vero nomine firmamenti, quod hebraicus textus *expansionem* appellat, intelligunt totam hanc aeris intercapedinem, quae terram circumambit, quaeque haud raro in sacris Litteris dicitur coelum, ut in Psalm. CXLVI. *Qui operit coelum nubibus*, et quando vocantur volucres coeli: quae appellatio coeli etiam profanis auctoribus communis est. Huic sententiae adhaeret praecipue S. Hieronymus Epist. 69. *ad Oceanum.*

Quid nomine firmamenti intelligatur?

§. XXX.

Quid nomine aquarum, quae supra firmamentum sunt?

Qui primam sententiam adoptant, valde laborant, ut explicent, quomodo aquae remanserint supra firmamentum, id est supra coelum; quomodo propria gravitate non ruant; et cui usui inserviant. Neque enim fas est cum Origene aquarum nomine intelligere Angelos, seu virtutes coelestes; hanc enim allegoricam interpretationem S. Augustinus Lib. 2. *de Genesi ad litteram* cap. 4. et S. Epiphanius *in epist. ad Joan. Episc. Jerosolym.* aperte explodunt. Qui vero nomine firmamenti aeream regionem intelligunt, multo facilius explicant hanc divisionem aquarum; per aquas enim, quae super firmamentum manent, intelligunt nubes, quae constant ex vaporibus aqueis sursum elevatis. Plura de hac re suppeditat Estius in Lib. 2. *Sentent.* Dist. 14. §. 1.

§. XXXI.

Aliquid notatu dignum.

Hic breviter notandum est, in hebraeo fonte, quemadmodum etiam in versionibus Aquilae, Symmachi, Theodotionis, ac in nostra Vulgata, operi secundae diei adjectam non esse illam clausulam :

Et vidit Deus, *quod esset bonum*, quae additur operibus aliarum dierum, quamvis apud LXX. Interpretes legatur, quos secuti sunt Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, et Augustinus. Hujus omissionis variae allegantur rationes, sed illa fortasse verisimilior, quod opus secundae diei non absolvatur nisi sequentibus verbis: *Dixit vero Deus: Congregentur aquae, quae sub coelo sunt, in locum unum, et appareat arida. Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria, et vidit Deus, quod esset bonum.* Quamobrem opus diei tertiae a verbis subsequentibus inchoandum erit: *Et ait: Germinet terra* etc. Ita inter alios R. Abenhezra.

§. XXXII.

Haec quidem probabiliter dicta sunt, non autem omnino certe; non desunt enim bene multi Patres, et Interpretes, qui diei tertiae duplex Dei opus assignant, quorum primum fuit, aquas, quae totum terrae globum circumambiebant, in unum locum congregare, qui postea mare dictus est, hebraice autem מקוה *mikveh*, hoc est, *cavum*, seu conceptaculum. Hoc autem non ita intelligendum est, quasi omnes aquae in unum tantummodo locum confluerint, sed *distributive*, scilicet quaelibet in suum locum; unde apposite Deus plurali numero *congregationes aquarum appellavit maria.* Nomine vero maris hic intelliguntur etiam lacus, immo et paludes, quod multa eruditione ostendit Mazochius *in Spicilegio Biblico* ad hunc locum. Aliud hujus diei opus describit Moyses his verbis: *Et ait: Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.* Quae verba S. Augustinus Lib. 5. *de Genes. ad litt.* cap. 4. ita explicat, ut causaliter duntaxat dictum sit, *produxisse terram herbam, et lignum, id est producendi accepisse virtutem.* Alii tamen Patres communius asserunt, herbas, et arbores tertia die fuisse actu productas; quod etiam magis consentaneum videtur Mosaicae narrationi, quae ita pergit: *Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus*

Opus tertiae diei.

suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam.

§. XXXIII.

Opus quartae diei.

De opere quartae diei ferenda non videtur sententia Cajetani, Catharini, Steuchi Eugubini, et aliorum paucorum, qui ea verba Moysis: *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti, et stellas, et posuit eas in firmamento coeli, ut lucerent super terram*, etc. ita explicant: ut haec omnia corpora luminosa prima die formata esse velint, manifestam narrationi Mosaicae vim inferentes; tum etiam SS. Patribus, qui litteraliter divinum textum uno ferme ore accipiunt. Unum est, quod aliquam explicationem postulare videtur; scilicet quod dicit Moyses, haec corpora luminosa fuisse posita in coelo, *ut praeessent diei, ac nocti, et dividerent lucem, ac tenebras*; cum tamen ista divisio prius jam facta esset; quae difficultas facillime tollitur observando, hanc divisionem factam prius fuisse per lucem in orbem agitatam, ut supra explicuimus §. 28. post autem per solem, lunam, et stellas.

§. XXXIV.

Falsa quorumdam interpretatio vers. quarti.

Breviter etiam exponendus est sensus illorum verborum: *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento coeli . . . et sint in signa, et tempora, et dies, et annos*; quorum obvia, et litteralis interpretatio est, quod ex vario, sed constanti astrorum cursu varias anni tempestates dimetiri possimus. Absurde autem hoc loco abtuuntur Astrologi, Genethliaci, aliique similes impostores, qui ex siderum observatione futuras actiones humanas praedicere audent; quarum praedictionum vanitatem vel ipsi cordatiores inter Ethnicos irriserunt; Deus autem in sacris Litteris eas non semel prohibuit, ut Jer. X. 2. *Haec dicit Dominus: juxta vias gentium nolite discere, et a signis coeli nolite metuere, quae timent gentes*. Et Isaiae XLIV. 24. *Ego sum Dominus ... irrita faciens signa Divinorum ... et scientiam eorum stultam faciens*. Nimis autem longum esset dicere de sanctis Patribus, de legibus

Ecclesiasticis, ac etiam civilibus, quibus hujusmodi signorum coelestium observationes tamquam vanae, mendaces, et illicitae condemnatae sunt. Sane Deus scientiam, et praedictionem rerum libere futurarum, ut peculiarem suae Divinitatis characterem proponit Psalm. XLI. 23. inquiens: *Annunciate, quae ventura sunt, in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos* (*).

§. XXXV.

Opus quintae diei.

Quintae diei opus ita sacer textus describit: *Dixit etiam Deus: Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento coeli . . . benedixitque eis dicens: Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris; avesque multiplicentur super terram.* Hisce ex verbis quaestio oritur non magni momenti, utrum aves ex eodem elemento aquae formatae sint, ex quo formati sunt pisces; cui quaestioni plerique affirmative respondent, praecipue autem Ambrosius, qui etiam in hymno, quem adoptavit Ecclesia, ita canit: *Qui ex aquis ortum genus partim remittis gurgiti, partim levas in aera.* At vero si hebraicum fontem adeamus, non omnino luculenter constabit, aves fuisse ex aquis formatas; ita enim ad litteram habet: *Dixitque Deus: progignant aquae animam viventem, et motabilem: et volucres volent super terram, et per medium caeli firmamentum.* Hac posita versione (quae est Car. Houbigant) apparet, nonnisi pisces fuisse ex aqua formatos; formatio autem avium clarius explicatur Gen. II. 19. his verbis: *Formatis igitur de humo* (seu de terra, hebraice מרהאומה) *cunctis animantibus terrae, et universis volatilibus coeli* etc.

(*) Vid. potissimum S. Augustinus lib. 2. *de doctr. Christ.* c. 21. et seq. et in multis aliis suis operibus., tum Eusebius lib. 6. de *Praepar. Evang.* cap. 9. ubi disertam Origenis contra Astrologos disputationem affert. Ex recentioribus autem Jo. Gerson peculiarem ea de re tractatum edidit, et Jo. Picus Mirandulanus 12. libris vanitatem artis divinatoriae erudite ostendit.

§. XXXVI.

Opus sextae dici.

Sexta demum die animalia, et homines creavit Deus dicens: *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terrae secundum species suas. Et factum est ita . . . Et ait: Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, ut praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam . . . masculum, et feminam creavit eos.* Et quantum ad animalia, dubitari non potest, etiam illa creata tunc fuisse, quae modo fera, venenosa, atque hominibus noxia, et inimica sunt; quod idem dicendum de tribulis, spinis, herbisque veneficis. Sed illud etiam certum est, haec nullum allatura fuisse nocumentum homini, si in innocentia perseverasset, peccato enim hominis factum est, ut omnes creaturae contra eum rebellarent, ac dici potest, illud jam tunc impleri coepisse, quod habetur Sap. V. 18. *Armabit* (Deus) *creaturam ad ultionem inimicorum . . . et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Hujus rei etiam experimentum habemus, quando mansueta, et domestica animalia videmus quasi arrepta feritate contra hominem rebellare. Hinc etiam intelligi potest, quo sensu Sanctus Hilarius in Psalm. 68. et nonnulli alii Patres dixerint, tribulos, spinas, venena, bestiasque noxias post hominis peccatum facta fuisse; quia nempe nonnisi in vindictam culpae patratae haec noxia evaserunt.

§. XXXVII.

Praecipuum sextae diei opus homo.

Sed pauca dicamus etiam de homine, qui postremum, et nobilissimum fuit creationis opus. Porro hanc hominis praestantiam indicare visus est Moyses vel in ipsa ejus formatione; cum enim solo verbo *Fiat* Deus alia creasset, quando ad hominem ventum est, quasi consilio inter tres divinas Personas inito inquit: *Faciamus hominem.* Praeterea summam ejus dignitatem iis verbis expressit: *Ut praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaequae terrae*; unde etiam in Psal. VIII. de

eo dicitur: *Et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Verum excellentia hominis in eo maxime elucet, quod dicatur factus *ad imaginem et similitudinem Dei.* Porro haec imago, et similitudo Dei, non tam in corpore, quam in anima hominis expressa est, ut inferius loco opportuniore explicabimus. Quamquam etiam aliqua excellentia hominis supra cetera animalia in corporis conformatione apparet; ut enim inquiebat Poeta:

Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit, caelumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

§. XXXVIII.

Formatio Evae ex costa Adami.

Quamquam Moyses in cap. I. Gen. virum, et mulierem simul conditos insinuare videtur, capite tamen II. rem distinctius exponens dicit, Deum immisso Adamo sopore (quem exstasim SS. Patres interpretantur) tulisse unam de costis ejus, ex eaque aedificasse mulierem, quam postea ad Adam adduxit. Id perspicue etiam Apostolus declarat I. ad Timoth. II. 13. inquiens: *Adam primus formatus est, deinde Eva.* Neque audiendus est Cajetanus, qui nonnullis argumentis ostendere nititur, totam hanc narrationem, quae de formatione Evae legitur Gen. II. esse allegorice intelligendam. Patres enim eam litteraliter magno consensu acceperunt; immo damnatus est Origenes ea potissimum de causa, quod tria priora Geneseos capita ad sensum allegoricum pertraxerit (*). Dei autem scopum in formanda muliere nobis manifestat Scriptura iis verbis: *Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus:* facta

Cajetanus notatus.

(*) Adi-sis Natalem Alexandrum in *Hist. V. T.* Dissert. 3. art. 1. Confutatione autem dignae non sunt eae Rabbinorum fabulae, qui Adami corpus biforme a Deo formatum esse commenti sunt; quibus mirum est consensum suum praebuisse etiam Steuchum Eugubinum *in Cosmopoeia.* Ejusdem generis sunt, quae Talmudistae narrant de Gigantaea Adami proceritate; de Lilitha prima Adami conjuge, quam S. Augustinus in Lib. *contra Advers. legis, et Prophet.* merito irridet; de Janbusar Tzagrith et Roane parentibus Adam etc. etc.

est ergo mulier in adjutorium viri. Alium hujus rei finem nobis indicat Apostolus Ephes. V. 31. ubi repetens verba Geneseos: *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*, addit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et Ecclesia*; ostendens nempe, arctissimam illam conjunctionem esse praefiguratam, qua Christus unitur Ecclesiae.

§. XXXIX.

Santificatio diei septimae.

His omnibus sex dierum spatio perfectis, dicit sacer textus Gen. II. 2. *requievisse* (Deum) *die septimo ab universo opere, quod patrarat, et benedixisse diei septimo, et sanctificasse illum.* Priorum autem verborum sensus litteralis est, cessasse Deum a creaturis condendis. Sed de posterioribus merito quaeritur, an diem septimum sanctificando, jam tunc legem tulerit Deus de Sabbathi sanctificatione; quod tamen parum verisimile videtur; nuspiam enim legitur Sabbathum fuisse sanctificatum ante legem Moysi, quae legitur Exodi XX. 8. quamquam in lege illa ferenda benedictionis, et sanctificationis istius rationem Moyses certe habuit; inquit enim ibidem: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices . . . . sex enim diebus fecit Dominus coelum, et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt, et requievit in die septimo: Idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, et sanctificavit eum.*

§. XL.

Opinio Augustini de distinctione dierum.

Antequam a tabula manum amoveamus, breviter indicanda est celebris illa S. Augustini sententia, qui omnia a Deo simul, et unico momento creata fuisse censuit, distinctionem autem dierum in sacris Litteris memoratam allegorice, et duplici ratione explicandam esse voluit; primo ut distinctione dierum nihil aliud designetur, quam distinctio operum, suapte natura inter se diversorum: secundo, ut illa distinctio dierum referatur ad Angelos, qui distinctis diebus haec omnia creata cognoverunt. Ex iis autem Moysi verbis, *Mane, et vespere*, occasionem sumsit S. Pater explicandi duplicem Angelo-

rum cognitionem *matutinam*, *et vespertinam*, quae celebris postea in Scholis evasit. Cognitionem *matutinam* Sanctus Doctor eam intelligit, qua Angeli, et Beati omnia in Deo clarissime vident: *vespertinam* autem, qua res in se ipsis, et immediate, sed obscurius perspiciunt. Haec S. Augustini sententia, quam prius Philo Judaeus, et Origenes insinuaverant, non paucos, nec ignobiles nacta est asseclas, sed multo plures adversarios, de quibus legi meretur Card. Norisius *in Vindiciis Augustinianis* cap. 4. §. 9. (*).

Scholion. In hac brevi operum sex dierum expositione illud praecipue observavimus, quod Sanctus Augustinus Lib. 1. *de Genes. ad Litt.* cap. 20. maxime observandum monebat, ne scilicet propter speciosas Philosophorum opiniones veritatem scripturae sacrae deseramus. Sed recte Sanctus Pater antea cap. 18. monuerat, in rebus obscuris varias, et diversas interpretationes, quae cum recta fide non pugnant, non esse pertinaciter rejiciendas, ne scilicet videamur *non pro sententia divinarum scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus scripturarum esse, quae nostra est; cum potius eam, quae scripturarum est, nostram esse velle debeamus.*

CAPUT V.

De Perfectione mundi.

§. XLI.

Totum mundi opificium conclusit Moyses his verbis: *Viditque Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona*; quam divini Opificis approbationem **Omnia opera Dei bona.**

(*) Haec paucis complexi sumus; si quis autem plura desiderat, consulere poterit ex antiquis S. Augustinum in libris *de Genes. ad litteram*, SS. Ambrosium, et Basilium in Hexaemeron, et Chrysostomum *in Homiliis super Genesim*; ex recentioribus autem S. Thomam 1. Par. Qu. 67. et seq. Petavium *de opificio sex dierum*, Natal. Alexandrum *in Histor. V. T.* ac praecipue Estium in lib. secundum *Sentent.* Dist. 12.

etiam in singulis operibus memoraverat. Idipsum non semel repetitur in sacris Litteris; ut cum I. ad Timoth. IV. 4. dicitur: *Omnis creatura Dei bona est*: et hinc etiam Sap. XI. 25. dicitur Deo: *Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti*. Ex quibus aliisque hujusmodi textibus rejicitur stulta Manichaeorum, et Priscillianistarum haeresis ab Ecclesia saepius proscripta, quae creaturas esse malas, et a Deo malo conditas blasphemabat. In ea autem profliganda sancti Patres utilissimam operam collocarunt, praecipue S. Augustinus, cujus sunt ea praeclara carmina Lib. 15. *de civit. Dei*, cap. 22.

Haec tua sunt, bona sunt, quia tu bonus ista creasti,
Nil nostrum est in eis, nisi quod peccamus amantes,
Ordine neglecto, pro te, quod conditur abs te.

§. XLII.

Sed non excludunt aliquos defectus.

Ex quo autem mundus bonus a Deo bono conditus sit, non sequitur, nulla in eo inesse mala; nam primo in omnibus creaturis est malum metaphysicum, sive imperfectio, quae oritur ex earum limitatione, hoc enim ipso, quod ex nihilo sunt, limitatae, et defectibiles esse debent; et solus Deus, quia a se ipso, et necessario existit, est infinitus, et perfectissimus. Sunt etiam in mundo mala physica, et moralia. Haec postrema, nempe mala culpae a libero hominis arbitrio, quod defectibile est, tamquam a prima causa oriuntur; nullatenus autem a Deo, qui causa est efficiens omnis boni, non autem deficiens. (Vid. quae supra diximus P. II. §. 60.) Mala denique physica, cujusmodi sunt innumerae, quas patimur, calamitates, a Deo bono simul et justo ad puniendas nostras culpas immittuntur. Sed de his plura dicemus ubi de Providentia.

§. XLIII.

Qui non tollunt debitam mundi perfectionem.

His non obstantibus malis mundus bonus est, et perfectus ea bonitate, et perfectione, quam Deus voluit ipsum habere, unde verba superius allata: *Vidit Deus* etc. hunc habent sensum: Omnia erant valde bona, id est divinae sapientiae ideis, et fini-

bus omnino consentanea, non autem, ut Leibnitiani volunt, ita omnia bona, et perfecta sunt, ut mundus hic optimus dici debeat, et omnium perfectissimus, qui possibiles erant. Haec sententia (quae nova non est (*)) maximis est obnoxia difficultatibus; atque illi praecipue, quod Dei omnipotentiae in condendis aliis mundis a nostro dissimilibus, atque adeo vel perfectioribus, vel imperfectioribus, limites figere videatur.

Neque enim mundus dici potest cum Leibnitianis optimus.

§. XLIV.

Non me latet, Leibnitianos fateri, plures, et diversos mundos attenta sola omnipotentia Dei esse absolute possibiles, et solum contendere, eos possibiles non esse considerata ejusdem Dei bonitate, et sapientia, quae duo attributa Dei omnino exigere videntur, ut mundus omnium possibilium optimus conderetur. Sed Angelicus Doctor Qu. 1. *de Pot.* art. 5. eorum errorem confutans, qui ajebant, Deum non posse facere, nisi quae facit, quia non potest praeterire ordinem suae justitiae, et sapientiae, ita respondet: *Divina bonitas potest se communicare ordinate, non solum isto modo, quo res operatur, sed multis aliis.* Et iterum ad 14. *Optima ratio*,

Quorum respons. cum S. Th. refelluntur.

(*) Eam docuit Sec. XII. Petrus Abaelardus, qui in sua *Theol. Christ.* tom. V. *Thesauri novi Anecdot.* Martene, et Durand col. 1353. postquam laudavit sententiam Platonis *Deum nullatenus potuisse mundum meliorem facere, quam fecit*, probare nititur, *Deum facere omnia, quae potest, et tantum bene, quantum potest*, alias nec bonus, nec justus esset, atque ita concludit: *Deum nullatenus plura facere posse, quam faciat, aut melius facere, aut ab his cessare:* quem tamen errorem Abaelardus scriptis, et clamoribus multorum lacessitus una cum pluribus aliis retractavit in *responsione*, quae prostat in tomo IV. *Biblioth. Cisterc.* P. Bertr. Teissier. Hanc Abaelardi doctrinam suscitavit Sec. XIV. Jo. Wicleffus, ut videri potest apud Thomam Waldensem in *Doctrinali antiquit. fidel.* tom. I. Lib. I. cap. 10. et seq.; postquam enim docuerat cum Abaelardo, Deum non posse plura facere, quam facit, etiam expresse asserebat: *Deus non potest mundum majorare, vel minorare.* Immo notum est illud Stoicorum ratiocinium apud Ciceronem lib. 2. *de Nat. Deor.*: *Certe nihil omnium rerum melius est mundo, nihil praestabilius, nihil pulchrius; nec solum nihil est, sed ne cogitari quidem quidquam melius potest . . . . ex quo efficitur esse mundum Deum.*

qua Deus omnia facit, est sua bonitas, et sua sapientia, quae manerent, etiamsi alia, vel alio modo faceret.

§. XLV.

Et sententia magis impugnatur.

Alia etiam difficultas contra Leibnitianam sententiam desumitur ex libertate Dei in operationibus *ad extra*, qua sicut poterat mundum non creare, ita etiam poterat eum alia ratione, et minus vel magis perfectum condere; et potest nunc etiam pro suae voluntatis consilio, *secundum quod omnia operatur* Ephes. I. 12., ei perfectiones addere, vel demere; ac demum alios et alios mundos ex infinitis potentiae suae thesauris educere. Sed in hanc controversiam, quae Scholas Theologicas et Philosophicas diu multum agitavit, ingredi nolumus (*).

Scholion. Ceterum non inficiamur, aliquo sensu posse mundum hunc appellari *optimum*; eo scilicet sensu, quo S. Thomas Qu. 1. *de Pot.* in fine art. 5. inquiebat: *Illud, quod (Deus) facit, est optimum per ordinem ad Dei bonitatem, et ideo quidquid aliud est ordinabile ad Dei bonitatem, secundum ordinem suae sapientiae est optimum*; quibus paucissimis verbis Angel. Doctor. et debitam mundo tribuit perfectionem, et integra servat omnipotentiae divinae jura, quae alios mundos sine fine creare potest, qui divinae sapientiae, et bonitati consentanei sint.

CAPUT VI.

De creatione Angelorum.

§. XLVI.

Quid proprie Angelus sit?

Postquam egimus de creatione rerum visibilium, doctrinae ordo postulat, ut etiam de rerum invisibilium productione agamus, scilicet de Angelis. An-

(*) Has controversias fuse describit Car. Guntherus Ludovici in *Hist. Phil. Leibnit.* P. 2. c. 23. Auditorum autem usui admodum utiles erunt duo eruditi Dominicani P. Cerboni in fine Tom. I. *Theol. natur.*, et P. Moniglia *Dissert. contra Materialistas* Tomo 2.

geli autem nomen potius officium designat, quam naturam; Angelus enim idem est, ac *missus*, a graeca voce ἀγγέλλω *mitto*. Quamobrem illud etiam hominibus tributum novimus, ut Malachiae II. 7., et Matth. XI. 10. Quando tamen hoc nomen absolute pronuntiatur, designat substantiam per se complete subsistentem, intellectu, et voluntate praeditam, praestantiorem homine, ac Deo inferiorem. Porro Angelorum existentiam nonnisi Sadducaei, aliique paucissimi negarunt; nam vel ipsis Ethnicis spiritus quosdam existere, quos genios appellabant, persuasum erat.

§. XLVII.

Angelorum existentia ex V. T.

Contra Sadducaeos autem, aliosque qui Scripturas sacras admittunt, perquam facile est Angelorum existentiam ostendere. Et quidem vel in ipsis libris Mosaicis, quos solos teste S. Hieronymo *Comment.* in cap. 22. Matth. Sadducaei ut divinos recipiebant, frequentissima est Angelorum mentio, ut illius, qui apparuit Agar in deserto Gen. XVI., et XXI.; aliorum duorum, qui eripuerunt Loth ab incendio Sodomae Gen. XIX., alterius, qui Abraham cohibuit, ne Isaac immolaret Gen. XXII. Et infinitus pene essem, si omnia loca Vet. ac N. Test. afferre vellem, in quibus Angeli nominatur tamquam ministri beneficiorum Dei, aut poenarum, quas hominibus impiis infligere voluit.

§. XLVIII.

Et ex N. T.

Unus tamen locus est minime praetermittendus ex Hebr. I., ubi Apostolus comparatione inter Christum et Angelos instituta, ejusdem Christi divinitatem ostendit; et ubi etiam asserit, Christum non angelicam, sed humanam naturam induere voluisse, quod utrumque ridiculum esset, si Angeli reipsa non existerent. Hinc recte ita concludebat S. Augustinus *Serm.* 1. in Ps. 130.: *Quamvis non videamus apparitiones Angelorum . . . tamen esse Angelos novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum leginus, et tenemus, nec inde dubitare fas nobis est.* Quod postea in Concilio Lateranensi definitum fuit. Vid. supra §. 6.

§. XLIX.

Eorumdem creatio.

Sed objiciebat olim Julianus Apostata, eccur Moyses res a Deo creatas adeo distincte recensens*, nullam creationis Angelorum mentionem fecit? Difficile est quidem veram hujus rei rationem afferre; verumtamen cum Moyses, ut mox vidimus, tam saepe in suis libris Angelos nominet, implicite saltem eos a Deo creatos fuisse insinuat (*). Ceterum creationis Angelorum in aliis Scripturae locis perspicua mentio fit; ut Dan. III.; postquam dictum est: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, subditur: *Benedicite Angeli Domini Domino*; et sic etiam Ps. CII. postquam dictum esset: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus*, additur: *Benedicite Domino omnia opera ejus*: ut scilicet intelligamus, in utroque loco Angelos in operibus Dei connumerari. Atque ut cetera praetermittam, decretorius plane est ille locus Apostoli Coloss. I. 3. *In ipso* (scil. Verbo) *condita sunt universa in coelis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates*; quibus nominibus varios Angelorum choros distinctos fuisse ostendemus infra Cap. IX.

§. L.

Et existentia vera et propria.

Ex quo autem Angeli nomen, ut initio diximus, officium potius denotet, quam naturam, frustra colligunt aliqui, quaecumque in sacris Litteris de Angelis dicuntur, aut de hominibus esse intelligen-

---

(*) Variae hujus silentii rationes afferuntur a SS. Patribus, ut videre est apud S. Chrysostomum Homil. 2. *in Gen.* et S. Thomam 1. Par. Qu. 61. art. 1. sed illa admodum probabilis, quam Sancti Basilius in Lib. *de Spiritu S.* cap. 16. et Hieronymus Epist. 140. assignant, quod Moysi propositum fuit, tantum rerum visibilium creationem rudi populo exponere. Non desunt etiam, qui creationem Angelorum sub nomine lucis a Moyse indicatam contendant; ita S. Augustinus in plurimis locis. Ceterum adeo certa est creatio Angelorum, ut justa videatur Justiniani Imperatoris indignatio, qui referente Balsamone *in Collect. Consitut. Eccles.* lib. 5. e quovis *loco expellendos esse decrevit, qui dicunt, Angelos non esse Dei creaturas.*

da, aut de internis divinis inspirationibus. Frustra inquam, nam multa sunt, quae nec de hominibus, nec de internis inspirationibus intelligi ulla ratione possunt; ut cum David hominis excellentiam admirans inquit Ps. VIII. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*; vel cum Christus Sadducaeis respondens Matth. XXII. homines dixit in resurrectione futuros *sicut Angelos Dei*; ac demum cum ejusdem Matth. XVIII. 10. de parvulis loquens, *Angeli eorum*, inquit, *in coelis semper vident faciem Patris mei.*

§. LI.

Non tamen ante mundum.

Quamquam dubitari non potest, Angelos fuisse a Deo creatos, certum tamen non est, quo tempore creati fuerint. Parum consentanea sacris Litteris videtur eorum opinio, qui putant, Angelos creatos fuisse ante mundum, cum Moyses dicat, *In principio*, hoc est initio temporis creatum fuisse coelum et terram. Etiam parum verisimilis est contraria opinio, quae Angelos post opera sex dierum creatos fuisse asserit; Jobi enim XXVIII. 4. et seq. dicitur: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terrae? . . . cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?* quo loco Angelos indicari certum est, qui proinde jam erant, quando Deus mundum condebat.

§. LII.

Sed simul cum mundo.

His igitur rejectis opinionibus vero propius accedunt, qui Angelos simul cum hoc universo creatos esse volunt; quod etiam insinuat Concilium Lateranense inquiens: *simul ab initio temporis utramque de nihilo conditam esse creaturam, angelicam, et mundanam*. Quamquam id proprie definitum a Concilio non fuit; adeoque haec sententia verisimilior quidem est, non tamen certa de fide.

CAPUT VII.

Angelos esse incorporeos gravibus momentis ostenditur.

§. LIII.

Angeli incorporei sunt.

Nemo, ut puto, ita desipuit, ut Angelorum naturam prorsus corpoream esse diceret, nisi fortasse, qui animam etiam humanam corpus sui generis esse volebant: Sed quemadmodum homo spiritu constat et corpore, ita plerique Angelos corpore quodam tenuissimo praeditos esse contendebant. Ita non pauci veteres Patres Platonica Philosophia fortasse decepti. Alii tamen bene multi, ut Dionysius vulgo Areopagita, Gregorius Nazianz., Chrysostomus, Theodoretus, Angelos omnino incorporeos esse statuebant.

§. LIV.

Quod ostenditur ex sacris Litteris.

Haec autem sententia communissima modo est inter Theologos, validisque ex Scriptura sacra momentis fulcitur; in ea enim Angeli passim dicuntur Spiritus. Ps. CIII. *Qui facis Angelos tuos Spiritus.* Hebr. I. 14. *Omnes sunt administratorii Spiritus.* Et quamquam non inficior, nomen Spiritus quandoque in sacris Litteris tribui etiam corporibus subtilioribus, ut vento, et igni, certum est tamen, eamdem vocem saepius usurpari ad res incorporeas significandas, ut Deum, et animas nostras. Et quidem hoc postremo sensu Angelos vocari Spiritus ex eo liquet, quod nusquam in sacris Litteris corporei dicantur; tum etiam ex eo, quod Act. XXIII. 8. reprehenduntur Sadducaei, qui dicebant non esse *Angelum, neque Spiritum*, ubi manifeste apparet, Spiritus nomine intelligi rem incorpoream, quam Sadducaei inficiabantur.

§. LV.

Et ex multis Patribus.

Praeterea quamquam SS. Patrum aliqui Angelos corporeos esse putarunt, alii ancipites haeserunt, longe tamen plures eos ἀσωμάτες, seu omnino incorporeos esse sine dubio affirmarunt. Ita S. Ignatius in Epist. *ad Trallianos*, Gregorius Nyssenus lib.

12. *adversus Eunomium*, Gregorius Nazianz. Orat. 34., et Eusebius, qui Lib. 4. *Demonstrat. Evang.* cap. 1. Angelos vocat *incorporeos*, *intelligentes*, *ac divinas virtutes*, *materia carentes*, *ac puros spiritus*. Longus autem nimis essem, si omnia Chrysostomi, Theodoreti, aliorumque testimonia afferrem, quae videri possunt apud Petavium. Duos dumtaxat addam ex Latinis, Sanctos Gregorium P., et Fulgentium, quorum prior Lib. 4. *Moral.* cap. 19. *Angelus*, inquit, *solummodo spiritus*, *homo vero spiritus*, *et caro*: alter Lib. *de fide ad Petrum*: *Angelos*, ait, *esse spiritus*, *nullum cum corporis elementis habentes naturale consortium*.

§. LVI.

Atque ex Concil. Lateran.

Accedit postremo auctoritas Concilii Lateranensis, quod definivit, a Deo conditam fuisse *utramque creaturam*, *spiritualem*, *et corpoream*, *angelicam*, *et mundanam*. Hinc non desunt Theologi, qui hanc sententiam ad fidem pertinere existimant; alii tamen bene observant Patrum illius Concilii mentem tantum fuisse, ut definirent omnia, quae sunt visibilia, et invisibilia, corporalia, et spiritualia fuisse a Deo creata contra haeresim Manichaeorum tunc temporis valde grassantem; non autem Angelos esse proprie incorporeos, de quo nulla tunc movebatur quaestio. Cum tamen in eo Concilio Patres uno ore Angelos spirituales esse affirmarint, id sine temeritate negari modo non potest. Vid. Estius in Lib. 2. *Sentent.* Dist. 8. §. 4.

§. LVII.

Cui non repugnat synodus Nicaena.

Neque Concilio Lateranensi repugnat synodus VII., in qua definitum fuisse videtur, Angelos constrare corporibus; a Patribus enim Act. V. probata fuit sententia Joannis Thessalonicensis: *Quod et Angelos pingere oporteat*, *quando circumscribi possunt*, *et ut homines apparuerunt*. Si enim res bene perpendatur, facile apparebit in synodo VII. non singularem Joannis Thessalonicensis opinionem de corporibus Angelorum adprobatam fuisse, sed consequentem ex ea propositionem, scilicet Angelos pingi posse; hic quippe unus erat Concilii illius scopus, Sanctorum, atque Angelorum imagines con-

tra Iconomachos defendere. Ac praeterea ejusdem synodi Patres mentem suam in professione fidei luculenter declararunt inquientes: *Veneramur imagines Sanctorum, et incorporeorum Angelorum* etc.

§. LVIII.

Neque locus Gen. VI.

Similiter iis Scripturae locis, quibus supra ostendimus §. LIV. Angelos esse incorporeos, non obstant illa verba Gen. VI. 2. et seq. *Videntes filii Dei* (seu ut legunt LXX., *Angeli*) *filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores* etc. Non inquam, ut enim S. Augustinus Lib. 15. *de civit. Dei* cap. 23. luculenter ostendit, nomine filiorum Dei non intelliguntur Angeli, sed posteri Seth a Deo dilecti, sicuti per filias hominum designantur filiae ex progenie impii Cain. Et quidem 1. observat S. Pater, non in omnibus codicibus LXX. legi *Angelos*, cum in aliquibus legatur filii Deorum, quod etiam legebat Aquila celebris apud Judaeos interpres. 2. Etiamsi retineatur lectio LXX. viralis, nihil prohibet, quin Angelorum nomine intelligantur homines, quos non semel in sacris Litteris Angelos vocatos novimus. Demum ille locus neque de Angelis bonis intelligi potest, neque de malis; non de malis, qui *filii Dei* dici nequeunt: non de bonis, de quibus dictum est Matth. XXII. 30. *Neque nubent*, *neque nubentur.*

§. LIX.

Cujus recta explicatio vindicatur.

Neque etiam negotium facessit auctoritas Libri Henoch, qui loco *filiorum Dei* posuit *Angelos*; aut veterum nonnullorum Patrum, Justini, Clementis Alexandrini, Tertulliani atque etiam Ambrosii, qui hunc locum de veris Angelis interpretati sunt. Nam quantum ad Librum Henoch constans est eruditorum opinio, genuinum hujus Patriarchae opus, cujus mentionem facit Judas in sua catholica Epistola, jamdiu interiisse, eum autem, qui nunc habetur, apocryphum esse, et fabulosum. Quantum vero attinet ad veteres quosdam Ecclesiae Patres, quos in contraria fuisse sententia negari non potest, iis opponimus S. Augustinum loco mox citato, aliosque plures, quos supra §. LV. laudavimus. Nec similiter difficultatem pariat, quod ex illis connubiis filiorum Dei cum filiabus hominum gigantes orti dicantur.

Nam primo si textum hebraicum consulamus, potius ante ista connubia Gigantes in terra jam fuisse indicatur: ita enim habet: *Porro in diebus illis erant in terra gigantes, qui etiam post fuerunt, quoniam filii Dei ingressi sunt* etc. Deinde Gigantum nomine non veniunt nisi homines procerae staturae, et fortioris complexionis, ad quos procreandos naturales causae abunde sufficiunt. Digna lectu est Dissert. *de Gigantibus* Cl. Mazochii *in spicilegio biblico.*

§. LX.

Explicantur alia Script. loca.

Nonnulla alia objici solent ex sacris Litteris, ad probandum, Angelis sua inesse corpora. 1. Quod humana specie saepe apparuerint, comederint, biberint etc.; in quibus omnibus eos voluisse mentiri, non est verisimile. 2. Tobiae VI. 8. dicitur fumus piscis extricare omne genus Daemoniorum, et I. Regum XVI. David citharae sono compescuisse spiritum malum, quo agitabatur Saul. 3. Daemones quibusdam rebus sensibilibus oblectari, ut carminibus, suffitis, nidore carnium, adipe etc., non solum Ethnicorum, sed etiam veterum Ecclesiae Patrum testimoniis probari potest.

§. LXI.

Quomodo Angeli sint visibiles?

Haec tamen minime sufficiunt, ut Angelis vera corpora tribuamus. Nam quantum ad varias eorum apparitiones, facile explicantur de corporibus ex subtiliore elemento formatis, in quibus et visibiles fieri potuerunt, et comedere, ac bibere etc.; unde etiam Angelus Tobiae dicebat XII. 19. *Videbar quidem vobiscum manducare, et bibere, sed ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* Nec tamen haec mendacia reputari debent, cum non ad decipiendos homines haec directa fuerint, sed ut ipsis ex Dei mandato officia sua praestarent.

§. LXII.

Quomodo rebus corporeis afficiantur?

Secunda difficultas aliquanto intricatior videtur; dici tamen potest res istas corporeas egisse in Daemones non naturali sua vi, sed potius ex voluntate divina, et virtute supernaturali. Tertia autem dif-

ficultas solvitur a S. Augustino Lib. 21. *de civit. Dei* cap. 6., ubi observat, his rebus illici Daemones, *non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis*, seu ut explicat S. Thomas 1. P. Qu. 115. art. 5. ad 3. in quantum haec eis exhibentur in signum divini honoris, cujus ipsi sunt cupidi.

Scholion. Inficiari non possumus, coactos nos fuisse hac in re a nonnullorum veterum Patrum sententia discedere; sed non alia de causa, quam ut aliis et numero pluribus, et majoris etiam, ut videtur, auctoritatis adhaereremus. Sed et illud diligenter notandum est, aliquos eorum negasse, Angelos esse incorporeos non absolute, sed comparate ad Deum, qui solus est purissimus spiritus. Ita S. Gregorius Magnus Lib. 2. *Moral.*cap. 3., *Angelicos spiritus comparatione quidem nostrorum corporum spiritus esse* dicebat, *sed comparatione summi, et increati spiritus esse corpus*.

CAPUT VIII.

De lapsu Angelorum.

§. LXIII.

Omnes Angeli creati boni.

Dubitari non potest, omnes Angelos a Deo fuisse creatos bonos. *Fides vera*, inquit S. Leo epist. 15. *quae est catholica, omnium creaturarum, sive spiritualium, sive corporalium bonam confitetur substantiam*: hinc Manichaei, eorumque surculi Priscillianistae in variis Conciliis particularibus, et in magna synodo Lateranensi ea etiam de causa condemnati sunt, quod dicerent, *diabolum non prius fuisse Angelum bonum a Deo factum*. Immo communiter docent Theologi, diabolum cum suis asseclis non statim ab initio suae creationis fuisse adversus Deum rebellem, quamvis quantum temporis inter ejus creationem, et lapsum intercesserit, certo definiri non possit.

§. LXIV.

Et gratia exornati.

Sed et illud addendum ex communi pariter Theologorum sententia, omnes Angelos fuisse gratia sanctificante exornatos, unde etiam Catechismus Roma-

nus in expositione primi articuli symboli : *Perspicuum est*, inquit, *diabolum*, *reliquosque desertores Angelos ab ortus sui initio gratia praeditos fuisse*. Haec certa apud Theologos sunt, et disputari tantummodo potest, an Angeli in ipsa gratia sanctificante creati sint; an vero eadem post creationem exornati. Prima sententia placuit S. Augustino, qui in Lib. 12. *de civ. Dei* cap. 9. *Deus erat*, inquit, *simul in eis condens naturam, et largiens gratiam; unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est*. Placuit etiam S. Thomae, qui eam rationibus confirmavit 1. P. Q. 62. art. 3. Contrarium tamen senserunt Hugo a S. Victore, Magister sententiarum, Rupertus, aliique; et nulla extat hac de re Ecclesiae definitio.

§. LXV.

A qua aliqui exciderunt.

His breviter expositis, ad lapsum Angelorum explicandum progredimur. Et primo certum ex sacris Litteris est, diabolum cum magna aliorum Spirituum caterva gratiam Dei culpa sua perdidisse, dicente Domino Joan. VIII. 44. *ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit*. Sanctus autem Petrus Epist. II. cap. II. 4. plures cum diabolo peccasse innuit, inquiens: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Judas quoque in sua Epistola versic. 6. *Angelos*, inquit, *qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magnae diei vinculis aeternis sub caligine reservavit*. Insignis est etiam hac de re locus Apoc. XII. 7. et seq.

§. LXVI.

Non peccato libidinis.

Sed non ita perspicue Scriptura sacra exponit, quale fuerit illud Angelorum peccatum; hinc variae exortae sunt Doctorum opiniones. Veteres nonnulli, putantes Angelos habere corpus, eos libidine peccasse dicebant, de ipsis intelligentes ea Scripturae verba Genes. VI. *Videntes Filii Dei* etc. (Vide supra §. LVIII.) Haec opinio ut omnino falsa rejicitur; quamvis a non paucis veteribus tradita inveniatur, ut videre est apud Ant. Aug. Toutteum *in diss. Cyrilliana* cap. 5.

§. LXVII.

Nec peccato invidiae.

Alii considerantes ea verba Sap. II. 24. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*, putarunt, Angelos peccasse invidia erga hominem factum ad imaginem, et similitudinem Dei. Verum Sanctus Augustinus Lib. 10. *de Gen. ad litteram* cap. 14. recte observavit, primum Angelorum peccatum non potuisse esse invidiae, quia *invidia sequitur superbiam, non praecedit . . . amando quippe excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coaequentur, vel inferioribus, ne sibi coaequentur, vel superioribus, quod eis non coaequentur; superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus.*

§. LXVIII.

Sed peccato superbiae.

Ex verissima hac S. Augustini doctrina manifeste consequitur, primum Angelorum peccatum fuisse superbiam, in eo sitam, quod voluerint esse similes Deo creatori suo; hoc enim insinuat etiam Isaias XIV. 12. ubi dicit ex persona diaboli: *Ascendam in coelum, et ero similis Altissimo.* Hoc autem non ita intelligendum est, quasi diabolus voluerit esse alter Deus, cum ignorare non posset, hoc esse impossibile: sed tantum quod voluerit esse similis Deo, appetendo ut finem ultimum id, ad quod virtute suae naturae poterat pervenire, non autem id, ad quod ex gratia supernaturali ordinatus erat; vel si beatitudinem supernaturalem appetivit, eam voluit ex virtute suae naturae, non autem ex divinae gratiae auxilio habere. Ita rem explicant docti, gravesque Theologi.

§. LXIX.

Quod invidia consecuta est.

Sed quodcunque tandem fuerit illud peccatum superbiae, certum est, postea consecutum fuisse etiam peccatum invidiae; quamobrem S. Gregorius P. *in Pastorali* cap. 21. de diabolo inquiebat: *De illo sic scriptum est: Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum; quia enim ipse malignus Spiritus adversarius noster coelum perdidit, condito ad hoc homini invidit, et damnationem suam perditus adhuc alios perdendo cumulavit.*

Scholion. Ex hoc aliquorum lapsu orta est distinctio Angelorum in bonos, et malos. De priori-

bus primum dicemus; deinde de aliis. Sed interim nos continere non possumus, quin cum Zacharia cap. XI. 2. exclamemus: *Ulula abies, quia cecidit cedrus*. Peccatum superbiae diabolicum vocatur, quia diabolum perdidit, sed heu quot etiam homines perdit! eisque vel maxime, qui se majoribus naturae, et gratiae donis exornatos sentiunt, perpetuo insidiatur; ut enim recte advertebat S. Prosper in Epist. *ad Demetriadem* cap. 9.: *Malum superbiae maxime virtutibus est cavendum, quia nullis opportunius insidiatur, quam quibus laus justa debetur: et quos impulsione non movit, elatione dejicit.*

CAPUT IX.

De Angelicis Choris.

§. LXX.

Angelorum Chori.

Maximam esse Angelorum multitudinem discimus ex Daniele VII. 10. *Millia millium ministrabant ei, et decies centies centena millia assistebant ei.* Hanc autem coelestium Spirituum multitudinem in quosdam ordines seu classes distributam esse magno consensu tam veteres Ecclesiae Patres, quam recentiores Theologi docent.

§. LXXI.

Novem distincti a SS. PP.

Primus autem, ut creditur, Dionysius vulgo Areopagita novem esse hujusmodi ordines constituit in Lib. *de coelesti hierarchia*: quem secutus S. Gregorius magnus hos novem Angelorum ordines ex diversis Scripturae locis collegit, nempe *Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, ac Seraphim.* Hanc tamen coelestium spirituum distinctionem tanquam commentitiam Erasmus, Beza, aliique pauci explodere non verentur; contra quos haud difficile esset, ex variis Scripturarum locis, atque ex antiqua SS. Patrum Traditione eam vindicare. Nomen enim *Seraphim* reperitur Isaiae VI. 2.; nomen *Cherubim* Ezechielis X. 1.; nomen *Thronorum* Coloss. I. 16.; *Dominationes* autem, et *Virtutes*, et *Pote-*

states, et *Principatus* ponuntur Ephes. I. 21.; *Archangeli* nominantur in Epist. Judae 9.; et *Angeli* in multis Scripturae locis.

§. LXXII.

Non officio solum, sed etiam dignitate.

Sancti autem Patres non putarunt istis nominibus officia tantum coelestium spirituum designari, sed distinctos plane eorum choros, ac diversos ordines. Sic S. Ignatius in epist. 2. *ad Trallianos* expresse memorat *Angelicos ordines, Virtutum, ac Dominationum discrimina; Thronorumque ac Potestatum varietates, Cherubim, et Seraphim excellentias.* S. autem Athanasius in Epist. *ad Serapionem* postquam dixisset, omnia a Deo facta suis nominibus propriis nuncupari, ut coelum, terram, homines, etc. subdit: *Et ante haec omnia Angelos, Archangelos, Cherubim, Seraphim, Virtutes, Principatus, Potestates, Dominationes*; quibus octo Angelorum choris alibi *Thronos* adjungit. Eademque coelestium Spirituum distinctio saepe invenitur apud alios Patres, Origenem, Cyrillum Jerosol., Basilium, Epiphanium, Gregorium Nazianz., Gregorium Nyss., Cyrillum Alexand. etc. quamquam non omnes novem choros semper accurate recensent; prout etiam Ecclesia facit, quae in suis hymnis, et canticis modo plures memorat, modo pauciores. Immo haec distinctio neque Hebraeis ignota fuisse videtur, etsi neque in numero ordinum, neque in nominibus semper nobiscum conveniunt.

§. LXXIII.

In quo autem distinguantur, minime compertum.

Quamquam vero Sancti Patres in distinguendis Angelicis Choris inter se consentiant, quaenam tamen sint horum diversa munia, Scriptura tacente, se ignorare fatentur. Instar omnium sit magnus Augustinus, qui in Lib. *ad Orosium* Cap. 10. *Esse itaque Sedes*, inquit, *Dominationes, Principatus et Potestates in coelestibus apparatibus firmissime credo, et differre aliquid, indubitata fide teneo; sed . . . quaenam ista sint, et quid inter se differant, nescio.* Idipsum fassus est etiam S. Dionysius Cap. 6. *coel. hierarch.*, qui tamen diligentissime de his choris disseruit.

§. LXXIV.

Haec distinctio erat ante aliquorum lapsum.

Certum etiam videtur, hanc ordinum distinctionem in Angelis factam fuisse ante lapsum daemonum; et communiter fere exploditur illa opinio Origenis, qui putavit, omnes Angelos a Deo fuisse aequales creatos, eam vero, quae modo est in Angelis differentiam ex variis eorum meritis ortam fuisse; et sin minus undequaque certum, saltem admodum probabile est, distinctionem Angelorum quantum ad naturae, et gratiae dona in ipsa eorum creatione factam esse.

CAPUT X.

De Ministerio Angelorum.

§. LXXV.

Prima Angelorum occupatio cantare laudes Dei.

Jugis, ac perpetua sanctorum Angelorum occupatio est assistere ante thronum Dei, ejusque laudes decantare, ut multis Scripturarum locis edocemur. Danielis VII. 10. *Millia millium* et cet. (supra §. LXX.) Isaiae VI. 3. de Seraphim dicitur: *Et clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.* Apocal. IV. 8. *Requiem non habebant die, ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, et qui venturus est*, et Cap. VII. 11. *Omnes Angeli stabant in circuitu throni* et cet. Hoc tamen non impedit, quin etiam ad aliqua officia peragenda mittantur in terras, quod testatur Apostolus Heb. I. 14. dicens: *Omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi* etc. Inter alia autem ipsorum ministeria nihil magis in sacris Litteris, et SS. Patrum Traditione repetitum, quam hominum custodia.

Altera hominum custodia.

§. LXXVI.

Generalis omnium.

Et quidem generaliter hominum curam esse Angelis demandatam, liquet ex Josue Cap. V. et VI., ex Danielis X., et Apoc. pluribus in locis. Illud etiam apertissimum est Ps. XC. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

Idipsum variis exemplis in utroque testamento declaratur, ut Tobiae, Danielis etc. Hinc etiam Angeli a SS. Patribus passim vocantur *vitae nostrae spectatores*, *curatores generis humani*, *Ecclesiae inspectores*, *hominum praesides*, *custodes*, *paedagogi*, *ac morum gubernatores*. Et haec certa sunt apud omnes.

§. LXXVII.

Et peculiaris singulorum.

Dubitatum tantummodo fuit ab aliquibus, an singulis hominibus singuli Angeli ad custodiam deputati sint. (*) Verumtamen haec peculiaris Angelorum destinatio singulis hominibus, praecipue autem fidelibus et electis, tot, tantisque Scripturarum oraculis, Sanctorumque Patrum testimoniis confirmatur, ut plane sine temeritatis nota negari non posse videatur. Nam primo multa hujusmodi exempla suppeditat Scriptura, ut Angeli illius, qui curam Agar gerens salutare ei consilium praebuit, ut Sarae Dominae suae subjiceretur Genes. XXI.; illius etiam, qui Jacob custodiebat Genes. XXXI. Judith pariter Angelum se custodientem memorat Cap. XIII. 20. Et, ut multa alia praeteream, insignis est locus Matth. XVIII. 10., ubi de parvulis Christus dicit: *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei.* Ex his autem verbis ita colligebat S. Joan. Chrysostomus: *Hinc manifestum est, quia omnes sancti Angelos habeant*; et sine ulla restrictione S. Hieronymus, *Magna*, inquit, *dignitas est animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.*

§. LXXVIII.

Sed praeter Chrysostomum, et Hieronymum non pauci alii Patres idipsum comfirmant. Nam Origenes

(*) Calvinus primo hac de re dubitare visus est Lib. I. *Instit.* cap. 14. §. 7. Sed postea aliis in locis exuta dubitatione id tanquam commentum explosit, immo aliquando asserere non est veritus, hoc fingendum astu diaboli invectum fuisse, ut fiducia in Christum mediatorem minueretur; quasi scilicet nos catholici non profiteamur hanc ipsam Angelorum custodiam singulare esse Salvatoris nostri beneficium.

Homil. 20. in *Num. Adest*, inquit, *unicuique nostrum etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moveat, qui gubernet*. Quod idem asserit Eusebius Lib. 13. *Praeparat. Evangel.* Sanctus autem Basilius Lib. 2. *contra Eunomium*: *Quod unicuique*, inquit, *fidelium adsit Angelus tanquam paedagogus aliquis, et pastor, vitam gubernans, nemo contradicit, qui verborum Domini meminerit, dicentis: Ne contemnatis unum ex his pusillis; quoniam Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est*. Ab aliis similibus Patrum testimoniis afferendis supersedere nos cogit necessaria brevitas; sed dignus est, qui prae caeteris legatur S. Bernardus in sermonibus super Psalm. *Qui habitat*.

§. LXXIX.

Saltem respectu fidelium.

Quae cum ita sint, dubitari minime potest, unicuique hominum, *saltem fidelium*, semper praesto esse Angelum custodem; quamquam nulla, quod sciam, hac de re extet Ecclesiae definitio. Dixi autem *saltem fidelium*, nam Origenes Homil. 6. *in Matth.* nonnullorum opinionem refert, qui censebant, Angelos hominibus ad custodiam destinari solum a tempore baptismi; et insuper de infidelibus non adeo concors est veterum PP. opinio, quemadmodum est de fidelibus, atque electis. Communiter tamen modo censent Theologi, nemini hominum hoc Angelicae custodiae beneficium deesse.

§. LXXX.

Non inde sequitur Angelos esse inferiores hominibus.

Neque vero ex hoc sequitur, Angelos esse inferiores hominibus, quibus ministrant; non enim in hujusmodi ministerio proprie serviunt hominibus, sed Deo; sicut opilio non ovibus servire dicitur, quas custodit, sed Domino, ad quem oves pertinent. Quamquam S. Bernardus Serm. 11. super Ps. XC. non dubitavit Angelos appellare *plane ministros nostros, non Dominos nostros*, ex quo tamen non fit, ut eos crediderit hominibus inferiores; quia ut ibidem observat: *In hoc Unigeniti formam imitantur, qui non venit ministrari, sed ministrare.*

§. LXXXI.

Nec eorum custodia est supervacanea.

Neque ulterius dici potest haec Angelorum custodia hominibus supervacanea: quamquam enim Deus omnes homines, et praecipue electos, providentia sua custodiat, nihil tamen obest; quin ministerio Angelorum ad hoc ipsum etiam utatur: sicuti Ecclesiam suam invisibiliter ipse regit, nec tamen ut supervacaneum excludit visibile ministerium Pastorum. Et quamquam Angeli nativa sua virtute internas hominum cogitationes, quae soli Deo patent, certo noscere nequeant, possunt tamen naturali sua perspicacia ex actionibus externis plerosque animorum nostrorum sensus perscrutari. Neque insuper dubitandum est, quin Deus illis revelet quaecunque sunt ad nostram custodiam necessaria.

§. LXXXII.

Haec opinio ex Gentilium superstitione orta non est.

Multae aliae sunt minoris momenti difficultates, quas expendere non vacat: dissimulanda tamen non est quorumdam calumnia, qui hanc de Angelorum custodia doctrinam ex ethnica superstitione in religionem nostram promanasse objiciunt. Nemo enim ignorat, quanta de geniis ethnici Philosophi fabulati sint. Verumtamen qui luculenta in hanc rem a nobis allata Scripturarum testimonia attente consideret, quomodo suspicari poterit, ex Paganorum superstitione, et non potius ex divina revelatione hanc de Angelis custodibus persuasionem primis fidelibus, et SS. Patribus insedisse? Quare non potius dicamus, ex reliquiis divinae revelationis, quae per Noe ad omnes gentes παραδόσει propagata est, hanc geniorum hominibus assistentium traditionem apud Ethnicos profluxisse? quamquam postea hominum vitio haec veritas, ut nonnullae aliae, fuit multis superstitionibus foede contaminata. Confer Huetium *in Quaest. Alnet.* Lib. 2. cap. 4. §. 3.

Scholion. Hoc caput absolvimus cum S. Bernardo, qui expendens illa verba Ps. XC. *Angelis suis mandavit de te* etc. haec inter alia multa habet, serm. 12.: *Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! reverentiam pro praesentia, devotionem pro*

benevolentia, *fiduciam pro custodia*. Et postquam de devotione, quam eis debemus, fusius disseruisset, ita demum concludit: *Neque enim Apostolus, ubi ait: Soli Deo honor, et gloria, prophetico credendus est obviare sermoni, qui sibi etiam amicos Dei nimis honorificatos esse testatur.* Atque ita mellifluus Doctor mirifice explicat, quomodo sanctos Angelos non solum amare, sed honorare etiam, et venerari debeamus, quin tamen hinc laedatur ille summus honor, nempe *latriae*, quem soli Deo debemus. Et de Angelis bonis satis multa pro re nostra: nunc pauca etiam de malis.

CAPUT XI.

De paena malorum Angelorum.

§. LXXXIII.

Quemadmodum boni Angeli in accepta justitia divinae gratiae ope perseverantes aeternae felicitatis praemium consecuti sunt, ita mali, qui ab eadem justitia proprii arbitrii perversitate desciverunt aeternis suppliciis justo Dei judicio condemnati sunt; et quemadmodum boni in gratia confirmati peccare amplius non possunt; ita mali omnino obdurati peccato obstinate adhaerent. Angeli mali communiter *daemones* appellari solent, et S. Augustino teste Lib. 9. *de civit. Dei* cap. 19., hoc nomen in sacris Litteris nonnisi Angelis malis tribuitur. Eaedem sacrae Paginae nobis exhibent aliquem malorum Angelorum quasi Principem, quem Christus Dominus Matth. XXV. 41. appellat *diabolum*, alibi autem dicitur *Princeps hujus mundi*, *Princeps tenebrarum*, *Princeps potestatis aeris hujus*, *Lucifer*, *Belial*, *Beelzebub*, *Satan*, *Serpens*, *Draco* etc. quibus vocabulis ipsius potius malitia, quam natura significatur; natura enim eadem, quae initio fuit, etiam post peccatum permansit; et pervulgata est illa Dionysii vulgo Areopagitae sententia: *Naturalia in daemonibus remanserunt integra* (*).

Daemones in malo obstinati.

(*) **Longum, et inutile foret Rabbinorum quorumdam chimaeras de malorum Angelorum ortu, et natura exponere, et refellere. Alii enim eos natos esse comminiscuntur ex**

§. LXXXIV.

Corpore carent.

Hinc communiter credunt Theologi, Daemones non minus ac Angelos bonos incorporeos esse; quamvis nonnulli ex veteribus opinati sint, Angelis malis in poenam suae rebellionis fuisse corpora aerea tributa, quo possent inferni flammis cruciari. Immo Graeci in Concilio Florentino hanc opinionem tueri conati sunt, quam tamen S. Hieronymus in epist. 124. *ad Avitum* inter errores Origenis recenset. His breviter praemissis,

§. LXXXV.

Eorum poenae.

Peccatum Angelorum non una consecuta est poena; nam 1. gratia sanctificante, qua omnes exornatos fuisse diximus §. LXIV. illico privati sunt. 2. Privati sunt etiam caelesti illa beatitudine, ad quam omnes ordinati erant, et quam Angeli boni acceperunt; scilicet visione beatifica, quae poena est omnium maxima. 3. Quamquam eorum naturales facultates integrae permanserint quantum ad substantiam, fuerunt tamen aliqua ratione diminutae, obscurato scilicet eorum intellectu in vera cognitione boni, et voluntate obdurata in malo; quod utrumque perspicue explicat S. Thomas 1. P. Q. 64. art. 1., et 2. Hinc ut erronea prorsus habetur opinio Origenis, qui putabat, futuram aliquando esse daemonum conversionem, eorumque salutem. Postrema demum Angelorum malorum poena est damnatio ad ignem inferni; quamvis non desint Theologi, qui hanc poenam nondum eis inflictam, sed solum in die judicii infligendam censent; cum Chri-

---

commercio Angeli Sammael cum Eva, antequam Adam eam cognosceret. Alii filios Adam eos esse finxerunt. Alii filios Noemae sororis Tubalcain. Alii filios Lilith, quam etiam interemtricem infantium essa fabulantur. Alii alias vendunt fabellas, quarum tamen Rabbinos prudentiores pudet; ut videre est apud Maimonidem *de fundam. legis* cap. 1. Dolendum est etiam, nonnullos ex nostris hujusmodi naeniis fidem adhibuisse, ac inter alios Lactantium, qui Lib. 2. *Divin. Institut.* cap. 14. daemonum generationes nescio quas confinxit.

stus dicat Matth. XXV. 41. ignem eis esse paratum (*).

§. LXXXVI.

Poena ignis.

Bona tamen, et melior Theologorum pars non sine gravibus fundamentis censet, daemones illico post peccatum fuisse ignis infernalis supplicio addictos, quemadmodum Angeli boni illico receperunt suae perseverantiae praemium, scilicet visionem beatificam. Nam primo id constat ex testimoniis SS. Petri, et Judae supra §. LXV. allatis, ubi, observante Estio, eadem ratione sermo est de poena inflicta daemonibus, ac de aliis, quae protoparentibus nostris, Sodomitis, et Gomorrhaeis non praeparatae tantummodo, sed reipsa inflictae fuerunt. Praeterea non videtur diversa esse ratio daemonum, atque hominum, quorum tamen animas, si in peccato decedant, continuo gehennalibus flammis cruciari certissimum est. Demum nec deest huic sententiae SS. Patrum suffragium, praecipue autem Bedae, et Prudentii; quamvis negari nequeat, nonnullos eorum illi adversari, qui videri possunt apud Petavium Lib. 3. *de Angelis* cap. 4.

§. LXXXVII.

Quomodo ignis agat in spiritus.

Se illud difficile explicatu est, quomodo spiritus incorporei possint corporeis flammis torqueri (**).

(*) Ita inter alios Cajetanus in comment. ad cap. 2. Epist. 2. S. Petri, et Fevardentius in Scholiis ad cap. 27. Lib. 5. S. Irenaei.

(**) Aliqui Theologi, ut se ab hac difficultate extricarent, audacter negarunt, daemones, et animas hominum corporeo igne cruciari. Ita post Origenem, quem S. Hieronymus redarguit in epist. 124. *ad Avitum*, Ambrosius Catharinus, vir in paucis eruditus, sed liberioris ingenii. Ex Heterodoxis autem nonnulli id ipsum senserunt una cum Calvino, qui in Lib. 3. *Institut* postr. cap. aliisque in locis nomine ignis nihil aliud intelligit, quam *internum malae conscientiae cruciatum.* Major tamen eorum pars orthodoxis hac in re consentit, qui verba Christi *ignem aeternum* de vero, ac corporeo igne semper intellexerunt; quamvis nulla hactenus extet de hoc dogmate ecclesiastica definitio; unde plures, gravesque auctores id ad catholicam fidem minime pertinere arbitrantur. Confer Sylvium ad art. 4. Qu. 70. *in supplem.* Ceterum ignem inferni esse verum, multis, et invictis argumentis ostendit P. Vinc. Patuzzi *de futuro impiorum statu* Lib. 4.

S. Augustinus Lib. 21. *de civit. Dei* cap. 10. id fieri dicit *miris*, *sed veris modis*. Sed alii Theologi varias hujus rei explicationes afferunt, quae videri possunt apud S. Thomam in 4. *sentent.* Dist. 44. Qu. 3. art. 3. Illa autem videtur verisimilior, quam S. Doctor adoptat, scilicet id fieri, quatenus ignis inferni, ut divinae justitiae instrumentum spiritus reprobos alligat, impeditque a propriae voluntatis executione.

§. LXXXVIII.

Daemones plures in aere degunt.

Porro ut Daemones inferni igne torqueantur modo explicato, necesse non est, eos omnes esse in ipso carcere infernali inclusos; certum enim videtur, non exiguam eorum partem etiam super terram versari; cum Job cap. I. et II. Satan dicat, se *circuivisse universam terram*, et ut superius vidimus §. LXXXIII. Diabolus vocetur *Princeps hujus mundi*, vel *Princeps potestatis aeris hujus*. Accedit veneranda Patrum auctoritas, quorum omnium instar erit S. Hieronymus, qui explicans illud Ephes. VI. 12. *Contra spiritualia nequitiae*, *quae sunt in coelestibus*, daemones esse in hac aeris atmosphaera pro certo habet, et subdit: *Haec autem omnium Doctorum opinio est*, *quod aer iste*, *qui caelum*, *et terram dividens inane appellatur*, *plenus sit contrariis fortitudinibus*. Quid autem daemones in hac telluris superficie agant, sequ. capit. explicare aggredimur.

CAPUT XII.

Daemones ex Dei permissione hominibus insidiantur.

§. LXXXIX.

Daemonis tentationes externae, et internae.

DÆmones ex invidia, et malevolentia ipsis post peccatum insita, animabus, corporibusque nostris Deo permittente insidiari, adeo certum ex Scripturis, et traditione est, ut mirabile videatur, aliquos nostro aevo extitisse, qui id inficiari, aut saltem in dubium revocare ausi fuerint. Inter mille autem nocendi artes potissima, et frequentissima est eorum

tentatio tam externa, quam interna. Atque externae quidem primum funestissimum exemplum exhibet Eva in ipso primaevae innocentiae statu. Aliud exemplum suppeditat Jobi historia; ac tertium denique in Jesu Servatore nostro habemus; quod considerans S. Leo serm. 2. *in Quadrag.* cap. 3. *Quem enim*, inquiebat, *tentare non audeat, qui nec ab ipso Dom. Nost. Jes. Chr. conatus suae fraudis abstinuit?* Tentationis autem internae documentum nobis suppetit in mortalium omnium infelicissimo Juda, de quo ait Joannes XIII. 2. *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotae* (clarius autem in graeco textu: Τȣ̃ διαβόλȣ ἤδη βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν Ἰȣ́δα κ. τ. λ.) *diabolo jam jaculato in cor Judae Simonis Iscariotae, ut eum traderet.* Hinc sunt etiam illae tam frequentes in Scriptura exhortationes, ut vigilemus et oremus, *quia adversarius noster diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.*

§. XC.

Infinitus autem plane essem, si omnia SS. Patrum testimonia afferre vellem, quibus nos de fraudibus daemonis admonent, ut ab iis praecaveamus; et nonnullas etiam et varias illius apparitiones recensent, quibus sanctos viros seducere, aut absterrere conatus est. Sufficit hac de re legere vitam S. Antonii Abbatis, non ab insulso, aut credulo aliquo scriptore, sed a magno Athanasio litteris consignatam.

A quibus cavendum Patres monent.

§. XCI.

Neque vero aliquis objiciat aut verba Christi dicentis, *Principem hujus mundi ejiciendum foras* Joan. XII. 31., aut alia Apocal. XX., quibus diabolus vinctus dicitur. Non enim haec, et hujus generis alia significant, omnem ademtam esse diabolo nobis insidiandi potestatem, sed tantum eamdem esse diminutam, et fractam, nobisque per mortem Christi ea esse arma suppeditata, *quibus possimus stare adversus insidias diaboli*, ut loquitur Apostolus Ephes. VI. 11. Audiatur S. Joannes Chrysostomus, qui Homil. 3. *contra ignaviam* pro certo habens, diabolum variis artibus contra nos pugnare: *Iis*, inquit; *qui vigilant, et sibi attendunt, non modo*

Quomodo diabolus ligatus?

nihil nocet, sed etiam utilis est, non arbitrio suo, quod malum est, sed illorum fortitudine, qui malitia ejus, ut par est, utuntur. Sed de artibus diabolicis ad irretiendos homines pleni sunt SS. Patrum libri. Videri possunt inter ceteros sermo 27. S. Leonis P., et sermo S. Cypriani *de zelo, et livore.*

§. XCII.

Quomodo illabatur mentibus hominum?

Hinc est etiam, quod aliqui Patres dicunt, daemonem *illabi in mentes hominum, malas cogitationes immittere, atque ipsa corda nostra incendere.* Immo S. Petrus Act. V. Ananiam objurgans ex textu graeco hac eadem phrasi usus est, inquiens: *Cur implevit Satanas cor tuum?* Ita legunt hunc textum etiam quidam Latini, ut Fulgentius, Hieronymus, et Beda. Haec tamen non ita intelligenda sunt, quasi daemones nos ad consentiendum tentationibus insuperabili vi adigant, sed ut interpretatur S. Thomas 1. P. Qu. 111. art. 2. ad 2., dicitur diabolus incensor cogitationum, in quantum incitat ad cogitandum, vel ad appetendum cogitata per modum persuadentis, vel passionem concitantis; quibus tamen daemonis artibus gratia Dei adjuti semper resistere possumus; ut enim dicit Apostolus I. Corinth. X. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Ibidem etiam Angelicus in corp. art. statuerat, solum Deum *efficaciter* posse movere voluntatem, Angelum autem, et hominem per modum suadentis (*).

(*) Neque vero huic doctrinae contrarius esse potest ille canon, quem ex concilio Ephesino citat S. Gregorius P. Lib. 7. Epist. 30. *ad Eulogium*: *De Adae anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quod diabolus in cor hominis non ingrediatur, et si quis hoc dixisset, anathema esset.* Obscura sunt haec verba, et crucem eruditis figunt; sed doctissimus P. le-Quien in notis ad Lib. S. Joan. Damasceni *de Haeres.* num. 80. perspicue ostendit, canone illo fuisse condemnatum errorem Massalianorum, qui *duas in quolibet homine animas ponebant, communem unam, coelestem alteram, qua per peccatum exclusa mortuus homo censeretur: insuper diabolum cum homine peccatore* ὑποστάτως *consubstantialiter conjungi, nec ulla baptismi, alteriusve Sacramenti virtute abigi, nisi per orationem.* Verum de tentationibus daemonum, deque armis, quibus eas

Scholion. Inter alias Daemonis artes ad fallendum homines hanc etiam merito observat Sanctus Augustinus Lib. 19. *de civ. Dei.* cap. 9. quod transfigurat se aliquando in Angelum lucis, ut legimus II. Corinth. XI. et quidem tanta similitudine, ut facile haud sit, ejus dolos, et fallacias detegere; unde concludebat: *Magnam misericordiam necessariam esse, ne quisquam, cum bonos Angelos amicos se habere putat, habeat malos daemones amicos fictos, eosque tanto nocentiores, quanto astutiores, ac fallaciores patiatur inimicos.*

CAPUT XIII.

Daemones Deo permittente quandoque hominum corpora obsident.

§. XCIII.

Obsessio corporum a daemonibus possibilis est.

Si quid est in Religione nostra perniciosis abusibus obnoxium, certe haec doctrina est de daemonibus corpora hominum obsidentibus; plurimorum enim ignorantia, superstitione, ac malitia persaepe fit, ut obsessorum a daemone numerus temere et falso augeatur, multique pro daemoniacis ex levibus rationibus imperite habeantur, unde plurima exoriuntur mala. Non ideo tamen neganda est veritas, quam sacrae Litterae, sanctorumque Patrum Traditio aperte nobis commendant: immo ideo magis hoc nostro aevo necessarium videtur, quo increduli his veritatibus labefactatis ad ipsa Religionis fundamenta convellenda viam sibi sternere studiosius nituntur. Dabimus igitur operam, ut corpora hominum aliquando a daemonibus Deo permittente obsideri ostendamus, simul tamen monendo, ne faciles omnibus iis aures praebeamus, qui se a daemone obsessos aut decepti credunt, aut simulate fingunt. His breviter praemissis,

---

vincamus, dignus est, qui legatur disertissimus Duguet *Explic. du Myst. de la Passion.* P. 2. cap. 6. tum etiam Bossuet *Ele. sur les Myst.* 2. 3. *Sem. Elev.* 5. et seq. atque imprimis S. Thomas 1. p. qu. 114. art. 1. et 2.

§. XCIV.

Monitum serio advertendum.

Primo attenta daemonum natura hominibus superiore nullo pacto impossibile est, eos sic Deo permittente nostra corpora intima pervadere, eorumque organa agitare, et movere, ut variae inde prodeant actiones, animae nostrae imperio quasi suspenso et impedito. Parum autem interest definire, an id per miraculum, et supernaturaliter fieri dicendum sit, an vero vi naturali daemonum, quemadmodum vi sua naturali anima subjectum sibi corpus regit, ac movet. Nec ullum hactenus allatum est argumentum, quo demonstrari possit, divinae sapientiae, aut bonitati minime convenire, ut id daemonibus permittatur; verum contra id reipsa Deum permisisse multa in sacris Litteris luculentissima exempla demonstrant.

§. XCV.

Immo reipsa factam esse Scripturae ostendunt.

Atque ut taceam de Saule, quem *spiritus malus exagitabat* I. Regum XVI. et de Sara Raguelis filia, a qua Raphael Angelus daemonium ejecit Tobiae VIII., non paucos energumenos a Christo liberatos nobis Evangelica exhibet historia. Plane autem ridiculi sunt, qui haec Christi miracula mystice interpretari conantur de curatione morborum, non autem de expulsione daemonum; Scriptura enim nimis aperte loquitur, Christum praecepisse spiritui immundo, ut exiret, Marci IX. 24. et innumeris aliis in locis. Hinc etiam est iniqua illa juxta ac insulsa Pharisaeorum calumnia, quod Jesus in Beelzebub principe daemoniorum daemonia ejiceret, quae licet inepta, certo tamen supponit, Christum reipsa daemonia ejecisse: immo Christus hanc putidam calumniam a se repellens, ex hac ipsa potestate ejiciendi daemonia divinam suam missionem invicte ostendebat dicens: *Si ego in spiritu Dei ejicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei*, Matth. XII. 24. et seq.

§. XCVI.

Etiam post Christi mortem.

Frustra autem sunt, qui hanc potestatem obsidendi corpora daemonibus ademtam esse volunt post Christi passionem; Christus enim inter alia, quae

discipulis suis, immo et fidelibus dona promisit Marci XVI. 17. hoc etiam ponit: *In nomine meo daemonia ejicient*; quod manifeste indicat, etiam post suam ascensionem ad coelum daemoniacos futuros. Et ulterius similes liberationes daemoniacorum ab Apostolis factas Scriptura recenset; nam Act. V. 16. Petrus dicitur curasse vexatos a spiritibus immundis; et Pauli sudaria, et semicinctia spiritus nequam expellebant Act. XIX. 12. ubi etiam narratur, id tentatum fuisse a quibusdam Judaeis exorcistis, et quidem in nomine Domini Jesu, quem Paulus praedicabat; respondisse autem spiritum nequam: *Jesum novi, et Paulum scio, vos autem qui estis?* Eandem quoque auctoritatem expellendi daemones a corporibus viguisse postea in Ecclesia testis est Tertull., qui *in Apologet.* cap. 23. ita fidenter Ethnicos provocabat: *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem daemone agi constet: jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso*; unde etiam concludebat, subjectas esse Christianis divinitates Gentilium.

§. XCVII.

Et omnibus Ecclesiae seculis.

Longum autem nimis esset, per omnia posteriora secula percurrendo ostendere, hanc gratiam liberandi energumenos nunquam in Ecclesia defuisse. Et quamquam non is ego sum, qui omnia, quae in hac materia narrantur, probare velim, aut possim, illud tamen certissimum est, constantem, et universalem SS. Patrum, atque etiam fidelium persuasionem fuisse, primo daemones Deo annuente corpora hominum obsidere; secundo esse in Ecclesia potestatem, eosdem e corporibus expellendi. Huc etiam spectant exorcismi, quibus a primis usque temporibus ad abigendas insidias daemonum Ecclesia semper usa est, qua de re legi meretur erudita Disquisitio *de energumenis, eorumque exorcismis*, qua doctissimus S. R. I. Princeps Martinus Gerbert O. S. B. Monast. et Congr. S. Blasii in Sylva nigra Abbas novissime rem publ. Litter. locupletavit *in Vet. Liturgia Alleman. disquisit. notis, et observat. illustrata.* Addi potest etiam Cl. Duguet dissert. *de Exorcismis.* Immo *ab ipso Ecclesiae ini-*

tio Exorcistae nomen, et ministerium fuisse asserit Tridentina Synodus Sess. 23. cap. 2.

§. XCVIII.

Quomodo veri daemoniaci discerni queant?

Una est difficultas minime dissimulanda, quod facile plerumque non sit, veros daemoniacos a fictis, falsisque discernere; tum quia morbi naturales, quorum causa ignoratur, ut daemonis obsidentis effectus nonnunquam accipiuntur, tum etiam quia hominum fraude vel ipsi oculatiores decipi possunt. Verum huic difficultati resp. primo saltem de illis energumenis, quorum mentio in sacris Litteris fit, dubitari a viro catholico non posse: secundò, nec dubitari prudenter posse, plurimos ex infinita illorum multitudine, quos Auctores cordati, et graves recensent, vere daemoniacos fuisse. Tertio, talia aliquando ab obsessis fieri, quae nonnisi a daemonis virtute proficisci queunt etc. Demum certum est, in Exorcistis praeter vitae sanctimoniam, orationes, jejunia, et alia in ritualibus praescripta, summam etiam requiri prudentiam. Videri potest, quid Rituale Romanum hac de re sapienter praescripserit; et quae Van-Espen P. 3. *Jur. Eccl.* Tit. 4. in fine ex nonnullorum Episcoporum ordinationibus collegit.

§. XCIX.

Dei bonitati non repugnat permittere daemoni, ut obsideat corpora.

Sed et illud postremo loco breviter addendum censemus, frustra nonnullos incredulos nobis objicere, divinae bonitati consentaneum non videri, ut malis, et rebellibus spiritibus permittat in homines ita dominari, praecipue si justi sint, et amici Dei. Frustra, inquam, nam primo ita colligere possumus: Scriptura et Traditio nos perspicue docent, id fieri; ergo id permittere divinae bonitati est consentaneum. Deinde quamquam omnia Dei consilia nobis perscrutari non liceat, dicere tamen tuto possumus, peccatoribus id accidere in poenam, justis ad certamen, et coronam, ac semper ad Dei gloriam manifestandam.

CAPUT XIV.

De Artibus magicis, et superstitiosis cum daemone commerciis.

§. C.

Optime de Religione, atque hominum societate merentur, qui pervulgatam illam, quae superioribus seculis ubique fere in Europa regnabat, de sagarum, ac maleficorum multitudine opinionem impugnare student. Plus quam certum enim videtur, non paucos homines aut plane innocentes, aut saltem nullius capitalis criminis reos fuisse infeliciter rogo damnatos; qua de re sufficit legere utilissimum librum P. Frid. Spee: *Cautio criminalis, seu de processibus contra sagas.* (*) Sed, ut fieri solet, nonnulli Eruditi paucis abhinc annis ita contra hujusmodi abusus invecti sunt, ut in oppositum extremum dilaberentur, spreta communi SS. Patrum, ac Theologorum opinione, omnem prorsus artem magicam inficiantes. Et quidem eorum aliqui magiam usque ad Christum extitisse fatentur, post autem prorsus abolitam fuisse contendunt. Alii vero magiam nullo unquam tempore vere exercitam fuisse statuunt.

Non facile credenda, quae de Magis divulgantur.

§. CI.

Nos hic magiae nomine intelligimus (variae enim sunt hujus vocabuli interpretationes, quas persequi non vacat) *pactum aliquod, vel societatem cum daemone ad aliquid ipsius ope consequendum*; quod

Quid Magiae nomine intelligamus?

(*) Hic liber prae aliis fuit de genere humano optime meritus; plurimorum enim Principum oculos aperuit, ne praetextu contra maleficos saeviendi plurimos innocentes infamia notari, atrociter excruciari, ac denique extremo supplicio affici permitterent. Non omnia tamen probare possum, quae in eo continentur; ut cum a peccato lethali eos absolvit, qui ob torturae violentiam reos se esse mentiebantur, aut alios innocentes accusabant, aut, quod intolerabilius est, in ipsa sacramentali confessione metu novae torturae mentiri pergebant.

non eo sensu dicitur, ut quidam putant, quasi omnes illae conditiones habeantur, vel haberi possint, quae ad verum pactum, seu foedus ineundum necessario ex legibus requiruntur, sed pactum hic latiori sensu sumitur, prout aliquid ex utraque parte aut exhibitum, aut promissum, aut saltem speratum importat. Dicitur autem hoc pactum cum daemone duplex, scilicet *explicitum*, et *implicitum*. Primum est, cum aliquis expresse cum eo paciscitur; alterum consistit in quibusdam signis, vel factis superstitiosis, quibus positis aliquis expectatur effectus, qui nec a Deo speratur, nec communi naturae ordine provenire potest; ac proinde solius daemonis ope eventurus creditur.

§. CII.

Divinis, et humanis Legibus est prohibita.

Nemo plane est, qui hujusmodi pacta ut illicita non condemnet, utpote divinis, et humanis legibus frequenter prohibita: *Omnia haec* (dicitur de iis Deut. XVIII. 10. et seq.) *abominatur Dominus*; et Levit. XIX. 31. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini* etc. atque ut plurima alia omittam, omnem cum daemone societatem detestatur Apostolus I. *Corinth. X.* 20. Immo vel ipsa lege naturali id prohibitum esse, dubitari non potest; quamobrem vel apud Romanos, aliosque cultiores populos, licet idololatras hoc cum malis geniis commercium vetitum fuisse S. Augustinus ostendit Lib. 8. *de civit. Dei* cap. 19. Plurimas autem contra magiam leges ab Ecclesia, et Principibus secularibus latas in medium afferre supervacaneum reor, cum nemo id in dubium revocet.

§. CIII.

An reipsa Magia existat?

Dubitari solum, et quidem non ante multos annos coeptum est, an diabolica haec ars reipsa existeret, an vero fictitia esset, et tota in vafrorum hominum fraudibus, vel in hebeti deceptarum muliercularum imaginatione consistens. Dixi ante paucos annos; nam ii ipsi, qui infandam illam, quae seculis superioribus facta est, strigum conflagrationem amare deplorabant, multos quidem innocentes injuste excruciatos, atque ad rogum damnatos ve-

hementer dolebant, non tamen eousque pervenerunt, ut nefandissimum hoc cum Satana commercium aut impossibile, aut saltem fictitium esse contenderent. Testis hac in re sit ille ipse P. Frid. Spee supra laudatus, quo nemo ardentius, ac solidius contra judicum excessus innocentum causam tutatus est. Ille vero suum librum exorditur a quaestione: *An Sagae, Striges, seu Malefici revera existant*; et sine haesitatione affirmative respondet.

CAPUT XV.

De creatione hominis, ejusque primaeva integritate.

§. CIV.

Quomodo homo ad imaginem Dei creatus?

Post brevem hunc de bonis, malisque Angelis tractatum redimus ad hominem, quem post alia omnia creatum fuisse diximus cap. IV. Porro inter ceteras ipsius excellentias illud maxime considerandum est, quod Scriptura dicit, ipsum fuisse *ad imaginem Dei* creatum, quod de solo homine, non autem de ceteris creaturis dictum esse invenimus. Praetermissis autem subtilioribus quibusdam SS. Patrum, atque Interpretum hujus loci explicationibus, quae praecipua tantum sunt, breviter attingemus.

§. CV.

Tribus modis id explicatur a SS. PP.

Tres potissimum afferuntur a SS. Patribus rationes, propter quas homo Dei imago appellatur. 1. Propter rationem, qua ut S. Augustinus inquit Lib. 24. contra Faustum cap. 2., Deum cognoscit, in quo ceteras omnes creaturas longe praecellit. 2. Propter libertatem arbitrii, qua Deum a se cognitum amare potest, et debet. 3. Propter dominium, quo rebus omnibus, quae super faciem terrae sunt, praeest et utitur. Porro SS. Patres modo unam afferunt ex his rationibus, modo alteram, et aliquando etiam omnes tres. Ipsorum testimonia videri possunt apud Petavium *de opif. sex dier.* Lib. 2. cap. 2. et seq.

§. CVI.

Qui etiam conveniunt Angelis.

Illud tamen notandum est, non hominem solum, sed etiam Angelum factum esse ad imaginem Dei, tum propter mox allatas rationes, quae Angelo etiam conveniunt; tum etiam quia Ezech. XXVIII. 12. Angelo dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia* etc.; immo S. Thomas 1. P. Q. 93. art. 3. ostendit, imaginem Dei esse magis in Angelis, quam sit in hominibus, quia intellectualis natura in eis perfectior est.

§. CVII.

Solum tamen Verbum est perfecta imago Patris.

Atque illud postremo observandum est, neque hominem, neque Angelum perfectam dici posse imaginem Dei; hoc enim nomen proprie unigenito ejus Filio convenire ostendimus P. III. §. CLVI. Est igitur homo imago Dei creata, et quidem, ut S. Thomas distinguit 1. P. Q. 93. art. 4., tripliciter haec imago in nobis considerari potest; 1. prout quilibet homo intellectu, et voluntate pollet, ad cognoscendum, et amandum Deum: atque hoc modo imago Dei est in omnibus: 2. prout homines actu vel habitu Deum cognoscunt, et amant: et haec imago perfectior, quae est ex gratia, invenitur tantum in justis: 3. demum imago Dei, eaque perfectissima invenitur in Beatis, qui actu Deum vident, e intensissime amant; unde etiam S. Joannes in 1. epist. III. 2. inquiebat: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Sed de his omnibus, quae spectant ad imaginem, et similitudinem Dei, dignus est, qui legatur S. Thomas in tota Qu. 93. mox laudata; pauca nunc addenda sunt de primaevae integritatis statu, in quo homo creatus fuit.

§. CVIII.

Prima integritas hominis in anima.

Et primo quantum ad animam, certum est eum fuisse gratia sanctificante exornatum; qua justus, sanctus, Deique amicus effectus est; nam Synodus Trident. sess. 5. cap. 1. ita definivit: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, anathema sit.* An autem in hac

gratia fuerit Adam creatus, an vero post creationem haec fuerit illi infusa, quaestio est, quam teste Card. Pallavicino Lib. 7. *Hist. Conc. Trid.* cap. 8. Concilium definire noluit. Prima tamen sententia, quam S. Thomas 1. P. Qu. 95. art. 1. post S. Augustinum defendit, longe probabilior est, et consentanea verbis Ecclesiastes VII. 30. *quod fecerit Deus hominem rectum*; haec enim rectitudo in hoc maxime sita erat, ut anima subderetur Deo, non secundum naturam tantum, sed maxime secundum supernaturale donum gratiae.

§. CIX.

Ex gratia sanctificante.

Immo Angelicus Doctor ex hoc ipso supernaturalis gratiae dono alias repetit status illius felicissimi dotes; nempe quod rationi subderentur vires inferiores, et animae corpus, quod aperte asserit S. Augustinus Lib. 13. *de civit. Dei* cap. 13. inquiens: *Anima libertate in perversum proprie delectata, et Deo dedignata servire, pristino corporis servitio destituebatur: et quia superiorem Dominum suo arbitrio deseruerat, inferiorem famulum ad suum arbitrium non tenebat .... tunc ergo coepit caro concupiscere adversus spiritum.* Ex quibus verbis colligit Angelicus, illam subjectionem corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem, non fuisse solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiae.

§. CX.

Unde immortalitas etiam in corpore.

Neque solum ex dono gratiae supernaturalis homo innocens consecutus erat, ut caro subjiceretur spiritui, et appetitus rationi, verum etiam ut corpus esset immortale; certum est enim, mortem per primum ipsius peccatum intrasse in mundum, ut Apostolus testatur Rom. V. 12; et Sap. II. 23. aperte dicitur: *Deus creavit hominem inexterminabilem* (seu ut graecus textus habet ἐπι ἀφθαρσία *ad incorruptibilitatem*) *et ad imaginem similitudinis suae fecit illum; invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Hinc Pelagiani, qui dicebant, Adam sive peccasset sive non peccasset, fuisse moriturum, a S. Augustino invicte confutati sunt, atque in variis Conciliis damnati, potissimum

autem in illo plenario totius Africae an. 418., in quo ita definitum fuit: *Quicunque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, anathema sit*: quod postea ab Innocentio, et Caelestino RR. PP., a Syn. Arausicana II., ac demum a Concilio Trident. sess. 5. can. 1. et 2. confirmatum fuit.

§. CXI.

Quod uberius explicatur.

Hoc autem non ita intelligendum est, quasi natura hominis ita per se immortalis creata esset, quomodo immortales sunt Angeli, et quomodo immortales nos erimus post resurrectionem, ita ut Adam mori non posset; sed dono gratiae consecutus fuisset, ut semper vegetus, et sanus conservaretur, quomodo Deus Israelitarum vestes in deserto integras conservavit, nec mortuus proinde umquam fuisset. Hinc etiam S. Augustinus Lib. 6. *de Gen. ad Litt.* cap. 21. de corpore Adami inquit: *Illud quippe ante peccatum, et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat; id est mortale, quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori*; et cap. 25.: *Aliud est non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus; aliud est posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei praestabatur ligno vitae, non de institutione naturae . . . mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris.* Et hanc doctrinam exponit etiam S. Thomas 1. P. Qu. 97. art. 1. Sed de his fusius agit Estius in Lib. 2. *Sentent.* Dist. 19. §. 2. et sequ.; praecipuè §. 9. et 10., ubi explicat, quomodò immortalitas primi hominis innocentis potuerit dici *naturalis* (*).

(*) Eruditus P. Joann. Garnerius Dissert. 7. in Marium Mercat. *de ortu, et increm. Haer. Pelag.* cap. 3. observat, varios fuisse SS. Patrum hac in re loquendi modos, quamvis fortasse non variae fuerint eorum sententiae. Alii enim dicebant, Adamum factum fuisse reipsa immortalem,

§. CXII.

Ex eo autem, quem hactenus delineavimus, animae, et corporis Adami innocentis statu, quanta profluxerit felicitas, non melius possumus, quam eloquentissimis S. Augustini verbis describere Lib. 14. *de civit. Dei* cap. 26. *Vivebat itaque homo in paradiso, sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus jusserat: vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitae, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas; in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus aestus, aut frigus, ita in ejus habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonae voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter laetum: gaudium vero perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta: atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis, corporisque vigilia, et mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum. In tanta facilitate rerum, et felicitate hominum absit, ut suspicemur, non potuisse prolem seri sine libidinis morbo etc.*

Tum aliae illius felicis status dotes.

---

potestate tamen mortalem; alii reipsa mortalem, et potestate immortalem; alii denique nec mortalem, nec immortalem, sed mortalem futurum, si peccasset, immortalem autem, si in justitia perseverasset. Omnes tamen in catholico dogmate consentiebant, mortem, cui omnes homines obnoxii sunt, primi peccati poenam esse.

CAPUT XVI.

Exponitur, et refutatur Prae-Adamitarum systema.

§. CXIII.

Peyrerii fabula de Praeadamitis.

Isaac Peyrerius anno 1655. librum edidit, cui titulus *Prae-Adamitae* etc., contendens duplex distinguendum esse hominum genus, quorum primum indicatum esset a Moyse Geneseos I., alterum Geneseos II.; atque in hoc capite II. Adami creationem describi, in priori autem creationem alterius hominis*, quae multis antea annis, immo et seculis a Deo facta fuerat; ac demum ex illa Gentiles originem ducere, Adami autem posteros esse Judaeos. Hanc tamen erroneam opinionem una cum Calvinismo, cui addictus erat, Romae coram summo Pontifice Alexandro VII. ejuravit (*).

§. CXIV.

Exploditur ex Lib. Gen.

Haud difficile est hujusmodi somnium ex sacris Litteris refellere; nam Moyses luculenter innuit, se de eodem omnino homine tam in I., quam in II. Geneseos capite loqui, cum hoc solum discrimine, quod in capite II. hujus creationem accuratius ex-

(*) Peyrerius tamen dici non potest primus hujus systematis inventor, illi siquidem facem praetulere 1. Zabaei quidam memorati à R. Maymonide *in More Nevochim*, qui Adamum ab aliis hominibus prognatum esse effutiebant, immo et quemdam *Tambuscam* Adami praeceptorem nominabant. 2. Julianus Apostata omnes homines ab eodem stipite descendere negabat, quia totus terrarum orbis non potuisset impleri *tametsi plures una foetura mulieres ipsis parerent, ut in suillo genere cernimus* pag. 181. ipsius opp. edit. Spanhemii. 3. Etiam Jordanus Brunus solos Hebraeos ab Adam, et Eva originem trahere docebat, reliquas autem gentes a duobus hominibus, quos Deus ante creaverat. Hujus erroris reus habitus est in sententia contra ipsum lata, quam in Epist. ad Ritrershusium refert Gaspar Scioppius testis oculatus. Eadem sententia mirifice delectantur moderni increduli, eo tantum fine, ut Mosaicae Historiae fidem labefactent.

ponat. Deinde capite V ea repetens, quae in cap. I. dixerat, aperte declarat, primum hominem a Deo conditum fuisse Adam; inquit enim: *Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum, masculum, et foeminam fecit eos, et benedixit illis etc.* Accedit tertio, quod in cap. II. dicitur: *Et homo non erat, qui operaretur terram,* quod falsum omnino esset in Praeadamitarum hypothesi. Demum Gen. III. 20. Eva dicitur *mater cunctorum viventium.*

§. CXV.

Item ex aliis Scripturae locis.

Praeadamitarum fabula aliis etiam Scripturarum testimoniis luculenter exploditur; nam Sap. X. 1. Adamus dicitur *primus formatus a Deo*, et *Pater orbis terrarum.* Act. item XVII. 46. dicebat Paulus de Deo: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae.* Frigida est autem observatio Peyrerii, quod in graeco fonte legatur ἐξ ἑνὸς αἵματος *ex uno sanguine*, seu ut ille interpretatur, *ex una materia, vel natura*; communi enim loquendi usu dicimus eos ex uno sanguine esse, qui ab uno stipite procedunt. Addo, in antiquissimo graeco codice Alexandrino deesse αἵματος, ut deest in latinis.

§. CXVI.

Et ex dogmate peccati originis.

Tertium denique argumentum, illudque gravissimum contra Praeadamitas desumitur ex peccato originali, quod ab Adamo in omnes homines propagatum esse fides docet (*): hoc autem Religionis nostrae dogma corrueret, si alii essent homines alia stirpe procreati; neque enim extrinseca solum imputatione hoc Adae peccatum in homines propagatur, ut vult Peyrerius; sed vere, et proprie ab unoquoque contrahitur, et omnes nascimur peccatores, et filii irae, quia omnes in Adam peccavimus. Nec vero juvat, quod aliqui ad eludendam hujus argumenti vim comminiscuntur, scilicet omnes Praeadamitas diluvio periisse, solamque Adamiticam stirpem

(*) Non loquimur de privilegio, quod beatae Virgini tribuitur, sed de generali corruptione naturae.

esse superstitem; ac proinde recte dici, modo omnes homines nasci peccato originali infectos. Non inquam; primo enim fides docet, etiam Antediluvianos omnes fuisse culpa originali infectos, sicut et nos. Deinde praecipuus systematis praeadamitici scopus est explicare, quomodo existant Antipodes, et diversi coloris, ac quasi generis homines; ad quod explicandum necesse foret praeadamiticam prosapiam post diluvium perducere.

§. CXVII.

Ac demum ex traditione.

Hisce argumentis ex Scriptura sacra petitis aliud adjungimus non leve ex traditione desumtum, quae apud ipsos Ethnicos semper viguit, et adhuc viget de uno omnium hominum parente; teste enim Voltairio (viro minime suspecto, quando aliquid refert Religioni consonum) *in Vedam*, seu *Rituali* veterum Bracmanorum docetur primum hominem fuisse *Adimum*, primamque foeminam *Procritam*, quod verbum eorum lingua significat *vitam*, quod est *Eva* apud Hebraeos. In historia etiam insulae Ceylan in India Orientali mentio habetur Adam, tamquam primi hominis creati a Deo; et ita in aliis ferme regionibus, ut prodigiosa pene eruditione ostendit Huetius *in Demonstrat. Evang. l.* Propos. 4, cap. 5. et seq. Modo quae Peyrerius affert suae fabulae fundamenta breviter discutiamus.

§. CXVIII.

Peyrerii argumenta ex S. Litt.

Et prima ex Sac. Lit. desumit; observat enim ex Mosaica historia herbas, arbores, et cujusvis generis animantia fuisse a Deo in tota terrae superficie creata: quod supervacaneum erat, si nulli existebant homines praeter Adam. Praeterea Gen. IV. 2. dicitur Abel *Pastor ovium*, et Cain *agricola*; at vero Abel greges custodire non poterat propter fures, si alii homines non erant, neque Cain agros colere, nisi aratra, aliaque instrumenta haberet, quibus conficiendis necessarii erant artifices. Tertio, notatu digna sunt verba Dei ad Cain Gen. IV. 7. *Si male egeris, statim in foribus peccatum aderit*; fores enim significant tribunalia, quae in foribus civitatum apud Orientales erigebantur; quod iterum indicat, jam tunc fuisse multos homines,

judices, et judicandos. Quarto, idipsum insinuant verba Cain ad Deum v. 14. *Omnis qui invenerit me, occidet me*; cui periculo avertendo *posuit Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum*: quae omnia plane ostendunt, orientalem plagam jam tum fuisse hominibus repletam, qui ab uno Adam prognati esse non poterant.

§. CXIX.

Solvitur primum.

Sed levia haec sunt. Et primum quidem si quid valeret, etiam consequeretur, jam ab initio fuisse totum orbem hominibus repletum, quod nec Praeadamitae admittent. Quemadmodum ergo etiam nunc sunt loca quaedam herbis, plantis, et animalibus repleta, in quibus tamen homines non reperiuntur, ita nihil prohibet, haec omnia fuisse in initio, quando duo soli erant homines.

§. CXX.

Solvitur secundum.

Quando autem Abel dicitur *Pastor ovium*, ea cura significatur, quae gregibus pascendis adhiberi solet, etiamsi nullum sit a furibus vel rapacibus feris periculum. Et pariter cum Cain dicitur agricola, necesse non est, ut totum illum instrumentorum apparatum ad terram colendam intelligamus, quae postea hominum industria inventa sunt; sed ea tantummodo, quae priscis illis temporibus necessitas non admodum magna suggerebat.

§. CXXI.

Solvitur tertium.

Quod de foribus 3. loco objectum est, non significat tribunalia in foribus urbium posita, sed potius internum conscientiae remorsum, quo post fratricidium agitabatur Cain, et quo omnes impii agitari solent, qui

Nocte dieque suum gestant in pectore testem.

§. CXXII.

Solvitur quartum.

Postremum solvitur observando, Cainum potuisse timere fratres, ac nepotes suos, qui jam coeperant multiplicari. Occisio enim Abelis contigisse creditur anno 130. Adami, quod non obscure indicat Scriptura Gen. IV. dicens Abele occiso cognovisse Adam

uxorem suam, quae peperit ei Seth loco Abelis occisi; at vero cap. V. 3. dicitur: *Vixit autem Adam centum triginta annis, et genuit filium . . . . vocavitque nomen ejus Seth.* Porro centum triginta annorum spatio potuerunt homines ad multa millia crescere; nam spatio 215. annorum quibus filii Israel in Ægypto commorati sunt, scimus eos ad sexcenta et amplius animarum millia auctos fuisse. Illos itaque homines timere potuit Cain. Et sic etiam intelligitur quomodo Cain eodem Cap. IV. dicatur aedificasse civitatem, quam nomine filii sui *Henoch* vocavit. Quamquam chronologi aliqui id contigisse putant anno mundi 500.

§. CXXIII.

Proponitur difficultas ex cap. V. Rom.

Aliquanto operosius prima fronte videtur illud explicare, quod Peyrerius objicit ex Rom. V. 13. ubi Paulus haec habet: *Usque ad legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset, sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri.* Ex his autem verbis ita Peyrerius colligit: Lex illa, de qua Apostolus ibi loquitur, non alia esse potest, quam lex data Adamo; atqui ante hanc legem dicitur fuisse peccatum in mundo: ergo etiam ante Adamum homines erant peccatores.

§. CXXIV.

Et solvitur.

Falsum tamen est, quod tanquam certum sibi sumit Peyrerius, scilicet Apostolum loqui de lege Adamitica, cum plus quam evidens sit, eum loqui de lege Mosaica; quotiescunque enim legem nominat, semper Mosaicam intelligit, quod multis locis parallelis ostendi potest. Illorum ergo verborum hic sensus est: peccatum ab Adam usque ad Moysem semper regnasse; quamquam aliqua peccata actualia ante legem Mosaicam non imputabantur, ex defectu perfectae cognitionis legis naturae. Hinc idem Apostolus Cap. VII. 7. *Peccatum*, inquit, *non cognovi, nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces.* Quod autem sequitur: *Sed regnavit mors ab Adam usque*

ad Moysem significat, mortem spiritualem, atque aeternam damnationem etiam ante Moysem in hominibus regnasse. Et quando demum Apostolus addit: *Etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*, manifeste innuit mortem, quam peccatum originale iis etiam affert, qui non peccaverunt actualiter in similitudinem Adami. Varias difficilis hujus loci explicationes afferunt S. Thomas, Estius, aliique interpretes.

§. CXXV.

Post haec ex Sac. Lit. deprompta, ita ex historia profana objicere pergit Peyrerius. Constat ex multarum nationum chronologia mundum multo antiquiorem esse Adamo; nam Chaldaei 470. annorum millia numerabant; multoque majorem annorum seriem jactant Babylones, Sinenses, Scythae, et Americani. Operae tamen pretium non est, in his fabulis refutandis tempus insumere, quae risu et sibilis ab ipsis ethnicis Philosophis exceptae sunt. Nam Cicero Lib. 1. *de Divinat.* de Chaldaeis loquens: *Condemnemus*, inquit, *hos aut stultitiae, aut vanitatis, aut impudentiae, qui 402. millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent*; quod similiter de aliis merito repeti potest. Vid. S. Augustinus *Lib.* 18. *de Civ. Dei* Cap. 40. Quamquam multi existimant, annos apud eas nationes non ex duodecim mensibus, sed paucioribus, immo fortasse nonnisi aliquot diebus fuisse conflatos. Sed quae persequi diutius non vacat, cum apud eruditos compertum sit, nulla exstare certa documenta, quae Mosaica Epocha posteriora non sunt, ex quo S. Cyrillus Alexand. in suo primo Lib. *contra Julianum* veritatem historiae Mosaicae comprobabat (*).

Difficultas fabulosae quorundam antiquitatis.

Solvitur.

(*) Si quis tamen his delectatur, praeter auctores a me laudatos Tom. IV. *Praelect. Theolog.* ad num. 171. Dissert. 1. consulere poterit Rollinium Tom. 1. *Histor.* doctis. Calmet *Disquisit. in Chronolog. Ægypt.* Anglos auctores *Histor. univers.* Lib. 4. cap. 2. ubi decantatae Sinensium antiquitates exploduntur, de quibus etiam fuse agit de Guignes in *dissert.* quae insertae sunt *Monum. Academiae Paris. Inscript.* ann. 1758. et 1759. ac praeter alios multos Stephanus Fourmont in *Animadv. crit. ad hist. vet. Popul. Chaldaeorum, Hebraeorum, Phoenicum, Graecorum etc.*

§. CXXVI.

Solvitur difficultas Antipodum.

Aliud fundamentum Praeadamitis praebent Antipodes: cum intelligi non possit, quomodo ante inventam acum magneticam homines potuerint eo commigrare. Hinc plures Ecclesiae Patres, ut Sanctus Augustinus Lib. 16. *de Civitate Dei* cap. 9. Antipodes esse negarunt. Immo Zacharias R.P. in Epist. 10. ad Bonifacium vocat perversam, et iniquam doctrinam illam, *quae alium mundum, aliosque homines sub terra esse asserebat*. Verumtamen ex quo ignotae sunt viae, quibus homines ad oppositas nobis mundi partes penetrarunt, colligere non licet, eos ab Adam originem non trahere, quod certissimis constat argumentis; cum infinita propemodum similia habeantur, quorum modus nos latet; nec certum, ac notum tollitur per incertum, et ignotum. Quod si veteres quidam Ecclesiae Patres hac in re decepti sunt, levis hic error est, iisque cum multis aliis auctoribus profanis communis (*).

§. CXXVII.

Aliae difficultates proponuntur.

Postremum Peyrerii argumentum ad negandam omnium hominum originem ab Adamo, petitur ex diversitate, quae in diversis nationibus observatur, praecipue autem in Æthiopibus, aliisque Africae populis, qui nigrum habent colorem, vultum simum, et quandam lanae speciem loco capillorum; unde insultans sciscitatur, albusne fuerit Adam, an ater? si albus, unde sunt nigri? si niger, unde albi? (**)

(*) Lucretius, nomen incredulis non ingratum, Lib. 2. *de natura rerum* hunc Antipodum opinionem vocat *vanum stolidorum errorem*. Plutarchus autem in libro *de facie in orbe lunae* eandem dicit esse *praestigiatoris alicujus, circulatorisque triviales nugas*. Ceterum de modo, quo potuerunt homines in Americam, variasque remotissimas mundi partes pervenire, consuli possunt Buffon Tom. VI. *de l'Histor. Naturelle*, et dissertatio, quae inserta est Par. II. *additionum Hist. univ.*

(**) Voltairius *in Philosophie de l'Hist.* cap. 11. ex tripode more suo pronuntiat, dubitari non posse, Nigros, Albinos, Hottentotos, Lapones, Americanos, Sinenses ex progenie esse a nobis diversa. Trevoltienses *in Ephemer.* an. 1744. mense Januar. art. 7. referunt, et castigant similem opinionem cujusdam Medici Lugdunensis.

Secundo. Gigantes fuisse in terra, Scriptura sacra saepius eos commemorante novimus, et adhuc reperiri, itineratores testantur; et contra esse alios populos perexiguae staturae, quos Pygmaeos vocant: utrorumque autem progenies non posse ab Adamo repeti, videtur. Tertio. Multo major apparet diversitas nationum in acumine ingenii, in animi affetibus, et in toto vivendi genere; ut Hottentoti, Lapponi, Canadenses etc. quorum stupiditas tanta est, ut ad brutorum potius, quam ad hominum classem referri posse videantur. Demum varia sunt monstrorum genera, ut illa, quae a S. Augustino Lib. 16. *de civitate Dei* cap. 9. commemorantur; homines scilicet unum oculum in media fronte habentes, vel plantas post crura conversas; vel quibus sine cervice oculi in humeris prostant, aut capita sunt caninae formae, et qui propterea Cynocephali appellantur (*).

§. CXXVIII.

Solvitur prima de Æthiopum colore.

Haec tamen, et alia, quae increduli amplificare solent, tanti non sunt, ut valeant sacrae Historiae auctoritatem convellere; nam quod objicitur de Æthiopum colore, is ex variis causis oriri potest, atque imprimis ex calore in illis regionibus intensissimo, accedentibus insuper terrae exhalationibus, atque effluviis ex auri, argenti, ferri, sulphurisque fodinis, quo factum fuisse creditur, ut primi illarum incolae sensim ac sensim colorem mutaverint, ut primo fusci, et subnigri, posta vero omnino nigri evaserint. Id pluribus argumentis suaderi videtur; nam 1. testante Plinio, quo magis receditur a centro Æthiopiae, eo magis nigredo minuitur. 2. Lusitani, qui eo commigrarunt, post multos demum annos eodem colore tincti sunt. Demum hos omnes

---

(*) Auctor *des Recherches sur les Americains*, ut ansam haberet S. Augustinum irridendi, has fabulas ab ipso creditas, aliisque venditatas imperite scribit, deceptus *serm.* 37. *ad fratres in eremo*, quem falso S. Augustino adscribi turpiter ignoravit; quod modo criticorum ignorat nemo. Legatur admonitio eruditiss. PP. Benedictinorum hujusmodi sermonibus praefixa.

populos ab uno, eodemque stipite esse prognatos, plane ostendit eadem prorsus cum aliis natura in iis, quae ad essentiam pertinent, cum tota diversitas non sit, nisi in quibusdam accidentibus, nempe colore, pilis, et faciei lineamentis. (*)

§. CXXIX.

Et altera de Gigantibus, et Pygmaeis.

Quod additur de Gigantibus, et Pygmaeis, faciliorem habet explicationem; non enim natura humana determinatae mensurae alligata est, et quotidie videmus, etiam inter nos homines quosdam ita proceros, ut ad Gigantum staturam aut pertingant, autem saltem accedant; quod facilius contingere potuit praeteritis seculis, in quibus staturam hominum fuisse nostra majorem, eruditis compertum est (vid. Mazochii Dissert. *de Gigantibus*). Idemque de Pygmaeis dicendum. An autem fuerint, aut sint integrae nationes Gigantum, ac Pygmaeorum, nondum satis constat.

§. CXXX.

Item tertia de hominibus stupidis.

Tertium plane leve est; quemadmodum enim inter nos inveniuntur homines minore ingenii acumine donati, alii plane stupidi, et non pauci omnino amentes, qui tamen ex iisdem parentibus orti sunt, ita nihil prohibet, esse integras populosasque nationes, sive aeris crassioris influxu, sive ob alias causas omnis fere ingenii expertes; quamquam educatio in hac diversitate maximam partem habet.

(*) Putarunt nonnulli, Nigritas originem trahere a Cain, et signum, quod illi impositum fuisse a Deo dicitur, in hac ipsa diversitate consistere, quae in Æthiopibus conspicitur; quae tamen opinio ab historia diluvii evertitur. Alii id repetunt a maledictione, qua Noe filium suum Cham punivit; sed ex Scriptura scimus, effectum hujus maledictionis fuisse, ut Chananaei a Cham descendentes Israelitis servirent Gen. IX. Ceterum de causis nigredinis Æthiopum videri possunt Abbas de Maner in Dissert., quas *novae Hist. Africae* attexuit, Dissert. item inserta *Ephemer. Trevol.* an. 1738. mense Junio; Buffon in Tom. III. *Hist. Natur.* art. ult., et alii plurimi, qui naturales hujus phoenomeni causas afferunt.

§. CXXXI.

Postremum totum fabulosum est, et mirari subit, potuisse S. Augustinum ab aliquibus sciolis accusari, quasi hujusmodi chimaeris fidem adhibuerit. Legantur, quae ibidem habet S. Pater; concedit enim, fuisse semper, et adhuc esse quaedam monstra, negat tamen credenda esse omnia, quae in hoc genere referuntur, ac tandem ita concludit: *Aut illa, quae de quibusdam gentibus scripta sunt, omnino nulla sunt; aut si sunt, homines non sunt; aut ex Adam sunt, si homines sunt* (*). Ac postrema de monstris.

CAPUT XVII.

De Providentia, qua Deus res a se creatas administrat, et regit.

§. CXXXII.

Postquam de rerum omnium incorporearum, et corporearum creatione actum est, doctrinae ordo postulat, ut de earum providentia agamus. Est autem providentia, prout a Theologis hoc nomen usurpatur, *ratio ordinis rerum in finem in mente divina existens*. Mirum profecto est hanc summam rerum omnium curam Deo fuisse ab aliquibus denegatam, cum plane absurdum sit, Deo tribuere rerum omnium creationem, et denegare providentiam; multi tamen inter veteres ita delirarunt, ad quorum mentem sic canebat Ennius apud Ciceronem Lib. 2. *de Divinat.* Quid Providentia sit?

Ego Deum genus esse semper dixi, et dicam coelitum;
Sed eos non curare opinor humanum genus.

Et utinam haec perversa sententia non etiam modo ser-

(*) Latius hac de re disserunt Nat. Alexander *Hist. V. T.* aetat. 1. Dissert. 3., P. Zaccaria *in Dissert. Proleg.* ad librum 1. Petavii *de opif. 6. dierum*, Eusebius Rom. seu Phil. Priorius in Animad. *in librum Praeadamitarum*, et Dannhaverus *in fabula prim. hominum ante Adamum conditorum explosa.*

peret inter multos, qui *Deistae* vocari amant, quoniam Deum se admittere profitentur, ejus tamen providentiam, quam criminum suorum ultricem timent, aut penitus de medio tollere, aut saltem certis limitibus circumscribere conantur.

§. CXXXIII.

Variis rationibus asseritur Providentia.

Quo quidem nihil repugnantius dici potest. Quomodo enim sapientissimum credemus Deum, si postquam hanc pulcherrimam mundi machinam ex nihilo extraxit, ut supra ostendimus Cap. I. eamque aptissime coordinavit, eam deinde non amplius curat, neque administrat? *Quid enim*, inquiebat Salvianus Lib. 4. *de gubern. Dei, tam furiosum est, quam ut aliquis, cum Deum creatorem rerum omnium non neget, gubernatorem neget; et cum factorem esse fateatur, dicat negligere, quae fecit? . . . praesertim cum etiam in ipso humano genere nullus sit ferme hominum tam hebes, qui ad hoc aliquid agat, atque perficiat, ut perfecta non curet.* Quod variis exemplis eloquentissimus S. Pater illustrat.

§. CXXXIV.

Aliam praeterea non absimilem repugnantiam in iis observabat Lactantius, qui Deum perfectissimum esse concedebant, provisorem autem esse negabant, cum rebus a se conditis providere maxima certe perfectio sit. Hoc vidit ipse Balbus, qui apud Ciceronem Lib. 2. *de Nat. Deor.* ita colligebat contra Epicuraeos: *Aut negandum est, Deos esse; aut qui Deos esse concedunt iis fatendum est eos aliquid agere, idque praeclarum: nihil est autem praeclarius mundi administratione: Deorum igitur consilio administratur.*

§. CXXXV.

Demum ne longum faciam, si nulla providentia regitur mundus, omnia vel caeco casu, vel inevitabili fato evenire necesse est: utrumque autem est plane absurdum. Absurdum est primum; quemadmodum enim hanc ordinatissimam rerum machinam fortuito, ac temere fieri potuisse nemo rationis compos concedet, ita cum ratione insanire dicendus erit, qui eam sine summa providentia conservari,

aut ad certos fines dirigi posse comminiscatur. Nec minus absurdam esse fatalem omnium rerum necessitatem, quisque facile animadvertet, qui propriae voluntatis conscius in pluribus rebus se liberrime agere non ignoret.

§. CXXXVI.

Argumenta Lucretii contra providentiam.

Hanc tamen ordinatissimam rerum omnium in hoc mundo compositionem nonnullis argumentis impugnabat Lucretius in suis sex libris *de rerum natura*, quorum potissima haec sunt. Primo. Saepe videmus pluviam in mare, vel deserta loca inutiliter cadere, dum interea arbores et segetes siccitate arescunt. Secundo. Quaedam vastissimae sunt orbis partes, quas

Fervidus ardor
Assiduusve gelu casus mortalibus aufert.

Idemque dicendum de immensis Oceani tractibus, qui solis mutis piscibus frustra destinati videntur. Tertio. In ea ipsa exigua orbis parte, quam homines incolunt, quot, et quanta sine ratione contingere videntur? cur enim ex gr. tot foetus in matrum uteris concipiuntur, quibus ad maturam aetatem, immo ad ipsam mundi lucem pervenire non datur? cur tot culices, muscae, aliaque innumerabilia insecta et animalia, nedum inutilia, sed plane noxia? Quarto. Si omnia Dei providentia reguntur, unde tanta naturae inconstantia, quasi velit ipsa Penelopis instar suum opus destruere, ut apparet in grandinibus, fulminibus, aquarum illuvionibus, terrae motibus etc.? Haec aliaque hujusmodi temerario potius casu, quam ratione mundum regi demonstrant.

§. CXXXVII.

Solvuntur.

Perperam tamen ad divinam providentiam tollendam haec ab Incredulis exaggerantur; et quamquam non ita in promptu sit, veram omnium rationem reddere, nemo tamen prudens ea sine ratione fieri affirmabit; Dei enim providentia luculentissimis argumentis confirmata, non potest inde labefactari, quod plurium rerum causas ignoremus: certum enim non tollitur per incertum, neque notum per ignotum. Et qui divinam providentiam propter haec inficiari praesumunt, similiter faciunt, observante San-

cto Augustino, ac ille, qui in artificis officina multa instrumenta inutilia reputaret, quia eorum usum ignorat. His breviter praemissis,

§. CXXXVIII.

Allatis difficultatibus respondemus, probari non posse, pluvias in loca inculta, aut in mare inutiliter decidere; licet enim ibi nihil vegetet, aliae tamen esse possunt causae, ut nubes in iis etiam locis sese exonerare debeant. Deceptus est autem Lucretius, cum regiones polares destitutas esse habitatoribus putavit. Vastissimi etiam maris tractus mutuis hominum commerciis mire inserviunt, ut ad remotissimas terrae partes navigationis beneficio pateat aditus. Quae demum modo nobis noxia sunt animalia, et quae saepe accidunt privatae, vel publicae calamitates, nostrorum criminum poenae sunt; certum est enim, totam hanc rerum universitatem hominum servitio fuisse destinatam: sed nos nostris culpis id fuimus promeriti, ut omnis creatura ad puniendas rebelliones nostras armaretur. Et haec quidem pro modulo nostro dicta sunt; ceterum praestat potius divinam providentiam adorare in tot pulcherrimis rebus omnis generis, quarum varietatem, ordinem, et constantiam satis admirari non possumus, quam ignotas aliquorum eventuum causas curiosius indagare.

§. CXXXIX.

Dei Providentia extenditur ad singularia, et minima.

Neque vero haec divina providentia ad universalia tantummodo, aut genera, et species rerum restringitur, ut aliqui falso opinati sunt (*), sed ad singularia etiam, et ad individua quaeque, utut minima, se extendit; nulla enim est causa, cur Deus aliqua curet, alia vero negligat: non certe quia id non possit, cum sit omnipotens; nec quia id ipsius sapientiam, aut bonitatem non deceat, cum potius Dei sapientia, et bonitas in eo maxime relu-

(*) Apud S. Thomam Lib. 3. *contra Gentiles* cap. 75. quod etiam nonnullis nostri aevi Pseudo-philosophis arridet, qui illud Cottae repetere solent: *Magna Dii curant, minora negligunt.* In Lib. 2. Ciceronis *de Nat. Deor.*

ceant, ut ita majora curet, quin minima negligat, nec denique id divina majestate indignum censeri debet; quemadmodum enim indignum Dei majestate non fuit, ut haec crearet, ita indignum non erit, ut haec gubernet. Sed hominum exemplum aliquos fefellit, cum videant summos terrae Principes res minoris momenti negligere; verum isti omnia omnino per se ipsos administrare aut non possunt, aut propter molestiam nolunt; quorum neutrum in Deum cadit. *Qui summa regit*, inquit S. Gregorius Lib. 27. *Moral. etiam extrema non deserit; quia sic impenditur maximis, ut tamen haec eadem cura regiminis non praepediatur a parvis.*

§. CXL.

Obiectiones ex S. Script.

Opponuntur tamen quaedam Scripturae, et SS. Patrum testimonia; nam primo, propheta Habacuc pro certo habere videtur, nullam Deo esse piscium, aut reptilium curam, dum ita eum alloquitur cap. I. 14. *Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem.* Praeterea Paulus I. Cor. IX. 9. *Numquid*, ait, *de bobus cura est Deo?* Demum Sanctus Hieronymus laudata mox Habacuc verba expendens *in Comment. Absurdum est*, inquit, *ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur, quae cimicum, et pulicum, et muscarum in terra sit multitudo: quanti pisces in aqua natent, et qui de minoribus majorum praedae cedere debeant.*

Et ex S. Hieronymo.

§. CXLI.

Solvitur prima.

Quis tamen non miretur ad Scripturas nos provocari, quae providentiae Dei foenum agri, lilia campi, passeres, atque ipsos capillos nostros subdunt Matth. VI. 26. X. 29. et alibi saepe. Verba igitur ex Habacuc, et Sancto Paulo allata nihil aliud significant, nisi specialem Deo esse curam de hominibus, quos ratione, et libero arbitrio donavit, quos ad finem supernaturalem bonitate sua destinavit, quosque specialibus gratiae suae beneficiis cumulare non cessat. Et textus quidem Habacuc per se perspicuus est; verba autem S. Pauli respiciunt legem

latam Deuteronomii XXV. 4. *Non alligabis os bovi triturant*, eamque mystice intelligi vult de Ministris Evangelicis, quorum certe specialem Deus gerit providentiam.

§. CXLII.

Solvitur altera ex S. Hieronymo.

Non defuerunt, qui S. Hieronymum negatae universalis providentiae reum facerent, ut Vasquez in I. P. disput. 59. et pauci alii. Quis tamen sibi persuadeat, tantum Ecclesiae Doctorem tam turpiter errasse? Manifestum plane est; cum vilissimas res a divina Providentia penitus non subtraxisse, sed negasse tantum, eandem earum, ac nostrum Deo curam esse, ita enim se ipsum explicat: *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium, atque irrationabilium providentiam esse dicentes.* Id patet etiam ex S. Patris scopo, qui erat confutandi apocryphum quemdam librum, in quo singulis creaturis ratione etiam, et sensu carentibus Angelos custodes a Deo destinatos esse ridicule effutiebatur (*).

§. CXLIII.

Specialis Dei Providentia erga homines.

Re ipsa homines speciali a Deo providentia gubernari, duplici ex capite ostendit S. Thomas Lib. 3. contra *Gentes* cap. 3. quia scilicet homo alias creaturas excedit tum perfectione naturae, tum dignitate finis. Perfectione quidem naturae, propter ra-

---

(*) Praetermittere hic non possumus pulcherrimam, et utilissimam S. Thomae hac de re doctrinam, qui 1. P. Qu. 23. art. 7. observat, aliqua esse in hac rerum universitate, primo, et *principaliter* a Deo praeordinata, ut elementa, species, et alia; quae perpetuo durant; individua autem duntaxat *secundario*, quatenus ad bonum speciei requiruntur: unde infert, numerum vel boum, vel culicum, vel aliquorum hujusmodi non esse *per se* praeordinatum a Deo, sed tot a divina providentia produci, quot sufficiunt ad specierum conservationem. Hoc autem illustrat aptissimo exemplo aedificatoris, qui primo et *principaliter* intendit certam mensuram domus, certumque mansionum numerum, non autem certum numerum lapidum, sed ex his tot accipit, quot sunt necessarii. Dignus est locus, qui in ipso S. Doctore legatur.

tionem, et propter libertatem volendi, quo fit, ut ipsius actiones ad meritum, vel demeritum imputari possint. Dignitate autem finis, quia homo ad Deum agnoscendum, colendum, amandum, ac demum beate possidendum ordinatus est. Hinc etiam fit, ut Deus ceteris creaturis provideat propter homines, hominibus autem propter ipsos; sicuti servo providetur propter dominum, et domino propter ipsum; et in exercitu milites propter se quaeruntur, et gubernantur, calones autem, et alii propter milites.

§. CXLIV.

Vindicatur a quorumdam querelis.

Nec conturbare nos debet communis illa et vetusta querela, quod boni saepe opprimantur a malis, et mali feliciores saepius sint in rebus suis, quam boni; quamobrem Diogenes Cynicus dicere solebat, Harpalum qui temporibus illis praedo felix habebatur, testimonium esse contra divinam providentiam, *nam si Dei curant, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest*, ajebat Telamo apud Ciceronem Lib. 3. *de Nat. Deorum.* Non inquam; primo enim quidquid de hac vita sit, dubitare non possumus, aliam futuram esse vitam, in qua justis praemia, malis autem debita supplicia parata sunt; unde ajebat Apostolus I. Corinth. XV. 19. *Si in hac vita tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Praeterea neque in hac ipsa vita suum deest virtuti praemium, ac vitio supplicium; magna enim justorum consolatio est

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Addo, justis etiam esse leviorum criminum poenas quandoque luendas: unde Salvianus hujus vitae afflictiones dicebat esse *testimonia mali servi, et boni Domini benignissima castigatione nos corrigentis, ne pereamus.* Impii contra internis conscientiae remorsibus semper excruciati, felices quidem videri possunt, vere autem esse non possunt; ut enim inquit Poeta

Poena autem vehemens, et multo saevior illis,
Quas et Caeditius gravis invenit, aut Rhadamantus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Saepe etiam fit, ut prosperitates impiorum conver-

tantur in luctum: unde illud Ps. XXXVI. *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicuti cedros Libani*; sed quid postea? *Transivi, et ecce non erat.* Sed de malis physicis, immo et moralibus, unde aliqui divinam providentiam accusandi ansam accipiunt, satis dictum est P. II. §. 60. et seq. (*).

§. CXLV.

Dei Providentia nostram libertatem, et rerum contingentiam non tollit.

Adhuc una superest difficultas, quae primo aspectu gravissima videtur; quomodo nempe admissa divina providentia, quae falli in suis decretis non potest, sarta, tectaque maneat humana libertas, et quomodo supervacanea dici non debeant praecepta, consilia, exhortationes, minae, supplicia, et praemia; namque his etiam sepositis cuncta eo modo evenient, quo divina providentia disposuit. De hac difficultate, quae certe non levis est, plurima dicta sunt P. II. cap. 15. et 20.; quibus addi potest, eam esse providentiae vim, et efficaciam, ut non solum finem, sed etiam media ad illum consequendum in se complectatur; ac praeterea praecepta, consilia, etc., immo ipsa arbitrii nostri libertas sub ordine divinae providentiae continentur. Et quamquam difficile est modum perspicue intelligere, quo haec omnia simul colligantur, difficile tamen intellectu non est, Deum, qui magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, salva rerum contingentia, ac nostra libertate, efficaci, atque infallibili providentia omnes, et singulas res sapientissime gubernare. *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Sap. VIII. 1.

Scholion. Nihil magis ad salutarem Dei timorem, atque ad veram pietatem, immo ad ipsum humanae societatis vinculum nos excitat, quam frequens divinae providentiae recordatio. Hoc vel ab ipsis Ethni-

---

(*) Innumeri sunt Auctores, qui de permissione malorum copiose egerunt, quorum catalogum exhibet Joan. Alb. Fabricius *de syllabo Scriptorum de veritate Relig.* cap. 15. Multa etiam egregie hac de re scripsit illustr. Bossuetus in Defens. Tradit. et SS. PP. Lib. II.

cis animadversum est; ut enim inquiebat Cicero Lib. 1. *de natur. Deor.* cap. 2. refellens eorum errorem, qui omnino nullam habere censebant rerum humanarum procurationem Deos: *Horum si vera est sententia, quae potest esse pietas, quae sanctitas, quae religio? . . . Quibus sublatis perturbatio vitae sequitur, et magna confusio. Atque haud scio, an pietate adversus Deos sublata, fides etiam, et societas generis humani, et una excellentissima virtus justitia tollatur.* Si ita Ethnicus Philosophus, quid dicendum erit Christianis, qui lumine fidei collustrati, a divina beneficentissima providentia beatitudinem supernaturalem, et efficacia ad eam consequandam media expectant?

CAPUT XVIII.

De eadem providentia, qua Deus res creatas in esse conservat, gubernat, et in agendo adjuvat.

§. CXLVI.

Cum Deus res creatas conservare dicitur, non id intelligendum est, quasi novam actionem a creatione distinctam perpetuo adhibeat; sed ipsa actio creandi, qua res ex nihilo extraxit, est etiam earumdem conservatio; quamquam nostro intelligendi modo actio conservandi a creatione distingui videtur, quia creationis objectum est res non existens, objectum autem conservationis est res jam existens. Porro res existentes perpetuo Dei influxu indigere, ut conserventur, ex eo vel maxime manifestum fit, quod quemadmodum sibi ipsis dare non potuerunt, ut primo existerent, ita nec se ipsas conservare possunt; si enim aliquo vel brevissimo tempore se ipsas absque Deo conservarent, jam sui ipsius esse eo tempore causa forent. Vid. S. Thomas 1. P. Qu. 104. art. 1.

Quid sit rerum conservatio?

Omnia a Deo conservari petunt.

§. CXLVII.

Et quamquam aliqua sunt simplicia, et incorruptibilia, ut spiritus, qui ex nulla partium dissolutione interire queunt, ea tamen ipsa actione Dei conservante indigent, non quidem ut arceantur ea,

Etiam spiritualia, et incorruptibilia.

quae dissolutionem inferunt, sed quia nonnisi Deo volente, et conservante in suo esse perseverant, quomodo nonnisi Deo creante esse inceperunt. Unde etiam apparet discrimen inter effectus Dei, et effectus causarum secundarum; isti enim non dependent a causis suis, ut absolute sint, sed tantum ut sint in aliquo determinato genere, cum naturales causae semper supponant materiam jam praeexistentem, et solum varias formas in eam inducant, quo fit, ut etiam sine causae influxu in suo esse perseverare possint. Contra autem Deus est prima causa omnium esse, quatenus omnia ex nihilo extraxit, quamobrem si Deus vel tantillum suam actionem suspenderet, omnia in nativum suum nihilum repente delaberentur, ut aer recedente sole statim fit tenebrosus.

§. CXLVIII.

Propter summam dependentiam a Deo.

Alia etiam ratione creaturae omnes perpetua indigent Dei conservatione propter summam earum dependentiam; cum enim non sint entia per se, sed solum per participationem, nec possunt per se subsistere, sed ab eo quasi sustentari perpetuo indigent, a quo primum acceperunt, ut essent: unde iterum apparet discrimen ab effectibus artificialibus, et naturalibus, qui influxu suarum causarum perpetuo non indigent, quia isti a suis causis dependent solum in fieri, non autem in esse.

§. CXLIX.

Indigent etiam a Deo gubernari et in operando adjuvari.

Et propter hanc ipsam intrinsecam dependentiam a Deo res omnes indigent ejusdem Dei gubernatione, cum aliquid operantur, suosque effectus producunt, tum quia ad sapientiam Dei pertinet, omnia ad suos fines dirigere, tum etiam quia nihil omnino est creaturis boni, sive in ordine supernaturali, sive etiam in ordine physico, et naturali, quod a Deo tamquam primo auctore non oriatur. Quemadmodum ergo virtus operandi, quae est in causis secundis, omni procul dubio a Deo est, ita etiam quaelibet actio; quae certe aliqua perfectio est ab agendi potentia distincta, in Deum tamquam primam et universalem causam refundenda est, quatenus Deus nobiscum operatur, et in agendo adjuvat.

Scholion. Solent increduli divinae providentiae in res omnes influxum negare, quia eum corporis ut ita dicam oculis non intuentur, quos tamen refellere possumus aptissimis quibusdam exemplis a S.Theophilo Antioch. Lib. I. ad Autolycum allatis, nempe animae, quam ex operationibus corpori inesse sentimus, etsi eam non videamus, vel navis, quam a gubernatore regi nemo dubitat, cum rectum cursum tenet, etiamsi ille non appareat, vel civitatis, aut reipublicae, quam certo consilio administrari non dubitat, qui omnia in ea debito ordine procedere animadvertit, licet Regem, aut Magistratus non omnes agnoscat. Quanto facilius est, ex ordinatissimi hujus universi consideratione oculos mentis attollere ad cognoscendum, amandum, et colendum illius creatorem, conservatorem et gubernatorem Deum?

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PARS QUINTA.

De lapsu primorum hominum, ac divini Redemptoris promissione.

Felicissimus ille primaevae innocentiae status, quem supra P. IV. Cap. XV. breviter delineavimus, non diu duravit, Protoparentibus nostris Adamo, et Eva in peccatum lapsis, cujus historiam sequens declarabit

CAPUT PRIMUM.

De lapsu primorum hominum, ejusque causis, ac consectariis.

§. I.

Primi peccati historia.

Lugubrem hujus maximae calamitatis historiam nobis describit Moyses Gen. II., et III. Nempe postquam Deus posuit hominem in paradiso voluptatis, praecepit ei dicens: *Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientiae boni, et mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*: ubi S. Augustinus Lib. 14. *de civit. Dei* cap. 15. Dei bonitatem commendat, quod Adam non pluribus praeceptis, nec grandibus, nec difficilibus oneraverit, sed uno brevissimo, atque levissimo ad obedientiae salubritatem adminiculaverit, tantummodo ut se Dominum ostenderet. Sed infelix homo seduci se passus est, et nulla habita ratione praecepti a Creatore suo sibi dati, comedit de fructu vetito, et hoc gravissimo inobedientiae peccato non solum sibi, sed toti suae posteritati incredibilem attulit perniciem.

§. II.

Ejus causa.

Porro hujus nefandi lapsus causam breviter perstringit Moyses, describens tentationem Evae a daemone factam, qui instrumento serpentis utens, pro-

misit illi scientiam boni, et mali. Sed S. Augustinus laud. Lib. 14. *de civit. Dei* cap. 14. observat, Adam, et Evam in occulto prius malos esse coepisse, antequam in apertam inobedientiam laberentur; atque hujus malitiae initium fuisse superbiam, de qua dicitur Eccli. X. 15. *Initium omnis peccati superbia est.* Et rem ita se habere, tum ex iis patet, quae inobedientiam praecesserunt, tum ex iis, quae subsecuta sunt; primo enim diaboli tentationi cesserunt, ut supra conditionem suae naturae extollerentur, similesque Deo fierent, scientes bonum, et malum: post autem *pejor, damnabiliorque superbia*, ut Augustinus loquitur, eorum se ostendit, cum in manifesto peccato non veniam petierunt, aut medicinam implorarunt, sed solam excusationem quaesiverunt, et Adam quidem culpam retulit in mulierem, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi*, mulier autem in serpentem: *Serpens decepit me, et comedi.* Haec brevis est historia, et causa illius primi peccati, quod certe omnium gravissimum fuit, seu ut loquitur S. Augustinus Lib. 1. *Op. imperf.* cap. 105., *ineffabiliter grande peccatum*, tam attenta primorum hominum integritate, qua facillimum ipsis erat, tentationi resistere; quam attento ipso praecepto, quod servare difficile non erat; attenta denique etiam terribilis poenae comminatione, quae ipsos absterrere debebat: quae omnia latius persequitur S. P. Augustinus Lib. 14. *de civit. Dei*, aliisque in locis (*).

§. III.

Haec tamen primi peccati historia ab incredulis nostri aevi ut commentitia exploditur; primo propter illud colloquium Evae cum serpente, quod Æsopi fabulas redolere videtur; secundo quia intelligi non potest, quomodo Eva fraudes daemonis non

Incredulorum objectiones.

(*) Ceterum difficultatem ingerit non levem, quod Apostolus dicit I. Timoth. II. 14. *Adam non est seductus: mulier autem seducta in praevaricatione fuit*, de qua videri potest Estius in 2. *Sent.* Dist. 22. §. 5., et *in Comment.* ad hunc Apostoli locum.

olfecerit; tertio quia poena inflicta serpenti, *ut supra pectus suum gradiatur*, ridicula est, cum id semper fuerit serpenti connaturale; immo et injusta, cum serpens non deliquerit; quarto inepte vocatur serpens *callidior cunctis animalibus*; demum absurde videtur fructui alicujus arboris scientia boni, et mali alligata.

§. IV.

Solvuntur. Sed nullus erit sanioris criticae peritus, qui propter has circumstantias, quae aliquorum palatui non sapiunt, veritatem historiae Mosaicae in dubium revocare velit. Et primo cum non serpens, sed daemon serpentis organo locutus esse dicitur, hoc Evae cum serpente colloquium nonnisi iis impossibile videbitur, qui spiritus esse negant; quorum tamen existentia nedum testimonio sacrarum Litterarum, sed omnium gentium consensione demonstrata est P. IV. cap. VI.; et daemonum per animalia, aut muta simulacra loquentium innumera sunt in historiis exempla. Quod autem Eva nihil in hac re doli suspicata fuerit, mirabile quidem est, nec facile explicari potest, non tamen ut impossibile rejici debet; praecipue cum, ut jam vidimus §. II., peccato superbiae ipsius mens fuerit obtenebrata. Poena vero serpenti inflicta non ita intelligi debet, quasi ad aliquam illi molestiam creandam jussus fuerit super terram reptare, sed potius, ut Theodoretus explicat *Interrog.* 34. *in Gen.* ut homines id videntes culpae primorum parentum recordarentur; unde etiam serpens maxime exosus, et horribilis hominibus factus est. Exemplum simile habemus in iride, quae naturale phaenomenon est, post diluvium tamen constituta fuit signum pacti Deum inter, et homines initi. Neque etiam injusta haec poena fuit, quomodo injusta non est illa lex Levitici XX. 15. *Qui cum jumento, et pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite.* Nimirum haec ad majorem criminis detestationem fieri possunt, et solent. Quamquam non desunt Patres, et Interpretes, qui putant, totam illam maledictionem non ad serpentem, sed ad diabolum directam fuisse; quorum testimonia Nat. Alexander collegit *in Hist. Eccl. V. T.* Dissert. 3. art. 3.

§. V.

Cum serpens appellatur *callidior cunctis animalibus*, id duplici sensu intelligi potest; primo propter singularem ipsius calliditatem, de qua multa refert ex variis auctoribus Samuel Bochartus *in Hierozoico* P. 1. Lib. 1. cap. 4. unde etiam Christus dicebat discipulis suis: *Estote prudentes sicut serpentes* Matth. X. 16. secundo propter diabolum in eo latentem; utramque autem sententiam adoptat, et explicat S. Augustinus Lib. 2. *de Gen. ad litt.* cap. 2. Quod demum attinet ad arborem *scientiae boni, et mali* dupliciter explicari potest; vel quia ex illa periculum obedientiae, et inobedientiae Adami fieri debebat, ut placuit sanctis Augustino, Chrysostomo, et aliis; vel quia illa arbor virtutem continebat illustrandi intellectum in perfectiori cognitione boni, et mali, unde etiam Protoparentes post esum fructus se nudos cognoverunt (*). Et haec contra incredulos. Nunc pauca de hujus peccati consectariis: post autem de ejus propagatione fusius contra haereticos disputandum.

Serpentis calliditas.

Arbor scientiae.

§. VI.

Quaenam illico Protoparentibus nostris post peccatum poena inflicta fuerit, exponit Scriptura sacra Gen. III. 16., et seq.; nempe mulieri Deus dixit: *Multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos* (seu ut hebraicus fons exprimit, *aerumnas conce-*

Poenae Protoparentibus inflictae.

(*) Cajetanus, aliique non multi post Origenem historiam tentationis Evae allegorice explicant, nomine serpentis intelligentes diabolum, qui non externa locutione, sed interna suggestione irrepserit in animam Evae, eamque seduxerit; maledictionem autem serpenti inflictam figurate sumunt, ut scilicet daemonis superbia, ac desiderium perdendi homines significetur; quam eandem sententiam illustrare conatus est Thomas Burnetus in sua *Archaeologia Philosophica*, omnia, quae Moyses de primo hominum lapsu narrat, ad parabolas, et figuras referens. At haec sententia adversariam habet tum Scripturam, tum unanimem Patrum traditionem, ut ostendunt praesertim Estius, Nat. Alexander, et Buddaeus. Nec rei explicandae est ita opportuna, ut prima fronte cuipiam forte videbitur. Confer Duguet *Explic. de la Gen.* ad hunc locum.

ptuum tuorum): *In dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Adae vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuae; et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae: spinas, et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terrae: in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumtus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Et postea *emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumtus est.* Et quidem Scriptura hoc loco nonnisi corporales poenas aperte declarat; sed certum est, alias, et multo graviores in anima primum peccatum fuisse consecutas: primo enim Adam privatus fuit justitia originali, et gratia sanctificante, in qua ipsum fuisse constitutum ostendimus P. IV. cap. XV.: deinde privatus item fuit omnibus aliis donis, quae hanc justitiam originalem comitabantur: tertio ex hac privatione dimanavit interna illa rebellio, qua caro concupiscit adversus spiritum, ut quemadmodum homo violando praeceptum adversus Deum rebellis factus est, ita pars inferior animae superioris imperio renueret obedire: quarto poena etiam, et consectarium peccati fuerunt ignorantia, et tenebrae in intellectu ad cognoscendum verum, tum debilitas in aliis potentiis animae, ita ut *totus Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatus fuerit*, quemadmodum loquitur Trident. Synodus sess. V. Can. 1. Sed de hoc infra redibit sermo, postquam transfusionem primi peccati in omnes posteros ostenderimus; qua in re nobis solito prolixioribus esse licebit; in ea enim, ut saepius observabat S. Augustinus, *totum, quod in Christum creditur, summa Christianae religionis, ejusque fundamenta consistunt.* Vid. praecipue in libris *contra Julianum.*

CAPUT II.

Transfusio peccati originalis probatur ex V. T.

§. VII.

Qui primi peccatum originale negaverunt?

Primus, qui hanc capitalem nostrae Religionis veritatem negavit, si Mario Mercatori credimus in *Comment. Primo*, fuit Theodorus Mopsvestenus; quamquam hujus erroris etiam veteres Gnostici, immo et Manichaei, atque imprimis Origenes accusari solent. Vid. Joan. Garnerius in Dissert. 7. *de ortu et increm. Pelag. Haer.* Quidquid tamen sit de istis, eum celebrem reddiderunt initio Sec. V. Pelagius, Caelestius, eorumque discipulus Julianus Episc. Eclanensis, contra quos hoc Ecclesiae dogma invicte tuitus est magnus Augustinus. Semipelagiani peccatum originale confiteri cum Catholicis videbantur, sed teste S. Prospero *in carm. de ingratis*, cum vulnera per peccatum illata, aut negarent omnino, aut saltem admodum extenuarent, in Magistri sui errorem etiam nolentes delabebantur. Nimirum ut saepius observabat. S. Augustinus, doctrina de gratia cum doctrina de peccato originali intime adeo connexa est, ut qui unum tollit, vel labefactat, alterum quoque tollere, aut. labefactare necesse sit. Vid. Petri Tamburini Dissert. *de Summa Cathol. doctr. de Grat. Christ. praest. utilit. ac necessit.* cap. 8.

§. VIII.

Quinam hunc errorem suscitaverint?

Errorem hunc in Synodis Africanis, et Arausicana II., nec non a Rom. Pontificibus Innocentio I., et Zosimo saepius condemnatum primus ab orco revocavit Sec. XII. Petrus Abaelardus, ut testis est S. Bernardus in Epist. 190. ad Innocentium II. an. 1140. transmissa. Videri potest Abealardi liber *Scito te ipsum* a doctissimo Bern. Pezio vulgatus Tom. 3. *Thes. Anecdot.* P. 3. Post autem Sec. XVI. eundem una cum multis aliis suscitarunt Ulricus Zwinglius, Anabaptistae, et omnium pestilentissimi Sociniani; unde iterum in Concilio Tridentino Sess.

V. pluribus canonibus eum damnari opus fuit. Arminiani, quemadmodum de gratia, ita de peccato originali in Semipelagianismum inclinant; sed maxime dolendum est, nonnullos etiam Catholicos ab orthodoxa doctrina in hac materia non parum declinare (*); unde patet necessitas, eam accurate, copioseque tractandi.

§. IX.

Origin. peccatum prob. ex Ps. L.

Exordimur autem a V. T., cujus insignis est locus in Ps. L.; ubi David, quamquam ex legitimo connubio, piisque parentibus ortus, de se ipso inquit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*; in textu autem Hebraico expressius dicitur numero singulari בעון *iniquitate*, ובחמא *in peccato*. Quamquam si etiam cum Vulgata nostra pluralis numerus retineatur, nihil detrahitur vi hujus argumenti; observante enim S. Augustino *in Enchir.* cap. 44., non insolens est sacris Scriptoribus, numerum pluralem pro singulari usurpare; ut cum in Evangelio ad significandam mortem Herodis dicitur: *Defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri.* Observat iterum S. Pater, in peccato originali intelligi posse plura peccata, si in sua quasi membra singula dividatur: *Nam et superbia est illic, quia homo in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit, et sacrilegium, quia Deo non credidit, et homicidium, quia se praecipitavit in mortem, et fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanae serpentina suasione corrupta est, et furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est, et avaritia, quia plus quam illi sufficere debuit, appetivit.* Sed praestat adire Bossuetum, qui in notis ad hunc locum va-

---

(*) Illustriss. Bossuetus in opere *Defense de la Tradition, et des SS. PP.* Richardum Simonium instauratae Pelag. Haereseos de peccato originali merito redarguit. Nonnulli etiam fuerunt, qui ut veritatem Religionis revelatae contra Incredulos facilius defenderent, mysterium peccati originalis extenuare conati sunt; ut nihil dicam de erroribus Harduini, et Berruyer a Franc. Fitziames in sua celebri *Instruct. Pastor.* condemnatis, ac de Molinistarum laxitatibus in hac materia.

na Pelagianorum effugia a Grotio renovata erudite juxta, ac solide praecludit.

§. X.

Alium luculentissimum peccati originalis testem habemus Job, qui cap. XIV. 4. sic ait: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* Quam Jobi sententiam, licet per se perspicuam, ita illustrat Origenes Homil. 8. in *Leviticum* inquiens: *Sed et ille ipse, qui nascitur, sive virilis, sive feminei sexus sit, pronunciat de eo Scriptura, quia non sit mundus a sorde, etiamsi unius diei sit vita ejus.* Pergit deinde Origenes, et tum ex maledictionibus, quibus Job diem nativitatis suae detestatus est, tum ex verbis David mox allatis colligit, *quod quaecumque anima in carne nascitur, iniquitatis, et peccati sorde polluitur.* Ex quibus etiam praecluditur vanum illud Socinianorum effugium, qui nomine sordium non spiritualem, sed carnalem partus immunditiam intelligunt, manifestam vim Jobi testimonio inferentes, qui de iis sordibus loquitur, a quibus solus Deus mundare nos potest; et cum in infantibus peccata actualia esse nequeant, manifestum fit, nonnisi de peccato originali ibi sermonem esse.

Tum ex Job XIV.

§. XI.

Tertium argumentum ad probandum peccatum originale ex V. T. saepius repetebat S. Augustinus ab illa lege Gen. XVII. 14. *Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*; ex qua lege ita contra Pelagianos colligebat S. Pater: Haec poena, quae in phrasi Scripturarum significat damnationem aeternam, certe parvulis infligi non potest propter peccata actualia; debet ergo in iis esse aliud peccatum, scilicet originale, quod in veteri foedere per circumcisionem delebatur (*). Neque vero ii audiendi sunt, qui voce ונכר

Tertio ex lege circumcisionis.

(*) Notandum est cum S. Thoma 3. P. qu. 70. art. 4. discrimen circumcisionis a baptismo; in baptismo enim confertur gratia ex virtute ipsius baptismi quam habet, in quan-

Zachar, quae in textu hebraeo ponitur, non puerum cum nostra Vulgata, sed adultum intelligi volunt, qui propterea puniendus sit quia pactum circumcisionis cum Abraham initum irritum fecit. Non inquam; nam primo LXX. Interpretes addunt, *Puer octo dierum*. Deinde etsi in hebraico textu, sicuti etiam in nostra Vulgata haec additio non habeatur, perspicue tamen id colligitur ex v. 12. praeced. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis* etc. postea sequitur: *Masculus* etc. Quae cum ita sint, recte S. Augustinus *pactum* interpretatur praeceptum Adamo impositum, quod omnes cum Protoparente irritum fecimus, non pactum circumcisionis cum Abrahamo initum.

§. XII.

Nec obstat locus Ezech. XVIII.

Hujusmodi autem argumentis minime obstat celebris ille Ezechielis locus XVIII. 20. *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur*: *Filius non portabit iniquitatem patris*; is enim de peccato originali intelligi non potest, quod ab omnibus contrahitur, omnibusque proprium est; sed de peccatis actualibus. Recte S. Thomas Qu. 4. *de Malo* art. 1. ad 19. observavit, peccatum primi hominis esse quodammodo peccatum totius naturae, et ideo cum aliquis punitur pro peccato primi parentis, non puniri pro peccato alterius, sed pro peccato suo. Sed haec veritas luculentius ex N. T. patebit.

CAPUT III.

Probatur eadem transfusio peccati originalis ex N. T.

§. XIII.

Prob. primo ex Apost. Paulo.

Ut cetera Religionis nostrae mysteria, ita hoc etiam de peccati originalis traduce in V. T. quasi adumbratum, fuit postea in novo apertissime declaratum.

---

tum est instrumentum passionis Christi jam perfectae; in circumcisione autem conferebatur gratia non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi. Hinc alia etiam erant peccati originalis delendi media,

Et quidem disertissimus est locus Apostoli Rom. V. 12. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccaverunt* (*); et v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes in condemnationem; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.* Idem I. Corinth. XV. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Et II. Corinth. V. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus.* Demum ut multa alia omittam Ephes. II. 3. *Nos omnes . . . eramus natura filii irae, sicut et ceteri.* (Graecus textus habet φύσει quod Vulgata vertit *natura*; Julianus autem vertebat *prorsus*, sed utroque modo idem significatur.) His, ac similibus testimoniis maxime triumphavit Augustinus de haeresi Pelagiana, ostendens, proprie fidem Christianam consistere in causa duorum hominum, nempe Adami, et Christi, per quorum priorem venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccato. Vid. Lib. *de pecc. orig.* cap. 24.

§. XIV.

Praecluditur Pelagianorum effugium.

Quamquam haec perspicua omnino sunt, variis tamen cavillationibus ea obscurare nitebantur Pelagiani; potissimum autem eorum effugium erat, Apostolum intelligendum esse de transfusione peccati originalis per solam imitationem, qua homines peccatores primi parentis exemplum consectantur. Sed hanc pravam Paulini textus interpretationem multis modis

---

(*) Concilium Tridentinum Sess. V. definivit *Ecclesiam catholicam ubique diffusam* hunc locum Apostoli semper intellexisse de peccato originali: post quam definitionem mirari satis non possumus, Harduinum ausum fuisse aliter eum interpretari. Hanc Concilii definitionem vir eruditus non ignoravit, sed ad eam eludendam commentus est, nomine *Ecclesiae catholicae* Concilium non intellexisse, nisi *ut in scholis docent plerique Theologi*: hos autem Theologos nullo alio nixos vult fundamento, *quam librorum, qui a Patribus scriptos esse falso putarunt, et adhuc putant.* Nimirum ubique inculare studet paradoxam suam opinionem, omnia Patrum opera esse supposititia.

explosit S. Augustinus; primo enim, cur Apostolus non dixit peccatum intrasse in mundum per Evam, aut per diabolum, qui ante Adam peccaverunt, et quorum exemplum non minus quam Adami peccatores imitantur? Secundo de illo peccato agit Apostolus, per quod mors intravit in mundum, seu propter quod omnes morti obnoxii sunt; sed morti obnoxii sunt etiam illi, qui Adamum peccando non imitantur, ut parvuli: ergo etc. Demum, ne omnia persequar, haec Pelagianorum interpretatio nullo modo aptari potest iis Apostoli verbis: *Eramus natura filii irae*, quibus nos omnes nasci peccato obstrictos luce meridiana clarius est. Nec obest, quod Julianus S. Augustino opponebat, non esse legendum cum nostra Vulgata: *In quo omnes peccaverunt*; sed potius ex graeco textu: *propter quod omnes peccaverunt*; sicuti dicitur Ps. CXVIII.: *In quo* (seu *propter quod*) *corrigit adolescentior viam suam*; aut Act. VII. 29.: *Fugit Moyses in verbo hoc*, seu *propter verbum hoc*. Nam primo nihil est, quod nos cogat a Vulgata nostra recedere, ut contra Julianum ostendit S. Augustinus Lib. 6. cap. 24. Vid. Bossuet *Def. de la Trad.* lib. 7. cap. 12. Deinde etiam posita lectione *propter quod*, sarta, tectaque manet vis nostri argumenti, scilicet propter peccatum Adami nos peccatores nasci, et filios irae.

§. XV.

Aliud effugium praecluditur.

Alterum Pelagianorum effugium, quo etiam usus est Zwinglius, hoc erat, ex Adami peccato nihil aliud in posteros dimanasse, quam mortem, ceterasque miserias, quibus obnoxii sumus, perinde ac si aliquis ob crimen in servitutem redigatur, ejus filii poenae quidem, non autem criminis participes fiunt. Hoc tamen effugium jam praecluserat Apostolus, cum dixit: *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors ... in quo omnes peccaverunt*; et cum addit, nos esse *constitutos peccatores*, et *nasci filios irae*. Ulterius Pelagianis injustum videbatur, filios Adam nondum existentes culpam parentis contraxisse; at vero, ut S. Augustinus recte observabat Lib. 4. *contra duas Epist. Pelagian.* cap. 4., aeque, aut magis injustum foret, homines innocentes supplicio

puniri, et trahere mortem sine meritis mortis. Unde etiam Synodus Arausicana II. can. 2. definivit, *injustitiam Deo dare*, qui dicunt, mortem tantum corporis, non autem peccatum in omne genus hominum transiisse.

§. XVI.

Prob. secundo peccatum orig. ex necessit. baptismi.

Praeter allata Apostoli testimonia insignis ad peccati originalis traducem comprobandum est ille locus Joan. III. 3.: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*; et v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei.* Ex quibus verbis manifeste indicatur baptismi necessitas, qui datur *in remissionem peccatorum*, ut Ecclesia confitetur in symbolo; et cum parvuli nullius peccati actualis conscii sint, nulla alia esse potest eos baptizandi necessitas, nisi in remissionem peccati originalis. Huic invicto et quasi palpabili argumento, de quo fuse agit S. Augustinus serm. 214., inepte respondebant Pelagiani, parvulis necessarium esse baptisma, ut regnum Dei consequantur, non autem ut consequantur vitam aeternam, quae illis innocentibus etiam sine baptismo denegari non potest: vanissima enim est, et sine fundamento excogitata haec regni Dei a vita aeterna distinctio, immo a Christo Domino aperte explosa Matth. XXV. 34. et 46. Postquam enim dixit electis: *Possidete paratum vobis regnum*, subdit: *Ibunt in vitam aeternam.* Huc spectant etiam Exorcismi, quibus ab Apostolorum aevo consuevit Ecclesia spiritus immundos ab infantibus, et catechumenis abigere, antequam baptizentur (*). Nulla autem alia de causa id fieri potest, nisi quia propter peccatum originale sub daemonis captivitate nascimur.

(*) De his saepius egit S. Augustinus in Epist. 184. cap. 10., et lib. 2. *op. imperf.* cap. 181., et lib. 3. cap. 199.; tum S. Caelestinus P. in Epist. *ad Episc. Galliae* cap. 12.; eorumque plurimos collegit solertissimus juxta, ac doctissimus S. R. I. Princeps Mart. Gerbert in saepius citata Disquisit. 7. *de Energumenis* cap. 2.

§. XVII.

Pelagianorum objectio.

Nonnulla tamen sunt, quae in patrocinium sui erroris ex N. T. Pelagiani objiciebant. 1. Apostolum Rom. V. 15. dixisse *unius delicto* (nempe Adami) *multos mortuos esse*, non omnes, et *gratiam unius hominis J. Ch. in plures abundasse*; unde inferebant, Apostolum non loqui de peccato originis, quod omnes contrahant, sed de peccatis actualibus, quibus multi Adamum peccantem imitantur.

Solvitur.

Verum huic difficultati facile respondebat S. Augustinus, *multos* in sensu Apostoli idem esse, ac omnes, quia reipsa omnes multi sunt; unde etiam v. 12. dixerat, mortem pertransisse in *omnes* homines, et *omnes* peccasse.

§. XVIII.

Alia Pelagianorum objectio.

Pelagiani iterum objiciebant, Apostolum antithesim inter Christum, et Adam in eo ponere, quod *unius delicto multi mortui sunt: multo autem magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis J. Ch. in plures abundavit*; quasi vero plures per Christum sint vivificati, quam mortui per Adam.

Solvitur.

Id autem verum non est; Apostolus enim suam antithesim non in numero ponit, sed inter damnum ex peccato Adami derivatum, et gratiarum dona nobis a Christo promerita, ostendens scilicet multo abundantiorem fuisse Christi gratiam, quam fuerit Adami culpa; unde etiam ibidem v. 20. inquit: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*. De his late disserit S. Augustinus Lib. 2. *Op. imperf.* Observat etiam S. Pater Apostolum graece locutum dixisse εἰς πολλοὺς *in multos*, non in plures. Et sic pariter explicanda est illa antithesis, quam Apostolus ponit inter Christum, et Adam dicens v. 18: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae*; non quasi fiat antithesis inter numerum condemnatorum, et justificatorum, cum potius fiat inter causam condemnationis, quae fuit Adam, et causam justificationis, quae est Christus, qui dicitur justificare omnes, quatenus nemo justificatur, nisi per illum; ut *sicuti sine Adam nullus ad mortem, ita sine Christo nul-*

lus ad vitam; verba sunt S. Augustini in Lib. 2. *de nuptiis*, *et concupisc*. c. 2.

Scholion. Non minus efficax argumentum pro transfusione peccati originalis repetebatur a S. Augustino ex verbis S. Pauli, quibus Christus dicitur *mortuus pro omnibus* II. Corinth. V. 14.; sed quoniam haec materia de Christi morte alibi pertractanda est, illud praetermittimus, hoc tantum notantes cum eodem S. Patre Serm. 175. *de verb. Apostol.*, nullam aliam fuisse Filio Dei veniendi in hunc mundum causam, nisi ut peccatores salvos faceret: *Si venit de caelo magnus medicus, magnus per totum orbem terrarum jacebat aegrotus*. Venit autem Christus etiam propter parvulos, qui non alio morbo obstricti esse possunt, quam originali.

CAPUT IV.

Ex veteri Ecclesiae Traditione peccati originalis propagatio ostenditur.

§. XIX.

Communis Fidelium consensus de peccato orig. initio Sec. V.

Antiquam fuisse in Ecclesia, communemque persuasionem, omnes homines nasci peccato originis maculatos, vel ex eo solo abunde liquet, quod statim ac prodiit Pelagii, ac Caelestii doctrina, tanquam nova, atque haeretica ab omnibus communiter explosa est. Eam primo damnavit synodus Carthaginensis an. 412.; deinde Diospolitana an. 415.; quamquam in ea Pelagius absolutus fuit, quia simulavit, se iis anathema dicere, qui docebant, *peccatum Adae ipsum solum laesisse, et non genus humanum* (hujus vaferrimi Haeresiarchae dolos S. Augustinus in Lib. *de gestis. Pelagii* exponit); tertio Pelagiani errores anno 416. in duobus Africanis Conciliis Carthaginensi, et Milevitano iterum proscripti sunt; quorum Conciliorum sententia ab Innocentio I. R. P. probata, et confirmata fuit. Biennio post plenaria totius Africae Synodus re iterum discussa Pelagii haeresim pluribus distinctis canonibus omni ex parte confixit. Ac demum Zosimus qui initio Caelestio propitius videbatur, ejus fraudibus detectis

celebrem contra Pelagianos Epistolam *tractoriam* edidit, cui omnes Episcopi, Juliano Eclanensi cum paucis aliis excepto, magno consensu subscripserunt. Eademque peccati originalis catholica veritas fuit postea etiam in pluribus conciliis orientalibus, ac praecipuè in Ephesino OEcumenico confirmata. Ex quibus omnibus, quaenam fuerit antiqua Patrum traditio, abunde liquet; ut enim observat Sanct. Augustinus lib. 1. *contra Julian.* cap. 7., isti *quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.*

§. XX.

Prob. insuper ex testimon. Patrum Graecor.

Praestat tamen pauca saltem veterum testimonia ad hoc dogma magis confirmandum in medium afferre. Et primo S. Justinus *in Dial. cum Triphone* Christum ad Jordanem venisse dicit *humani generis causa, quod per Adam in mortem, et fraudem, seductionemque serpentis conciderat, ut interim propriam pro se maligne agentis cujsque culpam taceam*, quibus verbis culpas hominum actuales ab originali distinguit. Eodem Sec. II. Sanct. Irenaeus Lib. 4. *advers. Haer.* Cap. 15. *Justa caro*, inquit, *reconciliavit eam carnem, quae in peccato detinebatur*, et cap. 16. *Deum in primo Adam offendimus, non facientes ejus praeceptum: in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti.* Sanctus Athanasius *tom.* 1. *pagin.* 108. *Omnes*, inquit, *qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur, proavi sui damnatione collapsi.* Ac ut multos alios graecos Patres praeteream, S. Gregorius Nazianz. in Orat. 2. *ad Basilium M.*, *Omnes*, ait, *ex eadem terra, et massa coagmentati sumus, et ejusdem ligni iniquitatem gustavimus.* De Joan. Chrysostomi sententia dicemus infra.

§. XXI.

Et etiam Latinorum.

Ex plurimis autem Ecclesiae latinae Patribus duos tantum, aut tres brevitatis gratia seligemus. Tertullianus *de anima* cap. 40. *Omnis anima*, inquit, *eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recensea-*

tur : peccatrix autem , quia immunda , recipiens ignominiam ex carnis societate. S. Cyprianus Martyr in Epist. *ad Fidum* probat baptizari debere infantem , *qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit* , et subdit : *illi remitti non propria , sed aliena peccata* , id est, non actualia , sed originale. S. Hilarius in Ps. 118. de Davide loquens, et illa ipsius verba referens : *Ecce in iniquitatibus* etc. *Scit*, inquit, *sub peccati origine, et sub peccati lege esse se natum.* Et in cap. 10. Matth. *Cum ergo renovamur baptismi lavacro, per Verbi virtutem ab originis nostrae peccatis , atque auctoribus separamur.* Addamus et S. Hieronymum , cujus post multa laudum praeconia haec verba allegat S. Augustinus lib. 1. *cont. Jul.* cap. 7. *Etiam parvuli peccato offendentis Adam tenentur obstricti.* Infinitus autem pene essem, si omnia S. Ambrosii loca, cujus potissimum auctoritate pugnabat S. Augustinus, sigillatim recensere vellem. Horum, aliorumque Patrum testimoniis confisus Sanctus Augustinus ita Julianum jure meritoque redarguere potuit Lib. 2. *de nupt. et concupisc.* cap. 12. *Non ego finxi originale peccatum , quod catholica fides credit antiquitus , sed tu , qui hoc negas, sine dubio es novus Haereticus* (*).

§. XXII.

Objectio S. Joan. Chrysost.

Nunc quidam Patres examinandi breviter sunt, quos sibi favere Pelagiani putabant. Potissimum autem pugnare solebant auctoritate S. Joannis Chrysostomi, quem totum in aere suo esse jactabant, quia in Homil. 10. *in Epist. ad Rom.* illud Apostoli : *In quo omnes peccaverunt*, ita explicat : *Illo lapso , ii etiam, qui de ligno non comederant, effecti sunt ex illo omnes mortales.* Immo adhuc ex-

---

(*) Notatu dignum est, quod S. Augustinus hac in causa vel solum Ecclesiae Occidentalis consensum sufficere putabat , *in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare.* Lib. 1. cont. Jul. cap. 4. n. 13.

pressius expendens ea Apostoli verba : *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*, in aliis nihil absurdi contineri dicit, si ita explicentur, ut Adamo peccante, ac mortali effecto, ejus posteri mortales effecti sint: *At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse, id vero quam obsecro congruentiam, ac consequentiam habet?* Certe locus iste difficilis explicatu prima fronte videtur; si tamen S. Doctoris scopus attendatur, et si insuper cum aliis ejusdem locis conferatur, difficultas evanescet.

§. XXIII.

Solvitur.

Et scopus quidem S. Patris, ut recte advertit S. Augustinus Lib. 1. *contra Julianum* cap. 6. erat, explicare cum Apostolo, *quomodo unius virtute Christi mundus salvatus est?* Utitur autem exemplo Adami, *quo inobediente mundus damnatus est. Quamquam*, subdit Chrysostomus, *non sunt aequalia gratia, atque peccatum, neque paria sunt mors, atque vita*; ubi latius ostendere pergit, *et decentius, et rationabilius* totum mundum salvari potuisse per Christum, quam damnari per Adam. Ex hac autem perpetua comparatione, quam multis verbis eloquentissimus Chrysostomus exponit, validum depromebat Augustinus argumentum, non solum ibi negatum non fuisse peccati originalis traducem, sed etiam luculentur assertum; praecipue cum ibidem Chrysostomus dicat, illo uno peccato Adami *contaminata esse omnia*, et illud distinguat a ceteris postea commissis, introductisque peccatis. Quando ergo S. Joannes negare videtur, nos ex Adamo *peccatores extitisse*, eo sensu exponi debet, ut tantum negaverit, nos in Adamo peccasse *actualiter*, non autem *originaliter*. Ceterum nisi ita S. Patris mens explicetur, difficile intellectu erit, quomodo peccati supplicium in omnes Adae posteros pertransierit sine culpa, quod cum justitia, et bonitate Dei pugnare videtur. Legi totum meretur laudatum S. Augustini caput, in quo luculenter ostendit, S. Joannem Chrysostomum ab aliorum Patrum doctrina nunquam recessisse, immo ad ipsum tamquam catholicae causae patronum Pelagianos confidenter provocat.

§. XXIV.

Ibidem S. Augustinus aliam objectionem solvit, quam Julianus ex verbis repetebat, quae S. Joannes Chrysostomus habet in Homil. *ad Neophytos*, (quae injuria temporum periit) ubi postquam decem plane baptismi effectus connumerasset: *Hac de causa*, subdit, *etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint.* Nimirum observat S. Augustinus, primo ex textu graeco διά τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτιζομὲν, καίτοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα non esse legendum cum Juliano, *cum non sint coinquinati peccato*, sed potius de verbo ad verbum, *quamvis peccata non habentes*: posita autem hac lectione, ita textum interpretatur: peccata dixit parvulos non habere, *intellige propria, et nulla contentio est.* Hoc sensu dicebat Apostolus Roman. IX. 11. de Jacob et Esau, *cum nihil boni egissent, aut mali*; et Sanctus Cyprianus epist. 69. *ad Fidum*, infantibus remitti *non propria, sed aliena peccata*, et communiter infantes appellari consueverunt *innocentes*. Prosequitur S. Augustinus ostendens, non esse omnia verba S. Joannis nimis ad vivum resecanda, quia *in catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur*, et Pelagianis nondum *litigantibus securius loquebatur*. Ceterum inter alia Chrysostomi testimonia, quibus peccatum originale et credidit, et docuit, hoc etiam apertissimum affert ex epist. *ad Olympiam*: *Quando Adam peccavit illud grande peccatum, et omne genus hominum in commune damnavit, de moerore poenas luebat*; tum illud ex laud. mox Homil. *ad Neophytos*, quod ex graeco textu ita latine vertebat ipse Augustinus: *Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam: ille initium induxit debiti, nos foenus auximus posterioribus peccatis* (*).

Alia objectio ex S. Joann. Chrys.

Solvitur.

(*) Nonnulla alia S. Jo. Chrysostomi loca, quibus veteres, novique Pelagiani abuti solent, temporis, et libri augustiae longius persequi non sinunt; sed invenientur passim apud Scholasticos. Et consuli praeter eos possunt Natal. Alexan-

§. XXV.

Objectio ex Clemente Alexand.

Nonnulli alii Patres sunt, quorum testimonia Pelagiano errori specietenus faventia breviter expendere debemus. Clemens Alexandrin. Lib. 3. *Stromatum* n. 16. *Dicant ergo nobis*, inquit, *ubi fornicatus est infans natus: vel quomodo sub Adae cecidit exsecrationem, qui nihil est operatus?*

Solvitur.

Quamquam autem Clementis Alexandrini tanta non sit in Ecclesia auctoritas, ut ejus patrocinio triumphare deberent Pelagiani (vid. Benedict. XIV. in Litt. Roman. Martyrol. praef. §. 19.) ex scopo tamen ejus, et contextu conjicere possumus, illum non catholicam peccati originalis doctrinam, sed tantum Encratitarum errorem impugnare voluisse, qui nuptias ut adulteria, et generationem filiorum tamquam malam exsecrabantur. Ceterum peccati originalis fidem suboscure saltem ibidem innuit subdens: *Quando dixit David: In peccatis conceptus sum etc. dicit prophetice quidem matrem Evam . . . et non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum.*

§. XXVI.

Objectio ex Tertulliano.

Tertullianus etiam Pelagianis praelusisse videri potest, tum ex iis quae scribit *de baptismo* cap. 18. ipsum scilicet utilius differri usque ad eam aetatem, qua adolescentes doceri, et Christum nosse valeant; subdens: *Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum?* tum ex aliis, quibus, *de resurr. carnis* cap. 47. docet, *Regnum mortis nihil aliud operari, quam carnis dissolutionem.*

Solvitur.

Sed quidquid sit de singulari Tertulliani opinione circa dilationem baptismi, quam Ecclesia nunquam probavit, immerito tamen in suspicionem vocatur negatae originalis culpae, quam ut vidimus §. XXI. luculenter asseruit. Nec alio sensu parvulos appellavit inno-

---

der diss. 21. in sec. V. *de peccato orig.* ubi fuse more suo totam hanc materiam pertractat, Syxtus Senensis Lib. 6. *Biblioth. sanctae* annot. 236. ubi vindicias Chrysostomi agit contra Joan. Fabrum Episc. Vienn. qui *in Apologia Commentar. in Paulum* S. Doctorem Pelagianismi suspectum habuit.

centes, quam ut solemus etiam nos appellare, quia malitia carent, et culpis actualibus. Quando autem *de regno mortis* disserit, scopus ejus non est, primi peccati propagationem statuere, aut negare, de qua nulla erat quaestio, sed tantum evincere contra Marcionem, futuram aliquando resurrectionem carnis, quod ex eo luculenter colligit, quia Christus regnum mortis destruxit.

§. XXVII.

Objectio ex Optato Milev.

Optatus item Milevitanus Pelagianis patrocinari videtur, quia in Lib. 7. *contra Parmen.* ita scribit: *Quamvis ab ipsis ad vos videatur haereditaria macula transmissa, tamen in hoc titulo non potestis rei esse cum patribus vestris secundum judicium Dei, qui locutus est per Ezechielem Prophetam dicens: Anima patris mea est, et anima filii mea est; anima quae peccat, sola punietur . . . nam non pertinuit ad Seth filium Adae Patris admissum.* Verum, praeterquam quod certum omnino non est, hunc librum septimum esse Optati genuinum foetum, allata verba ita explicari debent, ut peccatum Adae non pertinuerit ad Seth tanquam personale, sed solum ut peccatum naturae, quod Sanctus Optatus multis in locis apertissime fatetur. Sufficiant ea verba, quae habet Lib. 4. *Neminem fugit, quod omnis homo, qui nascitur, quamvis de parentibus christianis nascatur, sine spiritu mundus esse non possit . . . hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur etc.*

Solvitur.

§. XXVIII.

Objectio ex Theodoreto.

Disputari acrius solet de mente Theodoreti Cyrensis Episcopi, quia *in Commentar. ad Roman.* V. inquit: *Non propter primi parentis peccatum, sed propter suum, unusquisque mortis decretum suscipit*; et in Ps. L. omnes homines propter peccatum Adae mortales esse factos, et perturbationibus animi obnoxios diserte scribit, peccatores autem factos nullatenus innuit. At vero cum Adae peccatum unicuique hominum proprium sit, rectissime intulit Theodoretus, omnes homines propter suum peccatum mortis decretum accepisse. Si autem de personalibus uniuscujusque peccatis fuisset locutus, quo-

Solvitur.

modo non advertisset vir doctissimus, id minime posse infantibus accommodari, qui nonnisi propter peccatum originis mortis decretum suscipere possunt? In alio item loco obscure saltem peccati traducem indicat, cum homines dicit, Adami culpa morti, perturbationibus animi, aliisque miseriis factos esse obnoxios; immo etiam illam, quam habemus ad peccandum propensionem ex Adami culpa repetit; quamquam recte negat, aliquam in nobis esse inevitabilem peccandi necessitatem. Peccati autem originalis propagationem alibi perspicue tradit; nam Lib. 5. *haeret. fabul.* cap. 11. praeter alia multa haec habet: *Lex justitiae omnes ad supplicium ducebat, omnes enim peccatores constituti sumus; si enim cum unus peccasset, condemnatum est genus, multo itaque justius erat, eos, qui peccato subditi erant, supplicium subire.* Vid. Natalis Alexander dissert. 21. in sec. V.

Scholion. Non ita facile est, de mente Origenis hac in re aliquid certi statuere, dissentientibus inter se primi subsellii eruditis. Videri possunt Card. Norisius Lib. 1. *Histor. Pelag.* cap. 1. aliique, qui cum cum Sancto Hieronymo tanquam Haereseos Pelagianae praeformatorem aperte condemnant. Contra vero Origenis vindicias agit Huetius lib. 2. *Origenian.* cap. 2. Qu. 5. Bossuetus *in Defens. Tradit. et SS. PP.* Lib. 3. cap. 28. Pelagianis tamen aperte consensit Arnobius Junior, seu auctor *Commentar. in Psalm.* cujus scripta Gelasius Papa in Synodo Rom. Apostolico stigmate confixit. Idemque judicium ferri debet de auctore *Commentarii in epist. Sancti Pauli*, quem Hilarium Diaconum fuisse Critici conjectantur; tum de *Quaestionibus, et respons. ad Orthodoxos*, quas falso Sancto Justino adscriptas, et hominis Pelagiani esse Prudentius Maran operum Sancti Justini editor ostendit. Notandum insuper est, Theodorum Mopsvest. initio Pelagianis patrocinatum fuisse; sed postea eorundem errorem in Concilio Anazabarbensi condemnasse, ut videre est apud Patrem Garnerium dissertat. 2. in Marium Mercat. ac demum Nestorium initio doctrinam Ecclesiae de peccato originali fuisse professum, sed postea cum Pelagianis foedus iniisse, ut contra Ca-

tholicos agmen suum augeret. Id patet ex epist. Sancti Caelestini ad eundem Nestorium. Sed de traditione Ecclesiae in hoc dogmate maxime commendandus est, qui legatur incomparabilis Bossuetus.

CAPUT V.

Dissolvuntur objectiones, quibus Pelagiani peccatum originale ex ratione oppugnabant.

§. XXIX.

Pelagianorum sophismata ab August. explosa.

Quamquam mysteria nostrae fidei rationibus ex lumine naturali depromtis probari non possint, multa tamen sunt in homine, quae sine peccati originalis existentia explicari nequeunt, ut I. Par. §. XVII. et seq. ostendimus. Sed modo his praetermissis satis erit, si non omnia, saltem praecipua rationum momenta explodere, quibus Pelagiani fundamentalem hanc Religionis nostrae veritatem convellere nitebantur. Ducem autem etiam in hanc parte habebimus magnum Augustinum, qui Juliani Eclanensis Pelagianorum omnium acutissimi omnia sophismata detexit, copioseque refutavit, praecipue autem *in Libris sex contra Julianum*, et *in opere imperfecto contra secundam ejusdem Juliani responsionem*, sex pariter Libris comprehenso, nec non in duobus Libris *de Nuptiis*, *et concupiscentia*.

§. XXX.

Prima Objectio ex ratione.

Primum ac potissimum contra peccatum originale argumentum ex eo desumitur, quod nullum peccatum intelligi possit sine libero voluntatis consensu, unde etiam Pelagiani Augustino objiciebant definitionem peccati ab ipso traditam, quod nempe sit *voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere*; jam vero nullo modo explicari potest, quomodo Adami inobedientia a nobis volita, et quidem libere fuerit, ut proinde possimus ejusdem culpae obnoxii esse. Huic difficultati, quam variis modis urgebant Pelagiani, non aliter respondebat S. Augustinus, quam totam hanc doctrinam verissimam esse, si intelligatur de

Solvitur.

peccato actuali, et personali, non autem si intelligatur de culpa originali, quae est culpa, et infectio naturae, et ad quam proinde contrahendam sufficit naturam habere humanam; unde etiam haec allegabat verba S. Ambrosii: *Fuit Adam, et in illo fuimus omnes; periit Adam, et in illo omnes perierunt.* Vid. Lib. 1. *oper. imperf.* cap. 46. Est itaque peccatum originale nobis voluntarium, et liberum voluntate, et libertate Adami, a quo originem trahimus, et in quo omnes peccavimus, atque hac ratione etiam illud vitare nobis possibile erat.

§. XXXI.

Secunda objectio ex ratione solvitur.

Difficile quidem explicatu est, quomodo ex parentibus justis, et sanctis peccatum, quod in eis nullum est, transfundatur in prolem; sed haec est mysteriorum omnium natura, ut eorum existentia divinae revelationis lumine cognoscatur, modus autem, quem Deo revelare non placuit, nos lateat. Immo idipsum in ordine etiam naturali quam saepissime contingit, ut innumeris exemplis hanc rem declarabat Augustinus, praecipue autem olivae, ex qua amarus nascitur oleaster, quamquam ipsa dulcis est. *Ut quod dimissum est in parente*, inquiebat S. Pater Lib. I. *de nuptiis, et concupisc.* cap. 19., *trahatur in prolem, miris quidem modis fit, sed tamen fit. Haec invisibilia, et infidelibus incredibilia, sed tamen vera; ut haberent aliquod visibile exemplum, hoc in quibusdam arbustis divina providentia procuravit. Cur enim non credamus propter hoc institutum, ut ex oliva nascatur oleaster etc.?* Et sic etiam quamvis intelligi nequeat, quomodo imputetur filiis peccatum, quod in parentibus remissum est, credere tamen oportet Scripturae dicenti, omnes nos in Adamo peccasse, nec posse a peccato, quod generatione carnali contraximus, nisi spirituali regeneratione liberari.

§. XXXII.

Duae aliae objectiones.

Duo alia praeterea sunt, quibus ad denegandam peccati originalis propagationem commovebantur Pelagiani. 1. Dicebant Manichaeismum suscitari, statuendo naturam hominum esse ita malam, ut non possit ab illa peccatum separari. 2. Exsuscitari pari-

ter illorum haeresim, qui nuptias condemnabant, cum non possit generatio hominum multiplicari, nisi multiplicatis peccatis. Facile tamen utrumque solvebatur ab Augustino; et primum quidem observando naturam humanam, prout a Deo condita est, fuisse bonam, ut bona erant omnia a Deo creata, IV. P. §. XLI., peccato autem Protoplastarum fuisse vitiatam, at non ita, quin Christi gratia ad pristinam bonitatem reduci queat; in quo apparet immane discrimen Catholicae doctrinae ab absurda Manichaeorum haeresi, qui creaturas esse intrinsece malas, et a malo principio ortas impie delirabant. Alterum etiam nullius ponderis esse, ex eo liquet, quod peccatum originale non *per se*, sed *per accidens* consequatur ad generationem prolis, et qui nubunt, non intendant peccatum originis traducere, sed uti benedictione illa Divina: *Crescite et multiplicamini*, ad procreandos filios, qui Deo ac Patriae inserviant; et quia sciunt, *ubi abundavit delictum* primi hominis, *ibi superabundasse gratiam* Jesu Christi; unde S. Augustinus simili argumento respondens Lib. 2. *de nupt. et concupisc.* inquiebat: *Qui ergo dicit* (generationem) *bonam non esse, bonum negat conditae Creatorem: qui vero negat ei malum inesse, misericordem vitiatae invidet Salvatorem.*

Solvuntur.

§. XXXIII.

Postrema objectio Juliani solvitur.

Molestius denique sciscitabatur Julianus, per quam rimam peccatum a parentibus in filios traduceretur. Respondebat autem S. Augustinus lib. laud. 2. *de nupt. et concupisc.* cap. 28.: *Quid quaerit latentem rimam, cum habeat apertissimam portam? per unum hominem ait Apostolus: per unius delictum ait Apostolus: per inobedientiam unius hominis ait Apostolus: quid quaerit amplius? quid quaerit apertius? quid quaerit luculentius?* quod quidem interrogationi Juliani satis erat. Coactus tamen S. Pater explicare modum, quo anima peccati maculam contraheret, anceps aliquando visus est, in eamque sententiam propendere, qua tunc putabatur animam oriri ex traduce, quaeque ad explicandam propagationem peccati originalis faciliorem aperiebat viam; qua de re etiam S. Hieronymum lit-

teris consuluit. Sed etsi dicatur, uti dici debet, animam creari a Deo, non propterea inexplicabilis est, ut Pelagiani putabant, peccati originalis transfusio; ex ipsa enim unione cum corpore contaminato contagium accipit praevaricationis; eo fere modo, quo anima laeso, aut vulnerato corpore dolet.

§. XXIV.

Concupiscentia vehiculum peccati orig.

Addendum denique est cum eodem S. Augustino, peccati originalis materiale vehiculum nihil esse aliud, quam concupiscentiam, non quidem actualem sed habitualem, quam in renatis fonte baptismatis remanere Synodus Tridentina confitetur Sess. 5. Can. 5.; quod S. Thomas Quaest. 4. *de malo* art. 2. ad 4. uberius declarat. Et ideo rectissime post S. Ambrosium S. Augustinus observabat lib. 1. c. 4. n. 11. *contra Jul.*, Christum solum fuisse a peccato originali immunem, quia solus sine concupiscentia carnali Spiritus sancti virtute conceptus est (*). Quod si pia multorum sententia (de qua in praesentiarum sermo nobis non est) Beatam Mariam Virginem ab universali lege excipit, hoc singulare ipsius privilegium communi S. Augustini, aliorumque Doctorum de vehiculo peccati originalis, nullam prorsus vim adimit.

Scholion. I. Nolumus tamen, nec si vellemus temporis angustiae paterentur, ulterius et curiosius de modo propagationis maculae originalis inquirere. Certum, et ab Ecclesia definitum est, peccatum primi parentis in omnes ipsius posteros ita transfundi, *ut proprium unicuique insit*, ut post multas alias superiorum temporum definitiones Synodus Trid. Sess. V. apertissime sanxit, quamvis de modo, quo haec contagio propagatur, nihil hactenus ab Ecclesia statutum sit. Caeterum sapiens S. Augustini monitum in Epist. 167. ad Hieron. sequamur, ubi allata historiola cujusdam, qui in puteum lapsus e-

(*) Et Serm. 152. *de verbis Apost.* n. 8. *Cetera ergo*, inquit, *omnium hominum caro, caro peccati: sola illius non caro peccati, quia non eum mater concupiscentia, sed gratia concepit.*

rat, et alteri quaerenti, quomodo illuc lapsus fuisset, *Obsecro, inquit, cogita, quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim, quaeras*, ita concludit: *Quoniam fatemur, et fide Catholica tenemus, de reatu peccati, tanquam de puteo etiam parvuli infantis animam Christi gratia liberandam, satis est ei, quod modum, quo salva fiat, novimus; etiamsi numquam quomodo in malum illud inciderit, noverimus.*

Scholion II. Utilius fortasse tempus impenderetur in peccati originalis natura definienda; sed ut breviter hanc rem expediamus, paucis doctrinam contrahemus, quam S. Thomas habet Qu. 4. *de Malo* art. 2.; ubi observat, in peccato primi parentis fuisse aliquid *formale*, scilicet aversionem a Deo incommutabili bono, et aliquid *materiale*, scilicet conversionem ab bonum commutabile: ex quo autem Adam aversus fuit ab incommutabili bono, donum originalis justitiae amisit; et ex quo conversus est inordinate ad commutabile bonum, inferiores vires jugum rationis quodammodo excusserunt, eique rebelles factae sunt. Idem ergo et in posteris Adae contingit, in quos prima ejus culpa transfunditur; nimirum superior pars animae caret debito ordine ad Deum, a quo aversa est; et inferiores vires non subduntur rationi per concupiscentiam rebellem; adeoque peccatum originale in nobis nihil aliud esse videtur, quam concupiscentia cum carentia originalis justitiae; ita tamen, ut haec carentia originalis justitiae sit in peccato originali *quasi formale*, concupiscentia autem *quasi materiale*. Quando autem hic nominamus concupiscentiam habitualem, non eam intelligimus, quae nascitur in peccatoribus ex actibus frequenter iteratis; sed illam pronitatem ad concupiscendum, quae oritur ex rebellione partis inferioris, utpote quae sublato fraeno originalis justitiae rationi non subditur. Ex quibus etiam illud consequitur, peccatum originale esse ipsum Adami peccatum in nos derivatum, cum hoc tamen discrimine, quod in illo fuit *actuale*, et *personale* peccatum, utpote actu propriae voluntatis commissum; in nobis autem dicitur peccatum *naturae*, et *originis*, quia in nobis non est,

nisi quatenus naturam habemus vitio primi Parentis infectam. Sed plura dabit laud. Angelicus; et consuli etiam potest Henr. a S. Ignatio *in Ethica amoris* Lib. 10. cap. 3.

CAPUT VI.

De poenis peccati originalis, ex quibus ejus existentia iterum probatur.

§. XXXV.

Ex morte, aliisque corporis miseriis prob. peccatum orig.

Hoc argumento saepissime usus est S. Augustinus contra Pelagianos, principii loco constituens, a Deo justo nullas infligi posse poenas sine culpa; ut enim dicitur Deo Sapient. XII. 15. *Cum ergo sis justus, juste omnia disponis; ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, externum aestimas a tua virtute* (*). Hinc ex miseriis hujus vitae, quibus etiam infantes innocentes obnoxii sunt, potissimum autem ex morte, a qua nemo eximitur, recte concludebat, esse in omnibus aliquod peccatum, propter quod a Deo juste puniri mereamur: cumque in infantibus nullum sit peccatum actuale, manifeste evincitur, ipsos peccato originis obstrictos esse. Porro nullum aliud erat Pelagianis effugium, nisi fingere, mortem, aliasque hujus vitae calamitates non esse vere, et proprie poenas, sed potius hominis naturae consectaria. Hoc autem ipsorum effugium praecludebat S. Augustinus ex multis Scripturae locis, quibus mors dicitur *stipendium peccati* Rom. VI. 23. *stimulus* item *peccati* I. Corinth. XV. 56 . . item *per peccatum mortem intrasse in mundum, et in omnes pertransiisse* Rom. V. 12.; quae omnia comminationi a Deo factae Gen. II. 17. *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, apprime con-

---

(*) Observabat idem S. Augustinus Lib. 4. *cont. duas epist. Pelagian.* cap. 4., ab hac generali divinae justitiae lege unum excipiendum esse *mediatorem Dei, et hominum hominem Christum Jesum, qui pro nobis mortem, hoc est peccati poenam sine peccato subire dignatus est . . et solus pro nobis suscepit sine malis meritis poenam, ut nos per illum sine bonis meritis consequeremur gratiam.*

sentiunt. De aerumnis autem hujus vitae dictum est Eccl. XL. 1. *Jugum grave supra filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae*; ubi Siracides varia enumerat calamitatum genera, quibus homines sine ulla exceptione toto vitae suae tempore premuntur.

§. XXXVI.

Solvitur quaedam difficultas.

Unica difficultas, quae huic doctrinae obstare videtur, ex iis verbis repetitur Exod. XX. 5. *Deus Zelotes visitans iniquitatem Patrum in filios*. Sed S. Augustinus hanc difficultatem prorsus enodavit, observans, primam, et universalem causam, propter quam justissime Deus punit aliquando filios propter peccata parentum, esse ipsam originalem culpam, qua omnes homines infecti sunt; quamvis causa immediata, et proxima puniendi filios sint parentum peccata. Atque hinc etiam intelligitur, quomodo juste Chanaan, ejusque filii poenam meledictionis propter delictum Cham portare potuerint Gen. IX. 25.

§. XXXVII.

Tum ex interna hominis concupiscentia.

Hoc eodem argumento Gelasius P. in Epist. *ad Episcopos per Picaenum*, et Synodus Arausicana II., multique Patres post S. Augustinum peccati originalis existentiam invicte demonstrarunt. Saepius autem considerabant miserias hominum exteriores, et mortem, quia haec poena magis sub sensum omnium cadit; non quia unica, aut potissima sit; nam interna totius hominis corruptio, et concupiscentia effrenis, qua caro concupiscit adversus spiritum, praecipuum locum inter peccati originalis poenas occupat, atque ex hac saepius dimicabat S. Augustinus contra Pelagianos. Videri potest Liber 2. *contra Julianum*, ubi pluribus allatis veterum Patrum tam graecae, quam latinae Ecclesiae testimoniis, imprimis autem SS. Cypriani, Ambrosii, et Hilarii, ex interna pugna, quam isti baptizati, et sancti rebellis concupiscentiae experiebantur, et confitebantur, expugnatam esse Pelagianam Haeresim fidenter concludebat. (*) Observat doctissimus Bossuetus potuis-

(*) De hoc eodem argumento fuse agit S. Augustinus cum in aliis suis operibus contra Pelagianos, tum maxime in

se a S. Augustino etiam Origenem, et Tertullianum hujus veritatis testes appellari, sed fortasse utrumque ea de causa praetermissum, quia primus a Theophilo Alexandr., et ab Anastasio R. P. damnatus, alter autem schismate ab Ecclesia separatus non tantum auctoritatis habere potuissent, quanta opus erat, ad pervicaces Pelagianos convincendos. Quamquam in 4. libro a Juliano pressus etiam Ciceronem allegat, qui in lib. 3. *de Republ. hominem dicit, non ut a matre, sed ut a noverca natura editum in vitam, corpore nudo, fragili, et infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines*; et concludit, auctorem istum *rem vidisse, causam nescivisse ... quia sacris litteris non eruditus ignorabat originale peccatum.*

SCHOLION. Observante eodem Bossueto, quo nemo fortasse melius hanc materiam pertractavit, communis et certa scholarum doctrina est, *materiale* peccati originalis esse concupiscentiam; addit tamen tolerari non posse aliquorum opinionem, putantium ejusdem peccati *formale* esse eandem concupiscentiam actu dominantem; si enim hoc verum esset, quotiescumque per peccatum actuale gratia sanctificans amittitur, et concupiscentia fit dominans, culpa originalis reviivisceret.

CAPUT VII.

Ostenditur, Adae peccato non solum fuisse naturam humanam donis gratuitis spoliatam, sed etiam vulneratam, et infirmatam.

§. XXXVIII.

Molinistarum sententia de natura lapsa.

Communis apud Theologos post sanctos Patres loquendi usus obtinuit, genus humanum peccato Adami fuisse sauciatum, vulneratum, atque infirmatum;

Libris *de nupt. et concupisc.* P. autem Bern. de Rubeis *Tract. de pecc. origin.* cap. 41. et seq. conatur ostendere, etiam admisso possibili statu naturae purae (de quo infra cap. IX.) haec Augustini, aliorumque Patrum argumenta omnem vim suam obtinere.

sed aliqui recentiores iisdem retentis nominibus non aliam naturae lapsae infirmitatem agnoscunt, quam quae oritur ex privatione illorum donorum supernaturalium, quibus Adam innocens abundabat; ita ut homo lapsus nullatenus dici possit in suis viribus naturalibus infirmior, aut debilior factus, quam fuisset primus homo, nullis quidem supernaturalibus donis exornatus, nec tamen per peccatum inobedientiae Deo inimicus factus; immo quasi commune proloquium habent: *hominem lapsum non differre ab homine in puris naturalibus condito, nisi ut spoliatum a nudo.*

§. XXXIX.

Quam tamen sententiam omnino falsam esse, vel illa sola celebris parabola declarat hominis illius, qui descendens ab Jericho *incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum; et plagis impositis abierunt semivivo relicto* Lucae X. 30. Porro sancti Patres magno consensu in homine isto intelligunt genus humanum peccato Adami non exspoliatum solum, sed vulneratum insuper, ac semivivum relictum, nec aliter a vulneribus restitutum, quam per Christi redemptionem, et gratiam. Videri possunt sanctorum Patrum testimonia ab Angelico *in Catena aurea* allegata. Inter omnes eminet S. Augustinus, qui in sermone 132. postquam se excusasset, quod non sine causa haec saepius inculcaret: *Sunt homines, inquit, ingrati gratiae, multum tribuentes inopi, sauciaeque naturae. Verum est, magnas arbitrii liberi vires homo cum conderetur accepit, sed peccando amisit: in mortem lapsus est, infirmus factus est; a latronibus semivivus in via relictus est: in jumentum suum levavit eum transiens Samaritanus* etc.; et pergit ostendere, quomodo etiamsi baptismi gratia vulnera nostra curata sint, languor tamen in nobis remaneat, ut nemo de perfecta sanitate gloriari possit (*).

Convellitur ex Scriptura et Patribus.

(*) Nescio quo fundamento Vasquez in 1. 2. disp. 138. asserere potuerit, hanc parabolae istius expositionem non esse nisi Scholasticorum; cum praeter S. Augustinum alios Patres bene multos afferre facillimum esset. Ceterum S. Tho-

§. XL.

Tum ex definitionibus Conciliorum et Rom. Pontif.

Operae dispendium facerem, si multa id genus S. Augustini, aliorumque Patrum loca in medium afferrem; sed praetermittendae non sunt duorum Conciliorum definitiones, Arausicani, et Tridentini, quorum primum Oecumenici auctoritate pollet, postquam a tota Ecclesia probatum fuit: ita autem habet Canone I.: *Per offensam praevaricationis Adae totum hominem, id est secundum corpus, et animam in deterius fuisse commutatum*; et Canone 13. *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum*; et Canone 25. *Liberum arbitrium inclinatum, et attenuatum*. Synodus autem Trident. Sess. 5. Can. 1. *Si quis non confitetur*, inquit, *primum hominem, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse . . . totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit*. Et Sess. 6. cap. 1. peccato originali fuisse liberum arbitrium *viribus attenuatum, et inclinatum* declarat, quamvis non exstinctum. Hae certe definitiones aliquid plus innuunt, quam solam gratiae privationem, aliorumque supernaturalium dotium exspoliationem. Quamobrem etiam S. Caelestinus Papa in decretis annexis suae epist. *ad Episc. Galliae* cap. 9. gratia Dei liberum arbitrium fieri dicit *de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente providum*; et Gelasius I. in epist. *ad Episc. per Picaenum*, peccato originis *ipsam humanam substantiam depravatum esse* docet.

§. XLI.

Additur explicatio S. Thomae.

Sed nemo meliore in lumine hanc veritatem collocavit, quam S. Thomas, qui 1. 2. quaest. 85. art.

---

mas 1. 2. Qu. 109. art. 9. post Magistrum suum Augustinum ostendit, in natura humana, licet sanetur per gratiam quantum ad mentem, remanere tamen corruptionem, et infectionem quantum ad carnem, quam multiplicem ibidem enumerat.

1. post allatam parabolam hominis vulnerati a latronibus Luc. X., triplex distinguit bonum naturae humanae, scilicet primo ipsa principia, ex quibus natura humana constituitur, et proprietates ex his promanantes, ut potentiae animae, et hoc bonum naturae peccato originali nec sublatum, nec diminutum docet. Secundo aliud bonum naturae est inclinatio ad virtutem, quod per peccatum non quidem omnino ablatum, sed tamen diminutum dicit. Tertium denique bonum naturae est originalis justitia, quae in primo homine collata fuerat toti naturae humanae, et hoc bonum peccato primi parentis penitus amissum est. Et ibidem art. 3. ostendit quatuor esse vulnera nobis a culpa originali inflicta; primum scilicet ignorantiae in ratione, quae destituitur suo ordine ad verum; alterum malitiae in voluntate, quae destituitur ordine ad bonum; tertium infirmitatis in irascibili, quae destituitur ordine ad arduum; quartum concupiscentiae, quae destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione. Et ne quis sibi fingat, haec vulnera in sola privatione justitiae originalis sita esse, superius quaest. 82. art. 1. ad 1. usus fuerat similitudine aegritudinis corporalis, in qua praeter privationem sanitatis est etiam aliquid positivum, scilicet humores inordinate dispositi; unde infert, etiam peccatum originale praeter privationem originalis justitiae inordinatam producere dispositionem in animae potentiis.

§. XLII.

Accedit postremo, homines peccato originali non solum privatos fuisse gratia, et amicitia Dei, sed etiam constitutos esse *servos peccati, et sub potestate diaboli, ac mortis*, ut loquitur Concilium Trident. sess. 6. cap. 2.; quod etiam apparet in exorcismis, quibus Ecclesia in baptismo ad expellendum diabolum utitur. Jam vero haec captivitas, qua detinemur, cum virium nostrarum integritate conciliari nullatenus potest. Et quamvis gratia baptismatis simus per Christum Dominum ab hac daemonis captivitate liberati, remanet tamen etiam in renatis concupiscentia, quae, etsi peccatum non est, *ex peccato tamen est, et ad peccatum inclinat.* Conc. Trident. sess. 5. can. 5. Atque hoc, et non

Quae magis confirmatur.

alio sensu intelligi debet illa loquendi formula, quae non raro apud Scholasticos occurrit, scilicet naturam lapsam differre a natura pura tamquam *spoliatum a nudo*; aut exemplum Samsonis, qui rasis capillis infirmus factus est. Nempe exprimere voluerunt primum, et potissimum peccati originalis effectum, non autem omnia ipsius consectaria; et exemplum Samsonis aptissimum erit, si abrasioni capillorum addatur etiam vinculorum obstrictio, et obcaecatio, quae postea subsecuta est. Nisi ita accipiatur quorundam Scholasticorum doctrina, repudianda erit, utpote Scripturis, Conciliorum definitionibus, et Sanctorum Patrum doctrinae manifeste contraria (*).

SCHOLION. Tanta est hujus rei evidentia, ut ipsi fideles in suis ad Deum precibus hanc naturae infirmitatem, et fortissimam inclinationem ad malum intime sentientes, divinae gratiae medicamen enixe postulare soleant. Celebris est devota illa oratio Lib. 3. *de imit. Christi* cap. 51. qua ad nostram doctrinam nihil aptius esse potest: *Domine Deus meus, qui me creasti ad imaginem, et similitudinem tuam, concede mihi hanc gratiam, quam ostendisti tam magnam, et necessariam ad salutem, ut vincam pessimam naturam meam trahentem ad peccata, et in perditionem; sentio enim et in carne mea legem peccati contradicentem legi mentis meae, et captivum me ducentem ad obediendum sensualitati in multis: nec possum resistere passionibus ejus, nisi assistat tua sanctissima gratia cordi meo ardenter infusa. Opus est gratia tua, ut vincatur natura ad malum semper prona ab adolescentia sua; nam per primum hominem Adam lapsa et vitiata per peccatum, in omnes homines poena hu-*

(*) Hanc materiam uberrime tractavit J. Thomas de Lemos in *Panoplia gratiae* t. 1. p. 2. tr. 1. *de laesione lib. arb. per pecc. origin.* Legi etiam merentur Bossuet *Traité de la concupiscence*, et Duguet *Explicat. sur la Genese.* In multis quoque libris, qui piorum manibus teri solent, saepius de hac re agitur, utpote ad formandos mores admodum necessaria; ut videri potest *dans l' esprit de Nicole* ch. 3. et seq.

jus maculae descendit etc. Hunc librum prae aliis laudavimus, quia omnium fere manibus teritur.

CAPUT VIII.

Peccato originis attenuatum quidem est liberum hominis arbitrium, non tamen extinctum (*).

§. XLIII.

Eam hominis libertatem hic defendendam suscipimus, quae non solum a coactione, sed etiam ab absoluta, et invincibili necessitate immunis est; negari enim non potest, cum ex peccato Adami, tum ex perversis habitibus homines quandoque in necessitatem *hypotheticam*, et *moralem* praecipitari; quod in peccatoribus obcaecatis, et obduratis quotidiana experientia evincit. Porro haec libertas *indifferentiae* appellari a multis consuevit; quod non ita accipiendum est, quasi ad libertatis essentiam requiratur voluntatis indeterminatio, aut suspensio; nam etiam posita determinatione remanere potest in voluntate libertas: et multo minus quasi ad eam necessarium sit commentitium illud aequilibrium, quod nonnulli statuere voluerunt contra intimam libertatis no- Libertatis notio.

(*) Non disputamus hinc contra veteres, aut novos Fatalistas, qui omnia in hoc mundo adamantina necessitate evenire putabant; nec contra Manichaeos, aliosque haereticos, qui duo rerum principia admittentes bonum, et malum, homines ab alterutro necessario agi inferebant; sed contra veteres, novosque Praedestinatianos, praecipue autem Wicleffum, Lutherum, Calvinum, aliosque, qui libertatem homini innocenti a Deo concessam peccato primi parentis amissam fuisse docebant, quamquam Lutherus ea, quae contra Erasmum scripserat *de servo arbitrio*, ita postea emollivit, ut ad Pelagianos teste Bossueto VI. *Avertissement aux Protestans* deflexerit, a quibus nec procul abest ea Calvinianorum secta, quae vocatur *Arminianorum*, ut fidem facit idem Bossuetus *in Praefat. exposit. fidei*, nec non *in Hist. variat.* etc. Lib. 8. c. 24., et 51. Horum omnium haeretica opinio fuit in Concilio Tridentino damnata. Huc etiam spectant plures propositiones a Rom. Pontificibus Pio V., Innocentio X., et Clemente XI. proscriptae.

strae conscientiam, qua quilibet noscit, se libertatem retinere, etiam quando vehementi passione ad aliquid agendum inclinatur. Hanc quam modo descripsimus libertatem, esse in hominibus lapsis superstitem

§. XLIV.

Prob. Ex sacris Litteris.

Probatur primo ex sacris Litteris. Moyses Deuter. XXX. 19. populo Israelitico mandata Dei proponens, *Testes invoco*, ait, *hodie coelum, et terram, quod proposuerim vobis vitam, et mortem, benedictionem, et maledictionem: elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum.* Jam vero electio non habet locum, ubi necessitas non determinat. Clariora adhuc sunt, et nostro scopo magis accommoda, quae leguntur Eccli. XV. 14. *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui: adjecit mandata, et praecepta sua; si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam, et ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, et mors, bonum, et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Quibus verbis aperte manifestatur, liberum arbitrium homini in prima conditione collatum non fuisse originali culpa omnino subtractum; unde etiam S. Augustinus *de gratia, et lib. arb.* cap. 2. ex iisdem verbis ita colligebat: *Ecce apertissime videmus expressum liberum humanae volutatis arbitrium.*

§. XLV.

Tum ex S. Augustino.

Sed quoniam de S. Augustini mente, quem totum in aere suo jactant Calviniani, potissimum disputari solet, non abs re erit, nonnulla alia hujus sancti Patris testimonia adducere, praecipue ex libris, quos orta Pelagiana haeresi conscripsit; nam ante eam notum est, illum contra Manichaeos arbitrii libertatem omni conatu vindicasse, ut apparet ex libris *contra Faustum*, et ex aliis tribus *de libero arbitrio*. Cum Pelagiani S. Patri objecissent verba S. Hieronymi ex Libro 2. *contra Jovinian.*: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est*; ita respondit in Lib.

de Nat., *et grat.* cap. 65. : *Quis non agnoscat? quis non toto corde suspiciat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam?* Et cum gratiae hostes non cessarent ejusdem vindicem Augustinum calumniis lacessere, quasi sub gratiae nomine fatalem induceret necessitatem, *Fides sane catholica*, inquiebat Epist. 215., *neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in vitam bonam: neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid.* Multa alia S. Doctoris loca brevitatis amore praetermittere coacti sumus. Sed satis esse illud videtur, quod Pelagianorum, et Semipelagianorum querelas de exincto libero arbitrio sub gratia tamquam putidas calumnias constanter explosit.

§. XLVI

Atque ex definitionibus Conciliorum.

Ex his paucis, quae attulimus, abunde liquet, merito in Concilio Constantiensi damnatam fuisse propositionem Wicleffi: *Omnia de necessitate absoluta eveniunt*; et in Concil. Trid. sess. 6. can. 5. ita definitum: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum, et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit*: ac demum ab Innocentio X. jure proscriptam tertiam Jansenii propositionem: *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Mitto plures alias similes propositiones Apostolico stigmate confixas.

§. XLVII.

Explicatur locus Apostol. Rom VII.

Neque huic catholicae de libertate doctrinae obstant ea Apostoli verba Rom. VII. 19.: *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.* Ea enim intelligi debent de motibus indeliberatis concupiscentiae, quae *malum* dicitur, quia ex peccato procedit, et ad peccatum inclinat; non autem de consensu voluntatis, quae libere eidem concupiscentiae cedit, aut Dei ope resistit. Vid. S. Thomas Lect. 3. in hunc locum.

§. XLVIII.

Objectio ex S. Augustino.

Praecipuum contra libertatem argumentum ex iis S. Augustini verbis depromi solet *in Enchirid* cap. 30. : *Libero arbitrio male utens homo et se perdidit, et ipsum: sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit . . . ita cum libero peccaretur arbitrio victore peccato amissum est liberum arbitrium.* Hoc saepius repetit S. Pater, immo et S. Caelestinus I. et Synodus II. Arausicana, et Ecclesia Lugdunensis, et alii Patres non pauci eadem verba adoptarunt. Sed nemo melior sui ipsius, aliorumque interpres, quam Augustinus ipse, qui Lib. 1. *contra duas Epist. Pelagian.* cap. 2. ita mentem suam exponit: *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quae in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana indiget gratia, dicente Domino: si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Similia saepius ingeminat S. Doctor, ut intelligamus, non eam de qua agimus libertatem peccato Adami periisse, sed libertatem a peccato; omnes enim nascimur filii irae, et peccati servi.

Solvitur.

§. XLIX.

Alia ex eodem S. Augustino objectio.

Sed si ita est, inquiunt Adversarii, cur S. Augustinus non illam retinuit peccati definitionem, quam antea tradiderat, scilicet *quod sit voluntas retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere?* Cur Juliano eam objicienti ita respondet Lib. 1. *Op. imperf.* cap. 47. : *Ipse est Adam, quem nostra illa definitio, quae tibi placuit, intuebatur?* Et iterum cap. 104. *Ista definitio peccati ejus est, quod peccatum tantummodo est, non quod etiam poena peccati, quia periit libertas non peccandi*: ac demum cap. 105. ita Julianum affatur: *Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse poenam, quod nulla necessitate commissum est.* Quam doctrinam iterum confirmat Lib. 1. *Retract.* cap. 15.

§. L.

Resp. Definitionem illam peccati etiam ad statum naturae lapsae pertinere ex ipso S. Augustino manifeste liquet; nam in Lib. *de duabus animabus* cap. 11. ejusdem rationem quasi reddens: *Etiamne*, inquit, *hi libri oscuri mihi scrutandi erant, ut discerem, neminem vituperatione suppliciove dignum esse, qui aut velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest? Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris Poetae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et Magistri in scholis, et Antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum?* Porro caecus est, qui non videat, hic sermonem esse de libertate in statu naturae lapsae, quam omnes norunt, adeoque etc. Aliquo tamen sensu dicere potuit Augustinus, illam definitionem peccati pertinere ad statum Adami innocentis, quia in illo libertas fuit omni ex parte perfecta, utpote quam nec ignorantia, nec concupiscentia, nec ulla animi perturbatio diminuebat; unde etiam subdit: *Multa sunt, quae agunt homines mala, a quibus eis liberum est abstinere, sed nulli tam liberum, quam illi* (Adamo) *fuit, a Deo suo, a quo erat conditus rectus, nullo prorsus depravatus vitio adstabat.* Nihil ergo aliud volebat Augustinus, quam peccato originis diminutam esse nostram libertatem, scilicet propter tenebras ignorantiae in intellectu, et multo magis propter rebellem concupiscentiam in voluntate. Hinc est etiam illa peccandi necessitas, quam primi peccati poenam esse dicebat: necessitas inquam, non physica, et vere, ac proprie talis, sed moralis tantummodo, quam S. Pater explicat exemplis ignorantiae, et caecitatis cordis; immo ut Julianum vehementius urgeret, etiam utitur exemplo necessitatis peccandi ortae ex prava consuetudine, quam ipsi Pelagiani admittebant: quae exempla fuissent inepta, si S. Augustinus putasset, omnem nobis ex peccato originis ademtam esse libertatem. **Solvitur.**

§. LI.

Difficultas adhuc esse potest in eo, quod nonnunquam Sanctus Augustinus non aliam afferre videatur **Expenditur alia difficultas.**

libertatem, quam voluntatis, quae coactionem quidem excludit, sed simul cum necessitate consistere potest. Sic *de natura, et gratia* cap. 46. *Perquam absurdum est*, inquit, *non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus*; *et in Enchir*. cap. 105. *Voluntas*, ait, *aut voluntas non est, aut libera dicenda est, qua beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus*. Hinc etiam S. Thomas fidelis semper habitus Augustini interpres 1. Par. Qu. 82. art. 1. ad 1. *Necessitas naturalis inclinationis*, inquit, *libertati non repugnat secundum Augustinum*.

§. LII.

Et enodatur. Haec quidem vera sunt, sed cum eodem Angelico mox laudato duplicem oportet distinguere libertatem, aliam scilicet voluntatis, et non arbitrii, vel electionis qua naturaliter volumus finem ultimum, nempe bonum in communi, et de hac libertate loquitur S. Augustinus in locis allegatis. Praeter hanc tamen etiam aliam admisit, quae est liberi arbitrii, et electionis, quamque exercemus in mediis ad finem consequendum. Praeter loca §. XLV. allata illud celebre est *de gratia Christi* cap. 47. ubi agens de concordia liberi arbitrii cum divina gratia: *Ista quaestio*, inquit, *ita est ad discernendum difficilis, ut, cum defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur*; *quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri*. Porro haec difficultas, quam etiam alibi fatetur, chimaerica esset, si solam voluntatis libertatem, cui necessitas non repugnat, agnovisset Augustinus; quis enim fingat, posse a gratia voluntatem proprie cogi? Voluntas enim coactionis capax non est.

§. LIII.

Observatio notatu digna. Ceterum ad mentem Sancti Augustini, aliorumque Patrum recte intelligendam observare oportet, nonnunquam *coactionis* nomen latius usurpari, etiam ad designandam illam necessitatem, quae sine violentia est, ut cum Sanctus Prosper *contra Col-*

latorem cap. 9. liberum arbitrium definit *rei sibi placitae spontaneum appetitum*, immo ipse Augustinus *de duabus animabus* cap. 10. voluntatem, qua peccamus, dicit esse *animi motum cogente nullo*. Nimirum in his, aliisque locis non solum excluditur vera coactio, et violentia, sed etiam simplex necessitas. Aliquando etiam voluntatem SS. Patres sumserunt omnino proprie, prout distinguitur a libero arbitrio, et eam ad bonum in communi necessario determinatam dixerunt. Demum etiam ipsum libertatis nomen aliquando proprie usurparunt, prout excludit veram, et physicam necessitatem; ac nonnunquam latissime, pro immunitate a quacumque difficultate. Sed de his consuli possunt Scholastici.

Scholion. Ita defendendum est liberum arbitrium, ut numquam obliviscamur illius moniti, quod S. Augustinus ubique fere inculcat, illud sine gratia ad malum valere; ad pia autem et salutaria opera nihil valere. *Haec voluntas*, inquit S. Pater Lib. 1. ad Bonif. cap. 3. *quae libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est; nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle, hoc est gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Oremus ergo sine intermissione liberatorem nostrum cum eodem S. Augustino: *Domine, da quod jubes, et jube quod vis.*

CAPUT. IX.

De status naturae purae possibilitate, et consectariis inde a Molinistis deductis.

§. LIV.

Natura vocatur a Theologis *pura*, quando nonnisi ea considerantur, quae ad naturam humanam intrinsecce consequuntur, quocunque alio semoto, quod illi extrinsecus adveniat; quamobrem duo in natura pura necessario includuntur: primum *positivum*, ut scilicet totum id habeat, quod ipsi ex suis principiis debetur, addito etiam naturali divi- **Naturae purae notio.**

nae providentiae concursu ; alterum *negativum*, ut scilicet natura in sua puritate consideretur, et nihil ipsi addatur indebitum. Ex his patet primo in statu naturae purae nullum supponi peccatum originale, ac consequenter nullam poenam illius peccati comitem: secundo nullum gratiae supernaturalis donum : tertio hominem non ordinari ad finem, et beatitudinem supernaturalem, scilicet visionem Dei intuitivam, quia ad id requiritur gratia supernaturalis : quarto posse tamen Deum ut suae naturae auctorem abstractive cognoscere, et ut finem naturalem amare : quinto hominem omnibus vicissitudinibus hujus vitae, immo et ipsi morti obnoxium futurum, non quatenus haec omnia poenae peccati sunt, sed quatenus haec naturam corporis humani consequuntur, quod contrariis constat elementis : sexto ignorantia et error in eo statu locum haberent, quia scientia, studio, ac labore comparanda foret, atque impossibile esset, ut non aliquando deciperemur : demum idem dicendum de concupiscentia : sed utrum haec futura esset, ut nunc est, rationi rebellis, acerrime disputatur ; putant enim nonnulli, ex naturali hominis constitutione consequi, ut pars inferior rationi subdatur, et nonnisi ex peccato factum esse, ut contra eam rebellaret.

§. LV.

Pelagiani hunc statum ut re ipsa existentem aliquando ponebant.

Pelagiani, qui nec peccatum originale agnoscebant, neque gratiae necessitatem, nos in statu naturae purae collocabant; qua in re ab Ethnicorum Philosophia initio suae Haeresis non procul aberant : postea tamen argumentis Catholicorum lacessiti, atque imprimis a S. Augustino ad incitas redacti, aliqua gratiarum supernaturalia dona agnoscentes a statu naturae purae aliquatenus recesserunt, in eo tamen pervicaciter haerentes, ut contenderent, miserias hujus vitae, ac mortem, effrenem insuper concupiscentiam esse naturae consectaria, non autem peccati originalis poenas : quamobrem ab universo orbe Catholico damnari meruerunt, ut supra vidimus P. IV. §. CX. De existentia igitur status naturae purae nulla controversia inter Catholicos esse potest.

§. LVI.

Controversia tantummodo est, quae paucis abhinc annis celebris facta fuit, an possibilis saltem sit hic purae naturae status. Affirmabant olim communi fere calculo Scholastici, quamquam non leviter de ejusdem status proprietatibus inter se decertabant; praecipue autem de effreni concupiscentia, cum et naturae hominis repugnare, et divinam sanctitatem haud decere aliqui putabant, ut hominem cum illa crearet. Huic sententiae aperte suffragatur Angelicus 1. 2. Qu. 82. art. 3. ad 1. inquiens: *Quia in homine vis concupiscibilis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum rationis ordinem. Concupiscentia autem quae transcendit limites rationis, inest homini contra naturam, et talis est concupiscentia originalis peccati*; atque in hoc solum sensu aliqui Thomistae statum naturae purae possibilem esse concedunt. Vid. Serry Disp. 1. *de natura pura* Praelect. 4. et 5.

Solum disputatur modo, an possibilis sit?

§. LVII.

Huic communi fere Scholasticorum opinioni acriter se opposuit ante duo saecula Michael Bajus; ejusque sententiam secutus est, et tribus integris libris illustravit, et defendit Corn. Jansenius: post autem Card. Norisius, Fulg. Bellini, Laur. Berti, atque omnes plane Augustinianae scholae Theologi naturae purae possibilitatem evertere conati sunt. Iis etiam adhaerent aliquot illustres Thomistae, ut Vinc. Contensonius, Thomas Leonardi, Anton. Goudin, Hiac. Serry, qui saltem attenta Dei providentia fieri posse negant, ut homo innocens iis miseriis subdatur, quas modo experimur. Unde etiam S. Thomas 4. *contra Gent.* cap. 52. ex calamitatibus hujus nostri status *satis probabiliter* peccati originalis existentiam colligi posse demonstrat; qua de re etiam nos egimus in I. P. §. XVII. et seq. (*).

Negant Augustinianae Scholae Theologi.

(*) Cum doctrina haec a celeberrimis Theologis palam in Ecclesia Catholica defendatur, apparet fidem habendam non esse Jo. Frid. Cottae, dum in adnot. ad pag. 250. tom.

§. LVIII.

Sed antequam manum a tabula amoveamus, pauca addenda sunt de nonnullis consectariis, quae Molinistae ex possibili naturae purae statu in rem suam elicuerunt. Nam primo, ut supra vidimus cap. VII. docentes, peccato Adami nos fuisse tantummodo gratuitis, et supernaturalibus donis exspoliatos, in naturalibus autem potentiis minime laesos, et hominem lapsum non differre ab homine puro, nisi ut spoliatum a nudo, videntur statum naturae purae non ut possibilem tantum, sed ut reipsa existentem constituere. Verum est quidem, eos gratiae necessitatem ad opera ordinis supernaturalis requirere; sed verum est etiam, ab iis admitti alium ordinem pure naturalem, ac sollicite, atque identidem inquirere, quid homo propriis suis viribus, quas magnificare student, in ordine naturali boni efficere queat; unde sequitur, ordinem hunc naturalem, in quo saepissime hominem operantem considerant, nihil esse aliud, nisi statum naturae purae, non ut possibilem tantum, sed ut re ipsa existentem, et cum statu supernaturali permixtum. Sic docent, hominem sine Dei gratia ex solis naturae viribus posse Deum ut auctorem naturae super omnia diligere, totamque legem naturalem servare; quod homini in puris naturalibus constituto ejusdem status assertores tribuunt.

§. LIX.

Molina infantes sine baptismo mortuos ponit in statu naturae purae.

Praeterea ex hypothesi possibilis status naturae purae Molina in *Concordia* quaest. 23. art. 4. et 5. Disput. 1. memb. 9. inferebat, *parvulos reprobatos perinde se habituros, ac si in solis naturalibus fuissent constituti*: (en iterum statum naturae purae existentem) videlicet opinatur, eos privandos esse beatitudine supernaturali, ad quam nullum jus

---

IV. *Loc. Theol.* Jo. Gerhardi scribit, eam *ceu erroneam, et haereticam* fuisse a Clem. XI. in Const. *Unigenitus* damnatam. Deceptus fuisse videtur Cotta a J. Frickio, qui in sua *Inclementia Clementis examinata* plura alia falsa venditavit.

habent defectu baptismi, et gratiae sanctificantis, nulla tamen poena eos plectendos; *immo post diem judicii, cum ipsorum animae fuerint corporibus restitutae, ab omnibus molestiis, et aerumnis, quibus in hac mortali vita subjacemus, supernaturaliter liberandos, melioremque in naturalibus vitam vitio omni mentis, et corporis immunem in perpetuas aeternitates ducturos, quam nullus unquam mortalium duxerit.* Mirum profecto est, Molinam non paucos invenisse asseclas in hac doctrina, quae non solum statum naturae purae reipsa existentem facit, sed etiam fidem peccati originalis indirecte saltem labefactat; quis enim non videat, sublatis ejus poenis, etiam peccatum ipsum quodammodo everti (*)?

CAPUT X.

Ostenditur necessitas divini Liberatoris: quid ab illo praestandum, et qualis futurus? Tum prima ejus promissio.

§. LX.

Peccato Adami genus humanum aeternae damnationi obnoxium.

Sanctus Augustinus in *Enchiridio* cap. 26. et seq. miserum ac deplorabilem generis humani statum post gravissimam Protoplasti culpam ita graphice pingit: Homo *post peccatum exul effectus, stirpem quoque suam, quam peccando in se tamquam in radice vitiaverat, poena mortis, et damnationis obstrinxit, ut quidquid prolis ex illo, et simul damnata, per quam peccaverat conjuge, per carnalem concupiscentiam . . . . nasceretur, traheretur per errores, doloresque diversos ad illud extremum cum desertoribus angelis vitiatoribus, et possessoribus, et consortibus suis sine fine supplicium . . . Jacebat in malis, vel etiam volvebatur, et de malis*

(*) Videri hac de re potest *la premiere lettre sur la dist. de la Religion naturelle, et de la Relig. revel.* tum celebris *Instructio pastor.* Episcopi Svess. Franc. Fitzjames contra errores Harduini, et Berruyer P. 2. sect. 5. cap. 2: et non pauci alii, qui Molinismum etiam ex hoc capite impugnarunt.

in mala praecipitabatur tota humani generis massa damnata, et adjuncta parti eorum, qui peccaverunt Angelorum, luebat impiae desertionis dignissimas poenas etc. Et sic pergit S. D. aerumnas hominis lapsi describere, quibus debuisset poenas admissae culpae luere sempiternas, si Deus *tantum justus, non etiam misericors esset.* Immo communis sanctorum Patrum phrasis est, hominem a diabolo victum ipsius captivum factum esse, et S. Bernardus epist. 190. Abaelardum temeritatis, atque impietatis arguit, quod huic communi Doctorum sententiae ausus sit contradicere: hinc necessitas apparet Liberatoris, sine quo totum humanum genus sub daemonis captivitate perpetuo gemere debuisset.

§. LXI.

Non poterat ab homine integra satisfactio Deo exhiberi.

Poterat quidem Deus per suam omnipotentem virtutem humanam naturam multis modis reparare, puta acceptando satisfactionem sibi exhibitam ab homine, quamvis non esset condigna injuriae per peccatum Deo irrogatae; plena tamen, et integra satisfactio ab homine, utpote peccatore, Deo exhiberi non poterat. Audiatur S. Gregorius magnus lib. 17. *Moral.* cap. 18. *Delenda ergo erat talis culpa, sed nisi per sacrificium deleri non poterat*; postquam vero ostendisset, non potuisse deleri per sacrificium brutorum animalium, quia peccatum fuerat a rationali creatura commissum; neque per victimas humanas, quia *homo sine peccato inveniri non poterat*, et hostia contagione peccati inquinata mundare nos non potuisset, demum infert, alium liberatorem esse quaerendum, nempe Filium Dei factum hominem; qui solus *et humanitate mori, et justitia mundare nos posset.* Gemina habet S. Ambrosius lib. 4. in Luc. cap. 4., ubi addit, neque Angelos, aut Archangelos potuisse nobis afferre remedium, cum ipsi etiam peccare potuerint. Aliam rationem affert S. Thomas 3. P. Qu. 1. art. 2., quia nempe peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate divinae majestatis; tanto enim offensa gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur.

§. LXII.

Ex his patet, non aliter potuisse humanum genus plene, et perfecte a peccato liberari, ita ut integra satisfactio divinae justitiae exhiberetur, nisi per Deum hominem factum; qui ut homo poenas peccatis nostris debitas portaret, et ut Deus meritum infinitum poenis istis satisfactoriis communicaret: hinc et illud Isaiae XLV. 21.: *Deus justus, et salvans non est praeter me*; et S. Leo P. serm. 1. *de Nativ.*: *Suscipitur*, inquit, *a virtute infirmitas, a majestate humilitas, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei, et hominum mediator, et mori ex uno, et resurgere possit ex altero: nisi enim esset verus Deus non afferret remedium, nisi esset verus homo non praeberet exemplum*. Plures aliae afferuntur a SS. Patribus rationes, propter quas sin minus omnino necessarium, maximopere saltem divinae sapientiae, ac bonitati consentaneum fuerit, humanum genus ab ipso Deo homine liberari; potissimum autem ad manifestandam infinitam suam erga nos caritatem; unde dicitur Joann. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; et Ephes. II. 4. *Propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati*. Id fuse more suo exponit, atque illustrat Petavius Lib. 2. *de Incarn.* cap. 13. et seq.

Sed solummodo per Deum hominem factum.

§. LXIII.

Sed magna Dei misericordia in eo etiam eluxit, quod illico post peccatum futurum Liberatorem promittere dignatus est. iis verbis Gen. III. 15. quibus serpentem ita allocutus est: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo illius*, ubi observandum est, quod Vulgata nostra habet *ipsa*, quasi de muliere id dictum sit, sed *mendum videri*, ut ait Houbigant; nam Hieronymus tum *Quaest. Hebr.*, tum pluribus in locis legit *ipse*, sicuti etiam legit ex uno codice Martianaeus, et legerunt Irenaeus, et plerique veterum Patrum, immo et LXX. Interpretes, atque

Qui statim post peccatum Adae promissus est.

spolit. inter alias hujus Heresiarchae propositiones hanc quoque damnatam: *Lex sic mittit ad regnum, quemadmodum Evangelium.* Hoc autem Pelagianae haereseos caput innumeris pene Scripturarum testimoniis refutabat S. Augustinus. 1. Ex quo Gen. XII. 3. praedictum fuerit: *In te* (hoc est in semine tuo ut expresse dicitur XXII. 18.) *benedicentur universae cognationes terrae.* 2. Quia Apostolus multis in locis perspicue tradit, nonnisi ex fide in Christum venturum fuisse Judaeos justificatos: ad Galat. II. 16. *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi.* I. Timoth. II. 5. *Unus mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus*; et I. Corint. X. 3. de antiquis Patribus loquens: *Omnes*, inquit, *eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt, bibebant autem de spiritali, consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Etiam Sanctus Petrus Actor. IV. 12. inquiebat de Christo: *Non est in aliquo alio salus; nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Atque ut innumera alia omittam, Christus ipse Joan. XIV. 6. inquiebat: *Ego sum via, et veritas et vita: nemo venit ad Patrem nisi per me*; et XVII. 3. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*

§. LXV.

Paucis Sanctorum Patrum testimoniis contenti erimus, ne nimium excrescat oratio. Sanctus Augustinus libro primo *contra duas Epist. Pelagian.* cap. 24. *Quantaelibet*, inquit, *fuisse virtutis antiquos praedices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris*; et Lib. 2. *de peccato origin.* cap. 24. *Sine fide incarnationis, et mortis, et resurrectionis Christi nec antiquos justos, nec ut justi essent, a peccatis potuisse mundari, et Dei gratia justificari, fides Christiana non dubitat.* Hinc Sanctus Doctor omnes justos, qui ante Christum floruerunt, Christianos fuisse dicit, quamvis hoc nomine non appellarentur. Magistrum sequuntur discipuli, Prosper, Leo, Fulgentius, aliique; praecipue autem Sanctus Thomas, qui 2. 2. Qu. 2. art. 7. Et ex SS. PP.

id majori perspicuitate ita declarat: *Illud proprie, et per se pertinet ad objectum fidei, per quod homo beatitudinem consequitur; via autem perveniendi ad beatitudinem est mysterium incarnationis, et passionis Christi; et ideo mysterium incarnationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes, diversimode tamen secundum diversitatem temporum, et personarum.* Observat insuper praefiguratam fuisse Christi passionem quibusdam sacrificiis, et ante legem, et sub lege, quorum quidem sacrificiorum significatum *explicite* majores cognoscebant, minores autem sub velamine illorum sacrificiorum, credentes ea divinitus esse disposita de Christo venturo, ejusque quodammodo habebant velatam cognitionem (*). Plura videri possunt in libro, cui titulus *de la necessité de la foi en J. C.*

§. LXVI.

Quorumdam hac in re tolerantismus.

Haec doctrina hisce maxime temporibus alte cordi infigenda est, cum videamus aliquem tolerantismum latius serpere, quo contenditur, etiam Ethnicos Philosophos, aliosque a vera Religione alienos potuisse salutem consequi(**). Id autem quidam conantur ostendere potissimum ex SS. Justino, et Clemente Alexandr.; quorum prior in Apologia 1. haec habet: *Qui cum ratione vixerunt Christiani sunt, etiamsi*

(*) Cum Theologi docent, in lege veteri fidem saltem *implicitam* in venturum Messiam fuisse necessariam, non eam fidem *implicitam* intelligunt, quam Harduinus explicabat in Comment. ad v. 22. cap. XV. epist. I. Corinth. scilicet *fidem in Deum remuneratorem esse fidem implicitam mediatoris.* Et multo minus admitti potest, quod idem auctor docet in adnot. ad Rom. III. 15. omnes viros pios sub lege Mosaica spiritum adoptionis, et dilectionis Dei habuisse non vi legis Mosaicae, *sed vi legis naturae*, *quae praecesserat.* Synodus Trid. sess. 6. cap. 1. expresse definivit, nec gentes per *vim naturae*, nec Judaeos per litteram legis Moysi fuisse liberatos, et sine fide nulli umquam contigisse salutem.

(**) Longum esset dicere de omnibus, qui nimiae laxitatis hoc in capite merito redarguuntur. Plures recensuimus in nota (*a*) ad num. 1. Diss. IV. nostri Tomi IV. *Praelect. Theolog.*

athei existimati sint, quales apud Graecos fuere Socrates, et Heraclitus, et eorum similes, apud barbaros autem Abraham, Ananias, Azarias, Misael, et Elias. Clemens autem Alexandr. Lib. 1. *Stromatum: Ipsa quoque Philosophia*, inquit, *Graecos paedagogi more ducebat; sicut lex Hebraeos ad Christum*; et infra: *Per se quoque aliquando* (Philosophia) *Graecos justificabat.*

§. LXVII.

Qui absurde Paganis salutem concedunt.

Sed nihil, ut puto, fingi potest absurdius, quam Paganos potuisse salutem consequi, non solum quia fide in Christum Jesum destituti erant, sed etiam quia facile esset historicis monumentis ostendere, eos ipsos, qui majoribus virtutum laudibus celebrari solent, fuisse impia superstitione, multisque aliis vitiis coinquinatos. Notum est, Socratem, qui supra ceteros extollitur, jamjam moriturum Æsculapio gallum sacrificari jussisse, ut nihil dicam de aliis vitiis ipsi objectis. Id solum addo, Gentilium virtutes, ob quas apotheosi digni habiti sunt, fuisse superbiae typo ita interius corruptas, ut fructibus Sodomae, et Gomorrhae non inepte comparari queant: qua de re copiose disseruit Augustinus contra Julianum.

§. LXVIII.

Abutentes auctoritate S. Justini.

Falso autem in erroris hujus patrocinium advocatur S. Justinus, qui in Apologia 1. aliquos Philosophos Gentiles ea tantum de causa Christianos appellat, quatenus rejecto Polytheismo, utpote rationi ipsi adverso, unum esse Deum nobiscum confitebantur; unde ibidem etiam subdit, *Socratem ex parte Christum cognovisse.* Ceterum in 2. Apologia eos dumtaxat perfecte Christianos esse profitetur, *qui non ad partem aliquam disseminatae rationis vitam instituere, sed ad totius, id est Christi cognitionem, et contemplationem.* Quod si S. Martyr Socratem, et Heraclitum Abrahamo, Eliae, aliisque justis V. T. commiscet, non ideo eo sensu est accipiendum, quasi putaverit, omnibus sine discrimine salutem esse concessam, sed adversus Idololatras Polytheismi amentiam auctoritate istorum Philosopho-

rum redarguebat, qui non secus ac nostri unitatem Dei agnoverunt (*).

§. LXIX.

Et Clementis Alexandr.

Clemens autem Alexandr. non aliam Philosophiae tribuit justificandi vim, nisi quatenus sepositis superstitionis praejudiciis homines ad suscipiendas Religionis veritates *remote* saltem disponebat. Scipsum explicat Alexandr. Philosophus, ibidem inquiens: *Non comprehendit quidem graeca Philosophia veritatis magnitudinem, et est adhuc imbecillis ad mandata Domini exequenda, at regali doctrinae maxime viam parat, utcumque castigans, et mores formans prius*; et postea: *Quamquam per se quoque aliquando Graecos justificabat Philosophia, sed non ad universam, ac generalem justitiam, ad quam cooperatrix et adjutrix invenitur, sicut primus, et secundus gradus ei, qui ascendit in coenaculum, et grammaticus ei, qui est philosophaturus.*

§. LXX.

Nec satis divinae justitiae jure cognoscentes.

Sed quod magis arduum immo divinae bonitati plane repugnans aliquibus in hac sententia videtur, illud est, quod ea admissa consequens sit, innumeras fere nationes necessariis ad salutem consequendam mediis destitutas olim fuisse, et multas adhuc destitui, cum nullam habuerint divini hujus Liberatoris notitiam. Verumtamen supposita fide originalis peccati tota evanescit hujusmodi difficultas; ut enim inquiebat Card. Bellarminus Lib. 2. *de grat. et lib. arb.* cap. 4., *Nulla esset in Deo iniquitas, si non solum aliquibus, sed etiam omnibus hominibus auxilium sufficiens ad salutem negaret: haec propositio certissima est apud eos, qui ex Divinis Litteris peccatum originale noverunt* etc. Porro hujus

---

(*) Hoc loco potissimum abutuntur, qui vel ipsis Paganis salutis viam apertam esse volunt; sed praeter ea, quae diximus, multo plura invenientur apud Prud. Maran *in praefat. ad opera S. Justini*, Nat. Alexandrum Diss. 6. in Sec. II., et Arnaldum *de la Necessitè de la foi en J. C.* P. 2. cap. I. Videri etiam potest Diss. P. Calmet *de salute Gentilium.*

divinae justitiae exemplum palpabile habemus in parvulis, qui defectu baptismatis excluduntur a regno coelorum, et quibus nonnunquam impossibile plane est hoc unicum salutare remedium. Hoc tamen serius notandum est, quod quemadmodum istis parvulis culpae non vertitur, quod baptismate careant, ita etiam iis infidelibus, qui nihil audierunt, vel audire potuerunt de Christo, et propterea *negativi* dicuntur, peccato non adscribitur, quod in Christum non credant; nec tamen propterea damnationem effugere possunt ipsis debitam propter peccata actualia, aut saltem propter peccatum originale, quod sine fide in Christum deleri non potest: quam fidem quibus Deus donat, ex misericordia donat; quibus autem denegat, ex justitia denegat, ut centies contra Pelagianos repetebat S. Augustinus.

§. LXXI.

Sed molestius aliqui sciscitantur, quid de illis censendum sit, qui post baptismum susceptum rapti a barbaris inter eos a pueritia educantur sine ulla Christi, aut ejus Religionis notitia. Resp. His pueris, cum justi sint, statim ac ad usum rationis perveniunt, atque ad Deum se convertere tenentur, non defutura divinae gratiae auxilia, quibus si bene utantur, alia uberiora a Dei misericordia obtinebunt, ita ut tandem de iis, quae sunt ad salutem necessaria, instruantur. Vid. S. Thomas Qu. 14. *de veritate* art. 11. ad 2.

Quid de pueris baptizatis censendum?

CAPUT XII.

Cur non statim post Adami peccatum missus sit Messias? et quid interea factu opus erat hominibus, ut salutem consequerentur aeternam?

§. LXXII.

Quamquam altissima divinae providentiae consilia hominibus impervia sint, ex iis tamen quae nobis revelare Deo placuit, varias, ac multiplices SS. Patres collegerunt rationes, cur nonnisi post quatuor circiter annorum millia Deus Filium suum mit-

Cur Messias non statim missus?

Ratio prima. tere voluerit ad hominum peccata delenda. Prima illa est, quam saepe S. Augustinus inculcat, ut homines propriam infirmitatem agnoscentes ardentius medicum desiderarent, et quaererent: hinc necesse fuit statum legis praecedere statum gratiae, ut homines propriam impotentiam ad servandam legem quasi experimento convicti confiterentur. Insignis hac de re est S. Augustini locus in Ps. 83., ubi allatis verbis Apostoli Gal. III. 22.: *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* etc., ita pergit: *Ut veniret gratia post legem, et inveniret hominen non solum jacentem, sed jam etiam confitentem, et dicentem: miser ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus? etc.* Hinc frequentes illae veterum justorum ad Deum preces: *Domine mitte, quem missurus es* Exodi IV. 13.: *Emitte agnum Domine dominatorem terrae* Isaiae XVI. 1.: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis* Ps. LXXXIV. Hinc est etiam illud piorum desiderium videndi Christum; unde Christus ipse Matth. XIII. 17. *Multi Prophetae*, inquit, *et justi cupierunt videre, quae videtis, et non viderunt*. Hinc etiam gaudium illud Simeonis, quando Christum vidit, et accepit in ulnas suas, tum Annae Prophetissae, prout describitur Lucae II. S. Thomas hanc rationem pulchre explicat in Comment. ad Gal. III. lect. 7., et 1. P. Q. 98. art. 6.

§. LXXIII.

Ratio scunda. Altera ratio ab Augustino pariter assignata in eo sita est, ut Christi adventus, characteres, miracula, doctrina, passio, mors, et resurrectio multo antea tempore a variis Prophetis praenuntiarentur; atque adeo certae notae fidelibus suppeterent, ut in Messiam crederent, et essent inexcusabiles, qui obcaecati credere nollent. *Quanto major judex veniebat*, inquit Tract. 13. *in Joan.*, *tanto praeconum series longior praecedere debebat*. Addi potest et illa ratio, qua idem S. Augustinus Epist. 102. Paganis objicientibus, plures salvatos fuisse, si Christus citius venisset in mundum, respondebat: *Tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos*

praedicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri; quae tamen verba tanquam minus accurata ita S. Doctor emendavit *de Praedest. Sanct.* cap. 9. : *Tunc voluisse apparere Christum, et apud eos praedicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem* (*).

§. LXXIV.

Poterant tamen homines ante ejus adventum salvari.

Ceterum idem S. Pater Paganis iterum quaerentibus, quomodo potuerint homines salutem adipisci, antequam Christus ad eos liberandos venisset, ita in eadem Epistola respondebat : *Quicunque ab exordio generis humani in eum* (Christum) *crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, et secundum ejus praecepta pie, et juste vixerunt, quandolibet, et ubilibet fuerint, per eum procul dubio salvi facti sunt*; et postquam ostendisset omni tempore tam in gente Judaica, quam in aliis nationibus semper fuisse aliquos, qui in Christum venturum credebant, concludit : *Ita salus religionis hujus, per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, et cui defuit, dignus non fuit.* Ubi iterum aliquid minus accurate dictum, emendandumque ipse S. Pater invenit; unde in Lib. 2. *Retract.* cap. 31. notavit, hanc *dignitatem* ex sola gratia Dei esse repetendam. Qui igitur simul cum fide in venturum Liberatorem legem naturalem servabant, salutem adipiscebantur aeternam. Sed praeterea Hebraeis data fuerat per Moysem lex, cujus praeceptis obedire tenebantur, quousque Messias in ea pro-

---

(*) Hae videntur praecipuae dilati Liberatoris causae; nonnullas alias invenire facile erit apud Pouget *Institut. Cathol.* Tom. 1. sect. 1. cap. 4. Thomassinum Tomo 3. *Thol. Dogm.* Tract. 5. Petavium Lib. 2. *de Incarn.* cap. 47., et Estium in Lib. 3. Dist. 1. §. 3. Ceterum vel ex hoc etiam apparet, Christum missum fuise in *plenitudine temporum* Gal. IV. 4., quod tunc temporis facilius fuit Apostolis toto orbe Evangelium praedicare, quando Romani barbaras nationes suo imperio subegerant, ad quas antea penetrare fuisset difficillimum.

missus adveniret, qui veteri abrogata novam condere debebat.

CAPUT XIII.

Revelatio divini Liberatoris Adamo facta, ad omnes gentes propagata fuit, ac saltem apud aliquos semper conservata.

§. LXXV.

Revelatio futuri Messiae variis modis propagata.

Quamquam prima divini Liberatoris promissio, ut supra vidimus §. LXIII. obscurioribus verbis, et allegorico sensu expressa sit; dubitari tamen non potest, quin Protoparentibus nostris omnino perspicue innotuerit, ab iisque in filios, ac nepotes traditione fuerit propagata; sicuti enim ipsi erant primi omnium parentes, ita primi esse debebant omnium magistri, praecipue in iis, quae ad Dei cultum, atque ad salutem aeternam adipiscendam spectabant. Porro variis modis haec venturi Messiae fides in populo conservabatur, ac inter alia media, quibus futura Christi passio, ac nostra redemptio significabantur, locum potissimum obtinebant sacrificia, quae vel in ipso mundi exordio oblata fuisse Deo; innuit lugubris illa historia occisionis Abel Genes. IV., ubi dicitur respexisse Dominum ad Abel, et ad munera ejus, ad Cain autem, et ad munera illius non respexisse; unde ortum habuit livor, et odium quo ad horrendum facinus Cain permotus est. Hinc etiam inquit Apostolus Hebr. XI. 4. *Fide plurimam hostiam* (hoc est pretiosiorem, et majorem) *Abel quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est, esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo*; quibus verbis duo innuit S. Paulus: primo, sacrificiorum antiquitatem, quae hominibus coaeva sunt: secundo, fidem in Jesum Christum, quem antiqua illa sacrificia praefigurabant, et sine qua Deo accepta esse non poterant. Et quamquam sacrificia etiam ad protestationem debitae Deo obedientiae instituta fuerant, certum est tamen, in iis fidem venturi Messiae fuisse contentam, quem primores populi *explicite*, rudes autem, et carnales Judaei non-

nisi *implicite* cognoscebant ; omnes tamen suo modo *in victimis pecorum*, *quas offerebant Deo*, *sicut re tanta dignum erat*, *prophetiam celebrabant futurae victimae*, *quam Christus obtulit*, verba sunt S. Augustini in Ps. 39.

§. LXXVI.

Sed hominum vitio admodum obscurata.

Porro cum omnes homines ab uno originem trahere voluerit Deus, ut vinculum societatis, et caritatis arctius inter eos esset, sperandum omnino erat, ut eadem sancta Religio, quam Adam ex primo revelationis fonte hauserat, simul cum genere humano ubique terrarum propagaretur, et a patribus in filios, serosque nepotes pura, et immaculata semper derivaretur; sed spem fefellit eventus: quemadmodum enim invidia diaboli primum peccatum intravit in mundum, ita ejusdem dolis deinceps scelera multiplicata sunt, moresque hominum sensim ita depravati, ut tandem *poenituerit Deum fecisse hominem*, *et tactus dolore cordis intrinsecus*, *Delebo*, *inquit*, *hominem*, *quem creavi a facie terrae*, Gen. VI. 5. et seq. An vero simul cum morum corruptione etiam idololatria tunc temporis nata fuerit, non est omnino exploratum; sed illud certum videtur, in familia Seth, qui loco Abel occisi Adamo natus est, verum Dei cultum semper floruisse usque ad Noe. Hinc occasionem sumsit S. Augustinus, duas civitates distinguendi *caelestem* et *terrenam*, id est bonorum, et malorum; civitatis terrenae conditor fuit Cain impius, et fratricida, civitas autem coelestis seu societas bonorum ab Abel justo, et Seth ejus fratre originem trahit. De hac duplici civitate fuse, erudite, ac pie agit S. Pater quam saepissime, potissimum autem in aureis Libris *de Civ. Dei*.

§. LXXVII.

Pura religio in Noe familia refloruit.

Deleta quidem fuit universali diluvio iniquitas terrae, et vera Dei religio in Noe familia, qua sola tunc temporis genus humanum continebatur, pura, et sancta refloruit; sed ut supra P. 2. §. LXIX. et seq. observavimus, ita brevi temporis intervallo refriguit caritas, fidesque imminuta est, ut paucissimi invenirentur fideles unius Dei cultores: nun-

Sed brevi iterum collapsa.

quam tamen omnino defecit; et inter barbaras etiam nationes semper aliqui fuerunt, qui vero Deo sacrificarent, et promissum humani generis Redemtorem agnoscerent, et expectarent. Id patet potissimum exemplo Job, qui coaevus Moysi, aut fortasse illo prior in Idumaea regnabat, quique omnem spem suam in venturo Messia, ac Redemtore collocabat (*). Sed quoniam agitur de summa, ac capitali religionis Christianae veritate, non inutile erit per omnes mundi aetates transcurrendo observare hanc futuri Liberatoris promissionem fuisse saepius a Deo renovatam; ac semper eo clarius, quo magis ejus adventus appropinquabat. Ut autem res ordine procedat, tres distinguemus ante Christum natum periodos, et epochas, primam scilicet a lapsu Adae usque ad Abrahamum; alteram ab Abrahamo usque ad Moysem; tertiam a Moyse usque ad Christum; atque in singulis praecipua de Christo vaticinia breviter attingemus.

Periodus ante-Abrahamica.

§. LXXVIII.

Revelatio div. Liberatoris propagata usque ad diluvium.

Primis nostris parentibus fuisse statim post lapsum singulari Dei misericordia divinum Liberatorem promissum, jam diximus supra §. LXIII. Eadem autem promissio in Abele renovata dici potest, cujus violenta occisio fuit typus passionis, et mortis Christi; vel saltem in eodem confirmata, cum eum dicat Apostolus Hebr. XI. 4. *fide* obtulisse plurimam hostiam. Porro cum loco Abel occisi Deus alium filium dedisset Adamo, nempe Seth, per hunc, ejusque posteros vera Religio, et promissio Liberatoris propagata est, ac de ejus filio Enos dicitur Gen.

(*) Multa, et perspicua ex libro Job testimonia collegit Prud. Maran in *Divin. J. C. manifesta in script. et tradit.* Lib. 1. cap. 3. ostendens primo, eum fuisse imaginem J. C. ad vivum expressam; secundo, eum totam suam spem in Deo nostram carnem sumturo posuisse; tertio, confessum saepe fuisse, nonnisi a Deo incarnato homines liberari, ac diabolum superari potuisse.

IV. 26. *Iste coepit invocare nomen Domini*, id est, ut quidam Interpretes opinantur, eo suasore coeperunt homines Deo certis ceremoniis publicum cultum exhibere; vel ut alii ex hebraico fonte interpretantur, tunc coeperunt homines vocari *filii Dei*, nempe qui a Seth justo descendebant, verum Dei cultum custodientes hoc nomine distinguebantur a filiis, ac nepotibus impii Cain, qui appellati sunt *filii hominum*, ut clarius innuitur infra cap. VI. 2. Ex eadem electa progenie Seth ortus est Henoch filius Jared *septimus ab Adam*, ut eum vocat Judas vers. 14. et de quo dicitur Gen. V. 22. *Ambulavit Henoch cum Deo . . . et non apparuit, quia tulit eum Deus*: quae verba ita clarius explicat S. Paulus Hebr. XI. 5. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit eum Deus: ante translationem enim testimonium habuit, placuisse Deo*: locus autem, quo translatus est, designatur Eccli. XLIV. 16. his verbis: *Henoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum, ut det gentibus poenitentiam.* (Ea tamen verba, *in Paradisum*, desunt in textu graeco, qui modo habetur pro originali) (*). Et haec quidem de temporibus antediluvianis.

§. LXXIX.

Et a diluvio usque ad Abraham.

In diluvio autem arcam, in qua Noe cum familia sua ab universali generis humani exterminio servatus est, fuisse typum redemptionis Christi, cujus pretio electi salutem consequuntur, et Ecclesiae ejus sponsae, extra quam aeterna mors vitari non potest, Patres uno ferme ore testantur. Porro Noe, qui secundus est omnium hominum parens, *vir justus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit*, Gen. VI. 9. et ejus fidem in Jesum

(*) Nostri instituti ratio non patitur, ut quae de translatione Henoch, de ejus vita, de loco, in quo nunc degit, ac demum de ejus reditu amplissime disputari solent, attingamus. Videri inter alios possunt Nat. Alexander Dissert. 5. *de prima mundi aetate*, et Disser. P. Calmet, quae aliquatenus immutata, et in nonnullis aucta prostat Tom. I. *de la Bible* etc. a Paris 1767.

Christum ita commendat Apostolus Heb. XI. 7. : *Fide Noe responso accepto de iis, quae adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suae, per quam damnavit mundum, et justitiae, quae per fidem est, haeres est institutus.* Haec autem fidei haereditas per Sem et Japhet, non autem per Cham in posteros est derivata. Quemadmodum enim inter filios Adam Cain reprobato, Abel et Seth electi sunt, ita simili gratuitae praedestinationis beneficio electi fuerunt Sem, et Japhet, Cham vero una cum filio ejus Chanaan paterna maledictione rejectus: immo non desunt auctores, qui originem idololatriae referunt ad Cham, ut Cassianus *collat.* 8. cap. 21. vel ad Chanaan ejus filium, ut Lactantius Lib. 2. *de fals. Relig.* Caeterum in ipsa progenie Sem, et Japhet fidem sensim deficere, moresque corrumpi permisit Deus, donec suscitaret fidelem Abraham Patrem omnium credentium, cui promissiones venturi Liberatoris expressius renovavit.

Periodus Abrahamica.

§. LXXX.

Vocatio Abraham.

Peculiaris divinae providentiae cura in vera Religione conservanda apparuit in vocatione Abram, quae describitur Gen. XII. hunc enim hominem elegit Deus ex populo, ut pater esset multarum gentium, ac propterea aucto nomine ipsum vocavit *Abraham*, Genes. XVII. 5. Porro illi apparens Dominus jussit, ut egrederetur de terra sua, et de cognatione sua, et de domo patris sui, atque in terram Chananaeorum pergeret, quam ipsi daturus erat; postea haec subdit: *Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, magnificabo nomen tuum, erisque benedictus, benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universae cognationes terrae* (*).

(*) Quae et quanta fuerit Abraham existimatio apud ipsos gentiles, ostendit Eusebius lib. 9. *Praeparat. Evangel.* cap. 17. et sequ. allatis testimoniis Berosi Hecataci, Nic. Damascaeni, Alexandri Polyhistoris, Eupolemi, Artapani, aliorumque.

Quae verba considerans Sanctus Paulus Hebr. XI. 8. : *Fide*, inquit, *qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire, quem accepturus erat in haereditatem, et exiit nesciens quo iret*; pergit postea Sanctus Paulus enarrare, quomodo Abraham eadem fide demoratus est in terra repromissionis, tamquam in aliena, meliorem civitatem appetens, nempe coelestem. In hac autem vocatione Abrahami duplex apparet Dei promissio, altera terrae Chanaan, quae tametsi temporalis videtur, explicante tamen S. Paulo, spiritualem patriae aeternae possessionem significabat, et haec ad peculiarem ipsius personam, ejusque posteros pertinebat. Altera vero promissio multo excelsior, et quae ad omnes gentes extendebatur, spectabat venturum Messiam, ex stirpe Abrahami nasciturum; qua de re nos dubitare minime sinit Apostolus Paulus Gal. III. 16. inquiens: *Abrahae dictae sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit: et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: et semini tuo, qui est Christus.*

Et duplex promissio ei facta.

§. LXXXI.

Atque ut magis esset haec promissio certa, eam iterum renovavit Deus, et sanxit *foedere sempiterno* instituta circumcisione, quae erat pactum inter Deum, et semen Abrahae, Gen. XVII. Ut autem explicat Apostolus Roman. IV. 11. signum circumcisionis erat *signaculum justitiae, et fidei*; et sic Abraham factus est pater *non iis tantum, qui sunt ex circumcisione*, nempe Judaeis, *sed et iis qui sectantur vestigia fidei, quae est in praeputio patris nostri Abrahae*, scilicet Gentilibus, ad quorum plures fides Abrahae propagata est. Sed quantum spectat ad Messiam, quem ex semine Abrahae nasciturum promiserat Deus, hanc promissionem saepius iteratam tandem juramento firmavit Deus, postquam fidem, et obedientiam Abrahae insigni illo experimento immolationis filii sui Isaac cognovit inquiens Gen. XXII. 16. *Per memetipsum juravi... benedicam tibi etc. et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae*; ubi iterum observat S. Paulus Hebr. VI. 13., Deum jurasse per semetipsum, quoniam neminem habuit majorem, per quem juraret, ac interposuisse jura-

Promissio Liberatoris saepius renovata.

Et juramento a Deo confirmata.

mentum, ut abundantius ostenderet pollicitationis haeredibus immobilitatem consilii sui.

§. LXXXII.

Continuata in Jacob.

Porro Abraham cum duos habuisset filios Isaac, et Ismael, utramque benedictionem transmisit ad Isaac, eamque confirmavit Deus iis verbis Genes. XXVI. 4. *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* Et rursus Isaac cum geminos habuisset filios Esau, et Jacob, huic quamquam natu minori paternam haereditatem Deo sic disponente reliquit; unde Genes. XXVIII. 13. vidit Jacob in somnis Dominum innixum scalae dicentem sibi: *Ego Dominus Deus Abraham Patris tui, et Deus Isaac . . . . benedicentur in te, et in semine tuo cunctae tribus terrae*: hinc Apostolus Heb. XI. 9. Isaac, et Jacob vocat *cohaeredes* repromissionis factae Abrahae. Demum Jacob cum ex pluribus uxoribus duodecim suscepisset filios, haereditatem terrae Chanaan singulis ex aequo partitus est, promissionem autem futuri Messiae Judae peculiari illa benedictione tribuit: *Juda, te laudabunt fratres tui . . . . adorabunt te filii Patris tui . . . non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio Gentium.* Gen. XLIX. 8. et seq.

et Juda.

§. LXXXIII.

In hac promissionum serie gratuita Dei electio relucet.

Abrahamicam Periodum justa illa observatione Illustrissimi Bossueti *Discours sur l' histoire univ.* concludimus, nempe in omnibus his promissionibus, et repromissionibus semper voluisse Deum gratuitam suae voluntatis praedestinationem misericorditer ostendere. Gratuito vocatus est Abraham, atque inter omnes electus, ut in ipso, ejusque semine benedicerentur omnes gentes: gratuito Ismaeli praelatus est Isaac, ut esset haeres paternarum benedictionum: gratuito Jacob dilectus est prae Esau fratre suo majore: gratuito demum Judae inter omnes ejus fratres hoc singulare beneficium collatum fuit, ut ex eo Regum series, et tandem post multa secula Messias ipse ortum traheret. Haec perpendens S. Paulus Roman. IX. 14. ita concludit: *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas est apud Deum?*

absit. Moysi enim dicit : Miserebor , cujus misereor , et misericordiam praestabo , cujus miserebor. Vid. S. Thomas 1. 2. qu. 93. art. 4. qui idem antea observaverat.

Periodus III. a Moyse usque ad Christum.

§. LXXXIV.

Clariores Messiae promissiones, et figurae.

Quamquam clara satis sint de futuro Liberatore vaticinia hactenus prolata, clariora tamen semper inveniemus, quo magis ad ipsius nativitatem accedimus. Et primo expressissima figura liberationis universi generis humani a captivitate daemonis fuit liberatio populi Israelitici a longa, et durissima captivitate Ægyptiaca, et figura Christi Liberatoris fuit Moyses, quem Deus elegit ducem, et liberatorem populi sui. Immo cum antea Deus figuras, et prophetias venturi Messiae sola traditione a Patribus in filios propagari, et conservari voluisset, Moysi postea legem digito suo scriptam, et in monte Sinai inter fulgura, et tonitrua promulgatam dedit Exod. XXIV. Haec autem lex homines ad Christum ordinabat, et quidem dupliciter, ut notat S. Thomas 1. 2. Quaest. 98. art. 2. : 1. testimonium Christo perhibendo, unde ipse Christus dicit Lucae ult. 44 : *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me*; et Joan. V. 46. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit* : 2. prout homines retrahens a cultu idololatriae, concludebat eos sub cultu unius Dei, a quo salvandum erat humanum genus per Christum; unde Apostolus dicit Gal. III. 23. : *Prius quam veniret fides, sub lege custodiebantur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat.*

Praecipue autem in lege.

§. LXXXV.

Quae praecepta moralia, ceremonialia, et judicialia continebat.

Sed ut id manifestius fiat, oportet tria in lege veteri distinguere, scilicet praecepta *moralia*, seu Decalogi, quae proveniunt ex dictamine rationis, quaeque quantum ad substantiam in lege ipsa naturali continentur, magis autem innotuerunt ex divina revelatione : *ceremonialia*, quibus exterior cul-

tus divinus determinatur : et *judicialia*, quae sunt determinationes justitiae inter homines observandae. Quamquam autem omnia ista praecepta homines ad Deum per Jesum Christum suo modo dirigebant, peculiariter tamen ceremonialia Christum ipsum figurabant, dicente Apostolo Coloss. II. 17. ea fuisse *umbram futurorum*, *corpus autem Christi*; praecipue vero multis, et diversis sacrificiis vet. Legis illud significabatur, quo Christus moriens in cruce se ipsum pro nostris peccatis immolavit; quod Apostolus in Epist. ad Hebr. cap. VII., aliisque in locis declarat (*).

§. LXXXVI.

Et quae bona, et sancta erat.

Ex his abunde liquet, legem veterem fuisse bonam, et sanctam, atque a Deo bono latam contra stultum Manichaeorum errorem, qui eam principio malo adscribebant. Hoc etiam ex multis N. T. testimoniis confirmari potest, praecipue ex Apostolo Paulo, qui Rom. VII. 12. *Lex sancta*, inquit, *et mandatum sanctum*, *et justum*, *et bonum*; et I. ad Timoth. I. 8. *Scimus autem*, *quia bona est Lex*, *si quis ea legitime utatur*; et infinita propemodum occurrunt in libris novi foederis similia loca, quibus contraria non sunt, quae videntur legem veterem tamquam malam reprobare; ut cum Paulus Rom. V. 20. inquit: *Lex subintravit*, *ut abundaret delictum*, et cum II. ad Corinth. III. 7. et seq. eam vocat *administrationem mortis* etc. Haec enim omnia, quae saepius occurrunt, facile cum primis testimoniis conciliantur, observando cum SS. Patribus, quorum traditionem complexus est S. Thomas, Legem Vete-

---

(*) Omittere non possumus pulchra illa S. Augustini verba lib. 7. de civi. Dei cap. 32. *Omnes non solum Prophetiae, quae in verbis sunt; nec tantum praecepta vitae, quae mores pietatemque conformant, atque illis litteris continentur, verum etiam sacra, Sacerdotium, tabernaculum, sive templum, altaria, sacrificia, ceremoniae, dies festi, et quidquid aliud ad eam servitutem pertinet, quae Deo debetur, et graece proprie λατρεία dicitur, ea significaverunt, et praenuntiaverunt, quae propter aeternam vitam fidelium in Christo et impleta credimus, et impleri cernimus, et implenda confidimus.*

rem dici mortiferam non eo sensu, quasi ejus impletio mortem afferret, cum Christus ipse testetur se *venisse, non ut legem solveret, sed ut adimpleret* Matth. V. 27., sed quatenus occasionem praebebat peccatis, in quantum scilicet gratiam non conferebat, per quam homines implere possent, quod mandabat, vel vitare, quod vetabat: occasio autem ista non erat data, sed accepta, unde et Apostolus Rom. VII. 8. inquiebat: *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam; sine lege enim peccatum mortuum erat.* Cum ergo Apostolus inquit, *legem subintrasse, ut abundaret delictum*, particula *ut* debet sumi *consecutive*, non *causaliter* (*).

§. LXXXVII.

Sed tamen imperfecta.

Ceterum negari non potest, Legem veterem, quamquam in se bonam, et sanctam, fuisse tamen suo modo imperfectam, dicente Apostolo Hebr. VII. 19. *Nihil ad perfectum adduxit Lex*; nam perfecta bonitas, ut sapienter observat S. Thomas, est in his, quae per se sufficiunt inducere ad finem; imperfectum autem bonum est, quod operatur quidem, et disponit ad finem, non sufficit autem ad illum perducere: jam vero Lex vetus ad finem beatitudinis aeternae per se ipsam perducere homines non valebat, ad hoc enim requiritur gratia, quae *per Jesum Christum facta est*, ut dicitur Joan. I. 17.

§. LXXXVIII.

Ac propterea abroganda, quantum ad ceremonias.

Ex quo autem lex vetus imperfecta erat, ut mox explicatum est, illud etiam consequitur, eam fuisse aliquando abrogandam, non quidem quantum ad praecepta moralia, quae in lege naturali continentur (§. LXXXV.) sed quantum ad praecepta ceremonialia; cum enim haec Christum praefigurarent, adve-

(*) Prolixa est haec materia, quae ad Tractatum de Legibus proprie pertinet. De ea copiose egit doctissimus collega meus P. Bertieri Lib. I. *de Legibus* cap. 9. Videri etiam possunt praeter Scholasticos Nat. Alexander Diss. 14. in sec. II., et Thommasinus Lib. 2. *Theol. Dogm.* cap. 9., et seq. Tom. II.

niente veritate debebant figurae cessare. Christus quidem haec praecepta servavit, immo aliis servanda mandavit, ut cum leproso jussit legales ceremonias perficere; sed hoc fuit ante passionem, quando simul Lex, et Evangelium currebant; in passione autem mysterium Redemptionis completum est, quod Christus ipse significavit iis extremis verbis: *Consummatum est*; unde etiam velum templi scissum fuisse legimus: et sic omnia ceremonialia legis praecepta abrogata sunt; quod paucis indicat Apostolus Hebr. VII. 12. inquiens: *Translato enim Sacerdotio, necesse est, ut et Legis translatio fiat*. Vide quae diximus P. I. Cap. IX.

§. LXXXIX.

Et quantum ad judicialia, sed diversa ratione.

Praecepta demum judicialia, et ipsa evacuata sunt per adventum Christi, aliter tamen quam ceremonialia; cujus discriminis rationem hanc suppeditat S. Thomas 1. 2. Q. 104. art. 3. Praecepta ceremonialia ad Christum venturum praefigurandum principaliter erant instituta; quamobrem qui nunc ea observaret, Christum jam venisse non crederet; praecepta autem judicialia proprie data non erant ad Christum praefigurandum, sed potius ad disponendum statum illius populi, qui ordinabatur ad Christum; et ideo post adventum Christi illo statu mutato et ipsa cessarunt, et mortua dicuntur; non tamen sunt mortifera, quia ipsorum observatio non significaret, Christum nondum advenisse. Hinc etiam videmus, nonnulla eorum adhuc retenta esse; immo sine ullo piaculo posset aliquis Princeps, si e re judicaret, ea omnia adoptare, dummodo non observarentur tamquam vim adhuc habentia ex veteris Legis institutione, quae jam cessavit. Sed de hac controversia, quae fusius contra Judaeos agitari solet, conf. P. Bertieri Lib. 1. *de Legibus* cap. 12.

§. XC.

Quamvis lex solis Judaeis data fuerit.

Post breve hoc diverticulum redeo ad Legem Mosaicam, quam Christum praefigurasse diximus, et sine ejus fide vim justificandi non habuisse. Fuerat illa solis Israelitis data, utpote populo a Deo praedilecto, et ex quo Salvator mundi oriri debebat; non tamen propterea aliis nationibus erat via salutis

praeclusa; iis enim observatio legis naturalis una cum fide in Messiam venturum satis erat ad justificationem consequendam, ac propterea Christus omni tempore omnium gentium *salus* dici poterat, juxta illud Isaiae XLIX. 6. *Ecce dedi te in lucem gentium; ut sis salus mea usque ad extremum terrae*; quo testimonio usi sunt Paulus, et Barnabas Act. XIII. 46., ut ostenderent, gentes etiam ad lucem Evangelii, viamque salutis esse vocatas.

Non autem aliis praeclusa erat via salutis.

§. XCI.

Verum quidem est, ceremoniis legalibus fuisse populum Judaicum a gentibus quodammodo separatum, immo una haec est ex multis rationibus, quas SS. Patres ad commendandas leges ceremoniales delectus ciborum adducunt, ne scilicet Judaei occasione conviviorum cum gentibus commixti, earum etiam superstitionibus, et vitiis commiscerentur: nullum tamen ex hac separatione aliis nationibus impedimentum oriebatur ad veram Dei religionem cognoscendam, et amplectendam. Primo quia nihil obstabat, quin etiam alienigenae populo Dei adnumerarentur, ut colligitur ex XII. Exod. 48.: deinde quia quilibet alius, ut supra dictum est, observando legem naturae, fideque in futurum Messiam justitiam, et salutem consequi poterat, immo hanc gratiam fuisse pluribus inter gentes concessam, exemplis Job, Melchisedech, ac Ninivitarum edocemur.

Tametsi erant a Judaeorum consortio separati.

§. XCII.

Et certe, quamquam populus Judaicus erat a ceteris nationibus quodammodo separatus, attamen tot, tantisque prodigiis celebris factus est, ut non solum vicini, sed etiam longe dissiti peculiarem omnipotentis Dei protectionem, qua Israelitae initio pauci, et inopes in gentem magnam, atque opulentissimam excreverunt, ignorare nullo modo possent. Et primo praeter Abraham, quem apud exteras gentes inclaruisse supra observavimus §. LXXXI., mirabilis providentia Dei apparuit in Joseph, quem variis, et imperscrutabilibus viis ita exaltavit, ut Prorex, et Salvator Ægypti dictus fuerit, a quo propterea etiam verum Deum discere poterant illi populi omnium superstitiosissimi. Praeterea Moyses

Quorum religionem, et miracula ignorare non poterant.

in conspectu omnium miracula illa magna patravit, quibus tandem Pharao, utut obduratus, ad eos dimittendos adactus fuit: notus erat prodigiosus maris rubri transitus, et submersio exercitus Pharaonis: nec omnino ignota esse poterant tot illa Dei beneficia, quibus continua miraculorum serie in deserto conservati, et aucti fuere. Praecipue autem Chananaei, aliique finitimi populi divinam virtutem, qua Israelitae pugnabant, ac de hostibus suis perpetuo triumphabant, cladium suarum experimento saepius cognoverant. Hinc etiam celebris Theocratiae, qua populus Judaicus visibiliter a Deo regebatur, fama ad omnes pervenire debuit (*). Quod si maxima hominum pars his non obstantibus Deum verum obcaecata non agnovit, id divinis judiciis adscribendum est, quibus Deus permisit gentes *ambulare in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienatas a vita Dei per ignorantiam, quae est in illis propter caecitatem cordis ipsorum*; ut inquit Apostolus Ephes. IV. 17. et sequ.; neque enim externa miracula sufficiunt, quando Deus ex sua justitia interiorem, et efficacissimam gratiam impertiri non vult. Ceterum populi hujus a Deo dilecti gloriam, Religionisque sanctitatem fuisse ubique gentium agnitam, vel ex sola regina Saba abunde liquet, quae a longinqua regione Jerusalem venit, ut, quae procul audierat, propriis oculis intueretur. Scimus etiam *famosissimum in toto orbe* fuisse templum Jerosolymitanum

---

(*) Postquam populus Hebr. in formam Reipubl. coaluit coepit haec Theocratia, quando nempe Deus non solum legem populo dedit, sed judices etiam, et magistratus inferiores constituit Num. XI. 16., et sequ. Deuter. XVII. 8., et sequ.; quae ad sacrificia, omnesque Religionis ceremonias pertinent, ipse determinabat; quae etiam bella, pacem, ac foedera cum finitimis populis spectabant, nonnisi responso a Deo accepto decernebantur: uno verbo omnia tam in sacra, quam civili politia Dei nutu regebantur. Et haec apud omnes certa sunt: dubium solummodo est, quousque haec Theocratia duraverit; sunt enim qui volunt, tunc cessasse, quando filii Israel petierunt a Samuele Regem, et respondit Deus: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*, I. Reg. VIII. 7.; sed alii probabilius etiam sub Regibus Theocratiam perdurasse existimant.

II. Machab. II. 23, eique ab exteris etiam Principibus dona tributa.

§. XCIII.

Nec sacros ac divinos Libros.

Judaici populi celebritas mirifice etiam aucta est ex divinis libris, quibus mundi origo, praecipui antiquitatis fasti, terrae revolutiones, hominum dispersio, et propagatio, regnorum initia, et vicissitudines, leges insuper a Deo ipso datae, et plurima vaticinia continebantur. Porro plus quam certum videtur, gentiles sapientes vel ex horum librorum lectione, vel ex commercio cum doctoribus inter Judaeos plurimum profecisse, quidquid aliqui intemperantiores Critici contra dicant (*). Certum est etiam antiquam extitisse sin minus omnium saltem aliquorum sacrorum codicum graecam versionem, cujus meminit doctissimus ille Aristobolus Judaeus, quem Magistrum fuisse Ptolomaei Regis Ægypti secundus Machab. Liber cap. 1. testis est; quamvis autem Aristoboli opera temporis edacitate perierint, ejusdem tamen testimonii mentionem faciunt Clemens Alexandr. Lib. 1. *Strom.*, et Eusebius Lib. 9. *Praeparat. Evang.* cap. 6. Sed quidquid sit de hac versione, quae modo desideratur, notissima omnibus est alia versio quae LXX. *viralis* communiter audit, quia communis olim opinio fuit, eam instante Ptolomaeo Philadelpho tertio post Alexandrum M. Ægypti Rege a LXXII. Judaeorum senioribus 300. circiter ante Christum annis fuisse elucubratam, et quae postea contracto

---

(*) Sufficit ea legere, quae Josephus in procemio *Antiquit. Judaic.* habet, ubi inter alias causas, quibus ad suae gentis historiam scribendam permotus fuit, hanc affert: *Accedit, quod et illud mecum etiam atque etiam reputaveram, quod majores olim nostri exteris sua benigne communicare voluerint, et Graecorum nonnulli res nostras cognoscendi studio flagrarint.* Addere possemus, quae ad id confirmandum afferunt Eusebius lib. 9. *Praeparat. Evang.*, Origenes in libris *contra Celsum*, aliique. Conf. Huetius *in Demonstr. Evang.*, et Leland. *Nova demonstr. Evang.* tom. 2. Certe Eupolemus Moysem τόν πρῶτον σόφον appellare non dubitavit; et Strabo lib. 26. non solum Moysem, sed eos etiam, qui ei successerunt, debitis laudum encomiis non fraudavit.

nomine τῶν LXX. dicta est (*). Ex his omnibus, quae ut breviores essemus, vix delibavimus, nemo non videt, Judaicam nationem, utut arctis Palestinae confiniis quasi conclusam, fuisse tamen celebritatis fama toto orbe notissimam. Ut nihil dicam de Judaeorum dispersione per omnes fere mundi tunc cogniti provincias, et de multis proselytis ab iis ubique factis, de quibus consuli potest Josephus lib. 14. *Antiqu. Judaic.* cap. 7.; atque adeo praeter alias multas hanc etiam fuisse gentilibus viam apertam, ut veram Dei Religionem, quae apud Judaeos florebat, cognoscerent, et amplecterentur, unumque Deum colerent, atque in ejus Filio, quem missurus erat, spem salutis reponerent.

§. XCIV.

In quibus innumera de Christo vaticinia continentur.

Atque ut eo, unde digressi sumus, iterum revertamur, tanta crevit post Moysem de Christo vaticiniorum quasi seges, et tam spissa est illius futuri adventus testium nubes, ut integri plane *Hagiographi*, et *Prophetici* Libri exscribendi essent, in quibus non tantum Messiae adventus, sed etiam minutissimae circumstantiae illius nativitatis, vitae, passionis, mortis, ac resurrectionis praedictae sunt. Sic praenunciatum est tempus Gen. XLIX. 10., cum

(*) De nulla fortasse re acrius inter criticos disputatum est, quam de hujus versionis origine. Veteres Ecclesiae Patres post Josephum, Philonem, immo post Epistolam Aristaeae (in qua rei gestae tota historia continetur) hanc versionem fuisse a LXXII. senioribus, quorum senos, ac senos ex 12. tribubus Pontifex Eleazarus delegerat, atque Alexandriam ad Prolomaeum miserat, elucubratam uno plane ore affirmant; et adeo communis haec opinio facta est, ut primus, quod sciam Lud. Vives medio circiter seculo XVI. de ea dubitare coeperit *in comment.* ad cap. 42. Lib. 16. S. Augustini *de civit. Dei*, quo veluti classico pugna inter criticos adeo exarsit, et tanta ex utraque parte momenta hactenus prolata sunt, ut desperanda ferme veritas videatur. Plura eruditorum nomina, qui in hoc bello maxime inclaruerunt, collegit solertissimus P. Fabricy in Tom. 1. *des Titres primitifs de la revelation* pag. 192. Novissime autem in aciem prodiit perdoctus P. de Magistris, qui celebri suae editioni *Danielis secundum LXX. e singulari Chisiano codice* quinque eruditas dissertationes adnexuit, ut veterum Patrum traditionem quasi postliminio restitueret,

scilicet defecisset sceptrum a Juda: praenunciatus est locus, nempe civitas Bethlehem Mich. V. 2.: praenunciata est strages Innocentum Jerem. XXXII. 15.: fuga pueri Jesu in Ægyptum Oseae XI. 1.: et quod omnia haec superat, praenunciata fuit miraculosa Christi conceptio ex virgine Isaiae VII. 14. Jerem. XXX. 22. Ezech. XLIV. 2., et 4. Infinitus autem essem, si quae in Psalmis potissimum et Prophetis Isaia, Jeremia, atque Ezechiele de Christi praedicatione, et miraculis, de Judae proditione, discipulorumque derelictione, de sputis, flagellis, manuum, pedumque perfossione, divisione vestimentorum, aliisque multis contumeliis, irrisionibus, gravissimisque cruciatibus, quibus Christus redemtionis nostrae opus consummavit, non tam praedicta, quam descripta leguntur; imprimis autem quae de ejus Divinitate, ac de doctrina, novaque ejus Lege toto orbe disseminanda, singillatim percensere vellem (*). Sed ex generali hac consideratione concludere merito possumus verbis S. Augustini Quaest. 73. *in Exodum*: *In veteri* (Testamento) *novum latet, et in novo vetus patet.*

(*) Praeter Auctores multa eruditione a Cl. Collega meo initio cap. 1. laudatos, utilissima in hac materia suppeditabit Huetius *in Demonstrat. Evang.*, ubi fuse ita describitur ΠΑΡΑΔΔΗΛΙΣΜΟΣ *Vet. Test.* cum novo in *iis, quae ad Messiam pertinent*, ut nihil praetermissum esse videatur. Multa etiam collegit Prud. Maran in egregio opere, cui titulus: *Divinitas D. N. J. C. manifesta in Script. et Tradit.* Lib. 1. cap. 1., et sequ. Quibus addi etiam poterunt, quae Duguetius in Libro *de l' intelligence des Saintes Ecritures* habet, et quae occasione illius libri postea scripta sunt.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PARS SEXTA.

AUCTORE

FR. JOSEPHO BERTIERI.

CAPUT PRIMUM.

Periodus IV. Christiana.

§. I.

Praecedentium epocharum anacephalaeosis.

Ob primi Parentis lapsum felix, beatusque periit innocentiae status: *Peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Ad Roman. V. 12.). Quamobrem vitiata in Adam veluti in stirpe et radice omni ejus posteritate, in omnes pariter damnationis sententia lata fuit. At Deus, cujus natura bonitas, infelix humanum genus in spem veniae erigere volens, Divinum promisit Liberatorem (Gen. III. 15.), cujus notitia apud pios, sanctosque viros diligenter custodita fuit, et ad seram posteritatem transmissa. Verum quum perversitas hominum eo tandem processisset, ut vitiis sceleribusque fere omnes indulgerent, Deus universali diluvio humanum genus perdidit, unica servata pia Noe familia. Patris indignationem Cham merito incurrit; Sem vero, et Japhet ob exhibitum pietais opus Noe obtinuerunt benedictionem, atque promissi Reparatoris fidem ad posteros propagarunt. Porro vergentibus jam fere omnibus ad idololatriam selegit sibi Deus Abraham, ut ex ejus stirpe formaret sibi populum, cui traderet conservanda, quae de venturo Redemtore pedetentim dare statuerat vaticinia. Jam vero duplex Abrahae a Deo facta promissio fuit, una terrae Chanaan possessionem copiosae ejus posteritati donandam continebat (Genes.

XIII. 15. et XV. 18. et seq.); altera, quae nobilior, et vocationis ejus primarius finis, de glorioso Liberatore erat ex sua progenie nascituro, in quo benedicendae essent *universae cognationes terrae* (Gen. XII. 3. et XVIII. 18.). Utramque dedit Deus pollicitationem Isaac (Gen. XXVI. 4.), qui duorum genitor filiorum majore praetermisso benedictionem utramque contulit Jacobo (Genes. XXVIII. 13. 14.); hic vero liberis procreatis duodecim, terrenam benedictionem omnibus, spiritualem transmisit ab Juda designato etiam tempore, quo mundi Reparator ex ejus oriturus progenie apparere debebat (Genes. XLIX). Quod spoponderat Deus se Abrahae posteris terrae Chanaan possessionem daturum, complere statuit; quapropter modo omnipotentiae suae vere consentaneo, Hebraicum populum quemadmodum praenuntiaverat (Gen. XV. 14.), ex servitute Ægypti liberat, legemque per Moysem in deserto promulgat, cujus scopus erat fidem servandi, et spem venturi Messiae; *finis enim legis Christus* (Ad Rom X. 4.): hinc sacrificia, expiationes, Sacramenta Mosaicae legis Redemtorem praefigurabant: *Omnia in figuris contingebant illis* (I. ad Corinth. X. 11.); atque ut Israelis populus perciperet clarius, se ad feliciora Messiae tempora disponi, spondet Deus (Deut. XVIII. 18.) insignem magnumque Prophetam Moysi similem, cui obedientiam omnem praestare teneretur. Post diuturnum annorum circulum, Regem quum vellent filii Israel, reprobato, qui jam constitutus erat, Saule, elegit Deus ex tribu Juda ex familia Jesse pastorem David, ex cujus stirpe promissus Messias (II. Regum VII.) ortum esset habiturus.

Scholion. Confectum ivimus, Deum sensim, et per gradus consilia sua de redimendo humano genere per recensitas (I. parte.) periodos manifestasse. Quae vocationem Abrahae praecedit epocha, Redemptorem promittit. Altera originem ab Abraham ducens, declarat nobis, eum ex semine Abrahae, Isaac, Jacob, Juda nasciturum fore, atque in ipso omnes terrae nationes esse benedicendas. Periodus autem Mosaica exhibet omnia, quae a Deo lata erant, in lege praecepta eo collineasse, ut praefigu-

rarent Messiam, atque ad eum veluti manuducerent, nec praetermittit futurum fore novum legislatorem, qui oeconomiam Mosaicam esset abrogaturus. Confer Bossuet *Discours sur l' histoire universelle* II. *par.* ch. I. II. III. Francois *Examen des faites etc. tom.* II. *ch.* 10. 11. Sherloch *l' Usage et les fins de la prophetie* tom. I. *discours* 3. 4. 5. *La vraie Religion demontrèe par Thomas Burnet dans la dèfense de la Religion* tom. VI.

§. II.

Prophetiarum finis, Messias. Mosaica periodus, quum omne complectatur tempus, quod ad Christum usque decurrit, cumque ad magnum Redemtionis opus pedetentim Deus disponere homines vellet, suaque consilia semper clarius manifestare (Schol. §. praec.); hinc probos plures sanctosque viros suo spiritu afflatos eum in finem suscitavit, ut de Messia vaticinarentur, eumque ita describerent, ut obcaecato animo sit oportet, qui ipsum agnoscere renuat.

Scholion. Rex David, Isaias, Jeremias, Daniel, Michaeas, Zacharias, Aggaeus, Malachias Prophetarum ultimus, ut de caeteris sileam, Messiae characteres, proprietates, et circumstantias, in quibus apparere debebat, accuratissime descripserunt. Vide Paschal pensèes §. XV. et Opstraet. Theol. dogmatica parte I. tract. II. dissert. I. No. III. IV.

§. III.

Harum concatenatio. Qui promissus fuerat *Gen.* III. humani generis Reparator, eum ex progenie Abraham, Isaac, Jacob, ex tribu Juda, ex Regia Davidis familia ortum habiturum (§. I.) evicimus. Jam vero ex Isaia (Is. VIII. 8.) noscimus debuisse in terra Chanaan lucem aspicere; ex Michaea (V.) autem in civitate Bethlehem; at aliam simul Propheta e sinu Patris ab aeternitate ejusdem nativitatem percipit, nec non Regius Propheta (Ps. CIX. 3.), qui eum animo contuetur Deum, quem Deus unxit (Ps. XLIV. 8.). Debet Messias habere praecursorem, et stante secundo templo advenire (Malac. III. 1. Aggaei II. 8.). Virgo Mater ejus praedicitur (Is. VII. 14.); sed ipsemet Emmanuel, Deus fortis, Pater

futuri seculi, princeps pacis (IX. 6.): insignia non minus erat miracula patraturus (Isa. XXXV. 5. 6.); ipse Pontifex aeternus non e stirpe Aaron, at secundum ordinem Melchisedech (Ps. CIX. 4.); novum foedus debebat instituere (Jer. XXXI. 31.), atque veteris legis abrogare (Malach. I. II. et seq. Is. L. 13. et LXVI. 1. et seq. Amos V. 21.) sacrificia.

§. IV.

Porro sacri vates, etsi Messiam verbis depingant magnificis, summamque ejus potentiam spirantibus, nihilominus humile vitae genus, et paupertatem praenuntiavit Zacharias, qui eum etiam novit proditum, venditumque triginta argenteis (IX. 9. et XI. 12. 13.), Isaias vocat despectum, novissimum virorum, virum dolorum, vulneratum propter iniquitates nostras, attritum propter scelera nostra, et cum scelestis reputatum (LIII. 3. et seq.): suae passionis, et mortis circumstantias Psalmista enarrat (Psal. XXI. XXXIV. et XL.); immo ipsimet anni nativitatis, et mortis a Daniele computantur (IX. 24. et seq.). Attamen ejus resurrectionem, et ascensionem in coelum David praedixit (Ps. XV. 10. et LXVII. 19. 33); gentium quoque conversionem (Psal. XXI. 23. Isai. LXII. 2.), quae per Messiae discipulos maxima ex parte evenire debebat (Isa. ult. 19.), Judaeorum caecitatem, dispersionem, reprobationem Isaias vidit (Is. VIII. 15. et seq.). Quid plura? Per semetipsum juravit Dominus, quod ante Messiam curvabitur omne genu, omnisque lingua supremam potentiam suam agnoscet (Is. XLV. 23. 24.). In tanta vaticiniorum serie, tantaque Prophetarum consensione, quis non admiretur, dignisque non celebret laudibus altissima Dei consilia, quibus Redemptorem ita clare descriptum voluit, ut nonnisi imperitus, pertinax, sua sponte caecus eum non agnoscere queat? Continuatur.

Scholion. Noscant increduli, cur per annos quater mille Deus Redemtoris adventum dilatum voluerit. Nam si post primi Parentis lapsum missus illico fuisset, tot praeclarissimis oraculis caruissemus, quae maximum dant Religioni nostrae pondus: si tempo-

ribus incultis advenisset, saeculi ignorantiae attributa fuisset suae Religionis propagatio. Oportebat, ut humana ingenia jam essent exculta, Philosophia suas exeruisset vires, atque humani generis corruptio, et depravatio ad summum gradum pervenisset; secus quantum homines Redemptore indigerent, haud fuisset compertum. Quamobrem Salvatorem mittere noluit Deus, antequam homines non essent de ejus necessitate convicti, atque ad illum recipiendum non essent dispositi. Confer Lelande *Nouvelle Demonstration Evangelique Tom.* II. p. I. ch. XXII. §. 6. *Credibilitè de la Religion par Bradford.* Sect. 4. Stackouse *Sens litteral de l' Ecriture Sainte ch.* XXIV. Thomassinum *Tom III. dogmatum Theol. Tract. V.*

§. V.

Messias advenit. I. prob. vaticinio Jacobaeo.

Jacob, quae novissimis diebus ventura erant filiis suis praenuntians (Gen. XLIX. 8. et seq.), *Juda*, inquit, *te laudabunt fratres tui . . . adorabunt te filii patris tui. Non auferetur sceptrum* (שׁבט) *de Juda, et dux de femore ejus donec veniat, qui mittendus est* : (שׁילה) *et ipse erit exspectatio gentium.* Etsi vox *sceptrum*, schevet, nonnunquam afflictionis virgam denotet, nihilominus pro signo dignitatis, dominii, et auctoritatis hoc in loco esse accipiendam contextus declarat, confirmantque antiquae versiones. Schilo, Messiam significare evincitur ex Paraphrasi Chaldaica Onkelosi, Jonathanis, et Jerosolymitana, et ex ipsa vaticiniorum serie clarissime. Enimvero promissio de Redemtore Gen. III. ita per gradus fuit manifestata, ut praedixerit Deus eum ex stirpe Abraham, Isaac, Jacob fore oriturum; Jacob vero divino afflatus spiritu, quam accepit spiritualem benedictionem, hanc ad Juda transtulit (§. I.), quo fit, ut Schilo alius a promisso Messia esse nequeat. Jam vero pervicaces Judaeos refellamus. Promisit Deus sceptrum sive Principem, auctoritatem, dominium a Tribu Juda haud recessurum, donec Messias advenerit. Haec tribus, experientia, quae non mentitur, teste, a septemdecim saeculis sceptro caret, nam politiam sive sacram sive civilem habet nullam, nullum jus gladii, tribus sunt confusae, populus miser, afflictus, capti-

vus: hinc Messiam advenisse exploratum cuique esse debet.

Scholion. LXX. interpretes vertunt: *Non deficiet Princeps de Juda*: Chaldaica Paraphrasis: *Non transibit faciens dominatum*; in eundem sensum conspirant Aquila, Symmachus, et nostra Vulgata. Rabbinorum autem testimonia dabunt Hoornbeck lib. II. *contra Judaeos* c. 1. Raymundus Martini in *pugione fidei*, et Galatinus de *arcanis Catholicae veritatis*. Quantum ad vocem Schilo attinet, videsis Gustavi Georgii Zeltneri dissertationem, *Schilo nodis solutus*. Thesauri novi *Theol. Philol.* part. I. Sherloch *L'usage* tom. 2. Disc. III. *de la benediction de Juda*, Buddeum *hist. eccl. vet. testamenti* tom. I. part. 1. sect. III. a vocatione Abrahami ad Moysem, et Monsperger *Institutiones hermeneutices sacrae* §. XXII. Nonnulla obiter de hac voce Schilo profert celeb. Jacobus Jonas Bjornstall in epist. data ad Gabrielem Fabricy an. 1771. in qua triplicis Pentateuchi Samaritani in Bibliotheca Barberini asservati notitiam dat.

§. VI.

Sceptrum mansit in Babylonica captivitate.

Movet difficultatem Babylonica Judaeorum captivitas, in quam civitate destructa, temploque incenso populus cum Rege suo abductus fuit, quo tempore Messiam advenisse nemo nostrum affirmat. Verum desiit tunc quidem Regia Potestas, imminutum fuit sceptrum, non penitus ablatum. Nam hac in transmigratione propriis utebantur legibus, (Esther XIII. 4. XVI. 15.) propriosque habebant magistratus, et Judices, qui, uti Susannae demonstrat historia, jus vitae, et necis in suos habebant; tribus servabant inconfusas, erantque in Babylonia veluti incolae domuum, et agrorum possessores (Jer. XXIX. 4. et seq.); quodque magis est post LXX. annorum circulum futuros reduces in patriam suam ex Divinis oraculis certi reddebantur. At modo, quum a tot saeculis miseri sint, et captivi, nec liberationis spes ulla affulgeat, ipsi oculatiores et magis ingenui Rabbini se carere sceptro non diffitentur.

Scholion. Quoniam laudato in vaticinio spondetur de Juda Dux רוכד דבליו sive ut Vulgata habet, *de femore ejus*, atque Assamonaei e tribu Levi diuturno tempore Duces populi fuerunt; hinc ad nodum hunc solvendum non unam viam iniverunt Interpretes, et Theologi. Sunt qui putent, Judae nomine universum Israelis populum esse intelligendum: sed perperam, cum Jacob singulos filios *benedictionibus propriis* decoraverit. Judicant alii, Assamonaeos filias Regum Juda matrimonio sibi copulasse, easque jus Regni in tribum Levi transtulisse; hallucinantur: cum lege Divina cautum esset *Num.* XXXVI. ne unius tribus haereditas in aliam posset transferri. Propugnant non pauci viri celebres, sceptrum in tribu Juda perseverasse, eo quod Synedrii, cujus maxima apud Judaeos auctoritas, Nasi, sive Princeps ex hac tribu semper assumptus fuit; verum ex Philone *de vita Moysis*, et Josepho Lib. II· *contra Appionem*, hunc etiam e Tribu Levi electum fuisse, patet. Praeclaros non minus habet propugnatores ea sententia, quae tenet ideo in Judae Tribu permansisse sceptrum, quoniam Regimen populi Aristocratico-Democraticum erat Lib. I. *Mach.* XII. 6. et populus ipse belli duces sibi eligebat *Mach.* XIII. 7. 8. cumque haec tribus florentissima esset, maximamque populi constitueret partem, hinc Synedrii pars major ex ipsa conflabatur; unde Magistratus, et Judices ex suo femore usque ad Christum obtinuit. De Synedriis confer Jo. Seldenum *de Synedriis, et praefecturis juridicis veterum Hebraeorum*; Petrum Cunaeum, et Paulum Sigonium de *Rep. heb.*; Shickardum de *Jure Regio*; Blasium Ugolini in *thesauro antiquitatum sacrarum* vol. I. II. III. IV. XXIV. Tourneminius *Journal de Trevoux, Mars* 1705. eo quod Hebraeorum puncta serioris sunt aetatis, judicat vaticinium ita legendum: *Non auferetur sceptrum de Juda, et Dux de femore ejus donec veniat qui mittendus est*, ita ut *de femore* non ad Juda, sed ad Messiam referri debeat. De punctis vocalibus confer omnino Gabrielem Fabricy *des titres primitif de la revelation* tom. II. p. 307. et seq. ubi multa scitu digna reperies. Jo. Augustus Ernesti vir eruditissimus *opusculo Philologico critico*, *De vestigiis linguae hebraicae in lingua graeca* observat, He-

braeorum esse morem homines exprimere per partes corporis; idque cum faciunt, non de istis partibus cogitare, sed totam personam animo contueri, sicuti, qui latine aliquem vocat carissimum caput, aut pectus; pluribusque exemplis ostendit per illam phrasim *ad pedes*, *e pedibus*, *e medio pedum* aliquam non innui emphasim peculiarem; sic *Gen.* XXX.30. Jacobus Labano dixit: *te Deus auxit* לרגלי idest *cura mea per me*, non ad pedem meum; atque Oseae II. 4. legitur in hebraeo: meretriciam libidinem removebo a faciebus tuis, et adulteria מבין שדיה nempe *ab ipsa*, unde in verbis Jacobi מבין רגליו nil est aliud, quam *ab ipso*. Quamobrem cum Tribus Juda, quiscunque Dux fuerit, semper usque ad Christum sceptrum habuerit, et dominium, hac data expositione omnia facile complanantur.

§. VII.

Anno Darii Medi primo fervidas pro Judaico populo ad Deum preces Daniel fundebat; sed ecce missum a Deo Gabrielem Angelum, qui luculentum, definitumque de tempore adventus Messiae ei dedit vaticinium: *septuaginta*, inquit, *hebdomades abbreviatae sunt* (heb. *decisae*) *super populum tuum, et urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna. Scito ergo, et animadverte ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursus aedificabitur platea, et muri in angustia temporum, et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est* (heb. *et non ei*) *et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et finem perdurabit desolatio* (Dan. IX. 24. et seq.). Quae memorantur hebdomadae, non dierum, sed annorum esse fatentur R. Aben-

II. Ex vaticinio Danielis.

ezra, et Abarbanel, atque de his in Levitico (XXV. 8.) occurrit sermo. Earum initium clare apparet desumendum esse a lato decreto de reaedificanda Jerusalem. Porro vaticinium respicere Messiam nemo prudens dubitaverit : quipppe qui Messias Princeps, sanctus Sanctorum nuncupatur, aliaque habet adjuncta, quae nec Cyro, nec Zorobabeli, nec Esdrae, vel Agrippae convenire queunt; nam peccatum tollere, delere iniquitatem debet, et adducere sempiternam justitiam. Tum in poenam illatae ei mortis consequi debebat templi civitatisque sempiterna devastatio. Ex his promissum Messiam advenisse sic ostendimus. Praenuntiatae apud Danielem annorum hebdomades 490. annos efficiunt; hae auspicandae sunt *ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem*; in medio autem hebdomadae septuagesimae neci tradendus erat Messias; civitas postea, et templum funditus erant evertenda, nec hujus desolationis futurus unquam finis. Jam vero sive a Cyro, sive a Dario Notho, vel Histaspide, aut Artaxerxe Longimano Persarum Regibus hebdomadarum ducas initium, eae multis abhinc saeculis praeterfluxerunt; civitas, et templum sunt destructa, sempiterna etiamnunc manet desolatio. Quamobrem Messiam advenisse dubitari nequit.

Scholion. Magna est inter eruditos contentio de tempore, quo Danielis hebdomadae initium sumere debeant. Ab anno primo Cyri Persarum Regis, qui Judaeis revertendi in patriam, templique reaedificandi potestatem dedit supputandas esse censent Ligtfootus, et Jo. Frischmutus *dissert. de 70. hebd.* A decreto Darii, de quo Agg. I. auspicandas volunt Josephus, Justus Scaliger *de emendatione temporum* Lib. IV. Sethus Calvisius, Constantinus l'empereur, hunc autem Principem esse Darium Nothum judicant. Attamen decretum istud a Dario Histaspide latum fuisse demonstrat Prideaux in historia Judaeorum vicinorumque illis populorum tom. II. c.v. Porro nec a Cyro, aut Dario hebdomadum tempus recte subputari evincitur, quod tunc aedificandi quidem templi, sed non restaurandae, et muniendae civitatis collata fuit potestas. Contendunt exordiendas esse ab anno XX. Artaxerxis Longimani viri ce-

lebres Daniel Huetius *demonst. Evang.* prop. 9. c. VIII. Dionysius Petavius *de doctrina temporum* lib. IX. c. 25. Campegius Vitringa *observ. sacr.* lib. VI. c. 2. Bossuet *discours sur l'histoire universelle* 1. partie, VIII. epoque, et eruditissimus Rondet *dissert. de his hebdomadibus in vol. IX. Calmeti.* In anno hujus Principis septimo initium collocant Helvicus, Jacobus Capellus in *historia sacra*, Ludovicus Capellus in *sacra Chronologia*, Buddeus *Hist. Eccl. vet. test.* per. II. *a Moyse ad Christum* sect. V. §. 10., Berti de Theol. discip. lib. 25. c. 6. quibus adhaesi lib. 1. de Incarn. *addit.* ad c. IV.

§. VIII.

Nonnullae Judaeorum difficultates.

Omnes ingenii vires intendunt Judaei, ut gravissimum ex Danielis vaticinio propositum argumentum eludant. Ajunt I. Messias ibi vocatur Naghid, sive Princeps, qui secundum sacras litteras dominio, et auctoritate populum regit (Isai. LV. et alibi passim). Talis autem Messias non est, quem Christiani confingunt. II. Regnat adhuc iniquitas, et peccatum, necdum adducta fuit justitia sempiterna. III. Ubi legunt Christiani *occidetur Christus*, habet graeca versio *peribit*, quae verba de serie, et successione Pontificum vel ipse Eusebius (Lib. VIII. *Demonst. Evang.*) intelligit.

§. IX.

Enodantur.

Verumtamen, si ad vaticiniorum connexionem Judaei attenderent, veritatem eandem agnoscerent. Magnifica de Messia depraedicant SS. Vates, cum Regem vocant, et gentium Dominatorem; at vident non minus esse pauperem, humilem, despectum, virum dolorum, vulneratum, morti traditum (§. IV.). Cohaerent haec facile, si dicamus, Messiam ob naturae Divinae excellentiam (§. III.) praenuntiatum merito Regem Regum, Dominum Dominantium; quamvis ob assumtam humanam naturam pauper, opprobriis contumeliisque affectus esse voluerit. Peccatum autem finem habuit, et deleta iniquitas fuit, eo quod Christus pro totius mundi peccatis copiose, et abundanter satisfecit, nec alia ratione intelligi queunt vaticinii verba, quum mansuetis tantum, et con-

tritis corde Messiam fore profuturum praenuntiaverit Isaias (LXI.). Justitia vero sempiterna, ad quam Angelus respicit, ipse Messias est, qui a Jerem. (XXIII. 6.) juxta hebraicum fontem *Deus* (Jehova) *justitia nostra* vocatur. Postremum parvi momenti est: nam legimus in hebraeo יכרת *exscindetur Messias*, quod verbum mortem violentam denotat: in eundem sensum vertunt Aquila et Symmachus (*). Porro quum unctio nulla fuerit in templo secundo, dicendum est, graecam versionem linguae Hebraicae retinuisse indolem, secundum quam substantiva nomina pro adjectivis non raro assumuntur. Eusebium vero in sua fuisse interpretatione hallucinatum asserimus.

§. X.

III. Ex Aggaei, et Malachiae oraculis.

Quam splendida, quam magnifica sunt adversus obcaecatos Judaeos Aggaei, et Malachiae oracula! Darii anno II. dum interrupto ob vicinarum gentium odium aedificio templi manus Judaei apponebant, seniores plurimi, qui pristini elegantiam viderant, et splendorem, secundi parvitatem, et inopiam considerantes amaras lacrymas fundebant (1. Esdrae III. 12.). Mandat Aggaeo Deus, ut majorem futuram hujus templi, quam primi gloriam depraedicet, eo quod ad ipsum veniet *desideratus cunctis gentibus* (Agg. II. 8.), Messias nempe, qui gentium est expectatio (§. V.). Magnam habent cum his affinitatem Malachiae verba (III. 1.): *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* De Messia sermonem esse non diffitetur major Rabbinorum pars. Nam Dominator est, quem inquisiverunt semper, testamenti angelus, qui foedus instituere debet perpetuum; at ille veniet *ad templum sanctum suum.* Attendant Judaei: Messias templum habet, Deus itaque est. *Ecce venit, dicit Dominus*; quamobrem ad templum hoc secundum

(*) Aquila legit *peribit unctum*, alter *exscindetur Christus.*

veniet: non ad aliud, quod in fine mundi exstruendum somniant. Unde, si a diuturna annorum serie secundum templum destructum est, frustra Messiam adhuc illi praestolantur.

Scholion. Nugas contexunt Rabbini non pauci secundi templi gloriam in eo reponentes, quod istud diuturniori tempore steterit, vel quod fuerit primo opulentius, terraeque Reges munera miserint, et Magnus Alexander ad illud venerit, aut quod eo stante majori pace fruiti sint. Etenim templum secundum vix annis decem, quam alterum perstitit, ornatu autem, et splendore longe inferius fuisse primo R. Asarias, aliique plures ingenue fatentur. Quod si externi Principes ad illud miserunt munera, profanarunt tamen Antiochus Epiphanes, Pompejus, Titi milites. Alexander Macedo, quum gentes plures bello afflixerit, earum desiderium dici nequit. Nec stante secundo templo feliciora Judaei tempora habuere, subditi enim Persarum Regibus, dein victi a Syris, Ægyptiis, Romanis magna pace, et tranquillitate haud fruiti fuerant. Confer Bossuet *discours sur l' hist. univ.* 2. p. ch. X. et XI. Duguet *principes de la foy chretienne* tom. I. ch. XII. Jo. Frischmutum *dissert. de II. templo ad Aggaeum II.* Ernesti opuscula Philol. critica diss. XX.

§. XI.

IV. Ex statu caecitatis, et dispersionis Judaeorum.

Sacri Vates Judaicam gentem horribili mentis caecitate praeditam Messiae haud obtemperaturam, gravissimo, et longe diuturno puniendam exilio praenuntiarunt. Quam praeclare Isaias! (XXIX. 14.). *Ideo ecce addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, et stupendo: peribit enim sapientia a sapientibus ejus; intellectus prudentium ejus abscondetur*; id autem contigisse Messiae tempore res in propatulo est. Unde Dominus per eundem Prophetam (L. 1. et 2.) Synagogam repudiandam, poenisque afficiendam, quia Messiam non agnovit, non ambigue pronuntiat: *Quia veni, et non erat vir; vocavi, et non erat qui audiret.* Clarius adhuc in rem nostram loquitur Regius Propheta (Ps. LXVIII. 24. seq.): *Oscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper in-*

curva, effunde super eos iram tuam, et furor irae tuae comprehendat eos, fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet, quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt; et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. En vividis depictum coloribus praesentem Judaeorum statum. Causam si quaerant in promptu habent: quoniam persecuti sunt Messiam, quem ob scelus populi percussit Deus, atque ipsum subsannando super dolorem suorum vulnerum tristitiam, moeroremque addiderunt. Accedit his maximum apud Judaeos crimen fuisse idololatriam, ob quam vindicem Dei iram non raro experti sunt. Porro, quum ante civitatem aequatam solo, incensumque templum Deum unum colerent, colantque modo, si tantas tolerant, quantas nunquam experti sunt calamitates, alia subesse nequit ratio, quam quod Messiam despexerint, mortique tradiderint.

§. XII.

Orobii cavillationes.

Multa ad declinandam argumenti vim subtiliter excogitavit Hebraeus Orobius (*); nonnulla proferemus. Decem tribus, ait, in exilium translatae paternam haereditatem amplius consequutae non sunt; quamobrem, sicuti perpetui apud illos exilii, ita neque apud Judaeos causa esse potest occisio Messiae. Quid? quod Christiani sibimet contradicunt. Enim vero, quum expectamus Messiam Regem potentem, qui devictis nostris hostibus bona cuncta nobis elargiatur, nos esse populum carnalem, ajunt, solis fluxis hujus vitae commodis inhiantem. Econtra, ut ex captivitate praesenti adversus nos argumentum petant, ad bona temporalia nos revocant, dicuntque nos Regno carere, fertilique terra.

§. XIII.

Refutantur.

Verumtamen tanta in his non adest, quanta apparet prima fronte, difficultas. Etenim decem tri-

(*) Hujus argumenta videri possunt apud Philippum a Limborck Arminianum: *De veritate Religionis Christianae amica collatio cum Judaeo*; quo tamen in opere non pauca habet, quae reprehensionem merentur. Meliora profert auctor libri *L'incredulitè convaincue par les propheties*, tom. II. ch. X.

bus idolorum cultui addictae, commixtae nationibus, ad quas in servitutem deportatae fuerunt, harum leges, moresque sequutae peculiarem populum constituere desierunt. At alia est Judaeorum conditio; ipsi enim suas leges consuetudinesque adhuc retinent: cumque a perpetuo foedere de possidenda terra Chanaan, vel ob idololatriam, vel ob despectum Messiam (§. XI.) excidere potuerint, si unius Dei adhuc retinent cultum, suarum calamitatum causam in Messiam morti traditum refundere debent. Nulla pariter in Christianorum ratiocinatione apparet contradictio. Nam possessio terrae Chanaan, et hujus vitae commoda de ratione primi foederis erant (§. I.), ut evidenter lex ipsa vetus (Deuter. XI. 9. XXVIII. 1. et seq.) ostendit. Quamobrem Judaeis in cultu Mosaicae legis etiamnum persistentibus, si antiquum adhuc staret foedus, iis adhuc terrenis felicitatibus, quas juramento adpromisit Deus, frui deberent. Merito autem dicimus carnalem populum esse Judaicum, eo quod Messiam factu, et potentia ornatum exspectat, quum ipsius foedus in promissionibus spiritualibus sanciendum sit.

Scholion. Ex hac Judaeorum caecitate, dispersione, exilio addiscat quisque divina non abuti misericordia, ejusque timere justitiam. *Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei; in eos quidem, qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris. Rom. XI.* 22.

§. XIV.

Notionem, quam sibi praeformarunt Judaei de Messia Rege potentissimo, et strenuo belli Duce, maximam esse obdurationis caecitatisque causam vidimus (§. VIII. XII.). At vero, ut solent, hallucinantur. Sacri Vates Messiae Regnum absque divitiarum splendore, mediisque humanis haud instructum praenuntiarunt. Magnam quidem Zacharias videt (Cap. IX.) ejus potestatem; cernit, quod dominabitur a mari usque ad mare, a fluminibus usque ad fines terrae, at Regem hunc pauperem absque equis et quadrigis eodem in loco denuntiat; hinc Regnum ejus non aliorum ad instar Regum, **Regnum Messiae, quale?**

sed aeternum saepe dicitur in sacris litteris (II. Regum VII. 3. Is. 9. 7. XLII. 2. 3. Daniel XII.). Regnum insuper super hominum voluntates, et corda, Regnum gratiae, et sanctitatis vocatur (Is. LXI. 1. 2. 3.): quo fit, ut ejus dominium internum esse debeat, et invisibile, cujus novae Jerusalem aedificio sat clarum exemplum praebet Isaias (Is. LIV. 11. seq.). Incassum Judaei Messiam exspectant Ducem praestantissimum, qui vi, armisque alienas debellet nationes: nam regnum ejus pacificum erit, et absque externis victoriis (1. Paralip. XXII. 9. Is. IX. 6. 7. Zach. X. 10. Is. XLII. 6. XLIX. 6.); ipsius arma sunt veritas, mansuetudo, justitia (Ps. XLIV. Is. XI. 5.), atque Judam salvandum quidem a Domino Deo suo, sed *non in arcu et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus* Oseas affirmat (c. I. 7.). Tandem Regnum perfectum erit; sed quando Messias in sua gloria fuerit a dextris Dei constitutus (Psal. CIX. 1.), quo tempore, ut ait David, Reges ipsi servient, et omnes, qui eum spreverunt, in die irae suae peribunt (Ps. II. 9.). Quapropter in densis tenebris versantur Judaei, quum Messiae Regnum Principum terrae ad instar confingunt (*).

§. XV.

V. Ex gentium ad Deum conversione.

Aperiat oculos dispersa undique Judaica Natio, et videat gentes abjectis idolis suis ad verum Dei cultum fuisse conversas: sacros evolvat codices, perspicietque optatum hunc exitum Messiae temporibus reservatum fuisse. Isaias Divino repletus spiritu inquit: *In illa die projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui, quae fecerat sibi ut adoraret* (II. 20. Confer Tobiae XIV. 8.). Tum Messiam cum Gentibus sanciturum foedus, iisque legem daturum his verbis enuntiat: *Ecce*, inquit, *servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum super illum, judicium gentibus proferet . . . . dedi te in faedus populi, in lucem gentium* (Isa. XLII.

(*) Conferas Duguet *principes de la foy* etc. tom. 1. ch. XX. excellenter hac de re disserentem.

1. 4. 6.) : quod non minori claritate praedicunt Oseas, Regiusque Propheta (Os. I. 9. 10. II. 24. Ps. XVII. 44. LXXI. 2.), immo in eo omnes nationes terrae fuisse benedicendas (§. L. IV.) evicimus.

Scholion. Leve infirmumque est, ajunt Judaeorum Doctores, allatum argumentum; omnium enim omnino gentium, quod nondum contigit, conversionem Prophetae annuntiant. *Dominabitur*, inquit David, *a mari usque ad mare, a flumine usque ad terminos orbis terrarum* (Ps. 71.) : Daniel vero VII. 14. : *Et omnes populi, et Tribus, et linguae ipsi servient.* At miror, cur ii non advertant, phrases illas, *omnes populi, universus orbis*, secundum Scripturae consuetudinem in rigore metaphysico haud esse accipiendas. De Nabuchodonosor Jerem. XXXIV. 1. legimus, imperasse *universis regnis terrae*. Dan. III. 7. omnes populos, tribus, et linguas adorasse auream ejusdem Principis statuam. De regno tertio, sive Alexandri Magni, quod imperabit universae terrae, Daniel. II. 39. De quarto regno, sive Romanorum, quod devorabit universam terram, Daniel. VII. 23. Eccur itaque dici non poterit omnes tribus, et nationes servire Messiae, quum ejus Religio non tantum per Europam, Asiam, et Africam diffusa fuerit, sed ipsam etiam penetraverit Americam? Quamquam ante mundi finem eveniet, ut nulla sit natio, ad quam Christi fides non perveniet. Confer Augustinum contra Gaudentium Lib. II. c. V. Enar. in Psal. 117. n. 19.

Magno indubie per Messiae adventum nos, qui in Polytheismi versabamur tenebris, beneficio affecti sumus : at sedulo caveat quisque, ne inani, quae rejicit quod clare non percipit, abripi sinatur Philosophia. Recogitet haec Pauli ad Rom. VI. 20. 21. *Tu autem fide sta: noli altum sapere, sed time : si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* V. Bossuet discours sur l'histoir. univ. par. II. ch. XX. et Duguet explicat. de l'epitre aux Romains.

CAPUT II.

De Jesu Nazareno Messia in lege promisso.

§. XVI.

Jesus Nazarenus est Messias ex Prophetiis.

Messiam lege promissum advenisse confectum ivimus; atque si praeclarissimos, quibus Divina providentia eum per Prophetas insignitum voluit, characteres attenta mente perlustremus, hos in Jesu Nazareno, qui regnante in Judaea Herode magno sub Augusti imperio lucem aspexit, plane adimpletos fuisse luce meridiana clarius apparebit.

Scholion. De anno Dominicae Nativitatis variant quam plurimum Eruditorum sententiae. Norisius in Cenotaphiis Pisanis dissert. II. Usserius, Capellus, Basnagius aliique natale Christi ann. Urbis conditae 749. quatuor integris annis ante aeram vulgarem consignant; anno verro praecedenti uterque Pagius, Emmanuel a Scheelstrate, Franciscus Blanchinius, aliique, quas sententias prae ceteris probabiliores semper judicavi. At eruditissimus Dominicus Magnan Ordinis Minimorum novam plane viam ingressus est in libro, cui titulus: *Problema de anno Nativitatis Christi, ubi occasionem offerente vetere Herodis Antipae nummo in nummophylacio Clementis XIV. P. O. Max. asservato demonstratur Christum natum esse anno VIII. ante aeram vulgarem contra veteres omnes, et recentiores Chronologos.* Verum cum scriptor praeclarissimus Christum toto orbe in pace composito natum agnoscat, optassem, ut qui Eminentissimum Norisium saepe hallucinatum cum caeteris praestantissimis Chronologis contendit, ejusdem solvisset argumenta, quibus Cenot. Pisan. diss. 2. cap. X. demonstrat ab anno U. C. 744. usque ad 748. bella in orbe Romano fuisse continua.

§. XVII.

In ejus Nativitate adimpletis.

Hae sunt praenuntiatae a sacris Vatibus circumstantiae, quas in Messiae ortu invenire oportebat, quod natus sit in Bethlehem, e Virgine, atque ex

Regia Davidis stirpe (§. III. et I.). Quae in Jesu Nazareno adimpleta fuisse Evangelica historia perspicue nos edocet. Nam in Bethlehem lucem aspexisse testis est disertissimus S. Matthaeus (II. 1.). Verum, quum aeternam simul Messiae generationem Michaeas Propheta enuntiet, fit, ut hoc vaticinium soli competere queat Jesu Nazareno, ob ejus jam (I. Parte) demonstratam naturam Divinam. Porro non more consueto, sed Spiritus sancti virtute e Virgine Maria fuisse conceptum fidem faciunt amplissimam Matthaeus, et Lucas (I. 18. I. 34. 35.), qui datis genealogiis eum quoque e Davidis familia fuisse prognatum (Matth. I. Lucae III.) luce meridiana clarius evincunt.

Scholion. Negant praefracte Judaei, ab Isaia praedictum fuisse Messiam e Virgine nasciturum: imperite tamen. Enimvero pertimescente Achaz Rege Juda, ne a Syriae, et Israelis Regibus, qui adversus eum pugnaturi venerant, tota ejus progenies deleretur; misit Deus Isaiam, ut de futura Regni liberatione certiorem eum redderet, promisso signo sive in coeli excelsum, sive in terrae profundum; quod cum recusasset Achaz, sermonem ad domum David convertens propheta dixit: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo* (העלמה 70. *Interpretes* ἡ παρθένος) *concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Jam vero, dicant Judaei, signum ne esset cum iis sublimioribus comparandum, quae vel in coelo, aut in terra fieri possunt, Virginem, si nubat parere filium? Emphasis etiam, quae tam in hebraico, quam in graeco occurrit, peculiarem denotat Virginem, quae cum matris honore virginalem candorem servet; nec de Achazi filio, aut quocunque alio Prophetam loqui, compertum est, eo quod soli Messiae convenire potest, quod sit Emmanuel, sive Deus nobiscum, *Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis* (*Isai. IX.* 6.). Confer Bossuet *explication de la Prophetie d' Isaie*, Houtteville *de la Religion chretienne demontrèe par les faits* Tom. 3. c. 6. et dissertationes a protestantibus adornatas Tom. I. Thesauri Theologico-Philologici in hunc Isaiae locum.

§. XVIII.

Eo quod habuit Praecursorem.

Ex praedictis Messiae characteribus alter erat, aliquem habiturum, qui eum prius annuntiaret populo, ipsique viam praepararet (Mal. III. 1.). Quis vero in Joanne Baptista, qui viam Domini praeparavit (Matth. III. 3. Marci I. 7.) Jesu non videt praecursorem? Tantus autem fuit in ipso morum candor, tanta innocentia, ut Malachias eum nuncupaverit Angelum (Mal. cit. loc.); immo eo quod spiritum habuit, et Eliae virtutem (Luc. I. 17.) (*) Elias etiam ab ipso Christo nuncupatus fuit (Matt. IX. 14. et XVII. 12. 13.); nec praeter sacri codicis consuetudinem est, unum alterius vocare nomine. Nam Judaeorum fatentur Doctores, Messiam non raro in sacris litteris Regem Davidem nuncupari.

§. XIX.

Ex reliquis Messiae characteribus in ipso adimpletis.

Quo magis Prophetarum oracula de Messia venturo serio perpendimus, eo magis percipimus in Jesu Nazareno perfecte planeque adimpleta fuisse. Praenuntiatum fuit, Messiam futurum gloria miraculorum insignem, Pontificem summum non ex stirpe Levi, sed ex ordine Melchisedech, abrogaturum Legis Mosaicae sacrificia (§. III.); nihilominus pauperem esse, triginta argenteis venditum, virum dolorum, propter iniquitates nostras vulneratum, et attritum, cum scelestis reputatum, atque cum ignominia, et opprobriis discessurum e vita. Attamen praevisum non minus fuit eum resurrecturum e mortuis, et immortali circumdatum gloria ascensurum in coelum (§. IV.): quos eventus omnes Jesum Nazarenum respexisse ex Evangelica historia veluti manu palpamus. Celeberrima miracula patrasse ex Matthaeo apparet (XI. 5.); nec diffiteri ausi sunt Christiani nominis hostes infensissimi Celsus, Porphyrius, Julianus: cultum veteris legis ceremonialem abrogasse tot saeculorum experientia demonstrat; pauperem fuisse, nec ubi reclinaret caput habuisse,

---

(*) Elias ipse secundi adventus Christi futurus est praecursor, atque ad hunc referri possunt verba *Mal.* IV. 5.

Matthaeus tradit (VIII. 20.) ; tum Judas triginta argenteis eum vendidit (Matth. XXII. 3.), contumelias , irrisiones , flagella , probrosam inter scelestos latrones crucis mortem, resurrectionem, ascensionem in coelos Evangelistae certatim narrant. Quid plura ? Ipse apparuit stante secundo templo , computatisque a decreto de restauranda civitate Jerusalem LXX. Danielis hebdomadibus, in medio septuagesimae occisus fuit , atque paulo post sceptrum penitus e tribu Juda ablatum fuit, Judaei in sempiternam captivitatem abducti sunt , gentesque abjectis idolis suis Deum unum colunt , et Messiam venerantur , quos fuisse certos adventus Messiae caracteres (§. X. VII. V. VI. XX.) uberius demonstravimus (*).

Scholion. Salutem ex cruce sibi partam Christiani gloriantur ; at Messias cruci affixus Judaeis scandalo est , hinc praeclarum de Christo *Ps*. XXI. 7. vaticinium : *Foderunt manus meas , et pedes meos*, in alienum sensum detorquent. In recentioribus enim Hebraeorum Codicibus legimus non Karu *foderunt* , sed Kaari *sicut Leo*. Retinendam tamen lectionem Karu *foderunt* ex vetusta LXX. interpretum versione apparet , in qua legimus ὤρυξαν , *foederunt* ; tum quod S. Justinus eo utatur testimonio adversus Tryphonem Judaeum , atque Karu invenerit in manuscriptis hebraeis S. Hieronymus : nec difficultas manebit ulla , si juxta critices regulas alia conferamus de Messiae perpessionibus vaticinia. Vide *Isa*. LIII., et *Zach*. XIII. 6.

§. XX.

Incredulorum difficultas enodatur.

Hebraei , ajunt incredulorum non pauci , tempore Jesu Nazareni Messiam expectabant , Prophetarum legebant oracula , et intelligebant ; ipsorum enim lingua conscripta erant ; ipsi oculati testes erant eorum omnium, quae Jesus efficiebat , atque percipere facile poterant , an Prophetiae in eo fuissent adimpletae ; sed tantum abest , ut ipsi praestiterint

(*) Confer Petrum Danielem Huetium *Demonst. Evangel*. prop. IX. *Pensées* de M. Paschal §. XV.

fidem, quin potius morti damnarunt. Quamobrem a nobis petat nemo, ut ipsum veluti a Deo missum veneremur. Haec, quae prima fronte gravis videtur difficultas, corruit penitus, si animadvertamus, Judaeos Romanorum potentia pressos, ideam Messiae Regis potentissimi sibi praeformasse, qui nedum ab hostium jugo eos criperet, verum etiam divitiis, honoribus, gloria cumularet, qua in re misere decepti sunt, quum diversi generis Messiae Regnum a Prophetis fuerit annuntiatum (§. XIV.). Nec juvat, Judaeos vaticiniorum interpretes, et custodes Jesum Nazarenum tradidisse morti. Nam portentosam hujus nationis caecitatem, cordisque duritiem sacri Vates praesenserunt, et praemonstrarunt (§. XI.): quapropter Judaeorum incredulitas tantum abest, ut veritati Religionis nostrae noceat, quin plurimum prodest (*).

Scholion. Auctor impii opusculi *l'examen de la Religion*, quod Saint Evremodio tribuitur, adducto utitur argumento ch. VII. *des Prophetes*, *et des Propheties* §. 2.; quo etiam in loco subdit, Ecclesiam, quod magis placet, prophetiis addere. Hujus assertionis rationem inde petit, quod David scripserit: *Dominus regnavit, decorem induit*, et addiderit Ecclesia, *Dominus regnavit a ligno*, quae verba nulla plane in versione occurrunt. Hallucinatur: quandoquidem illa verba in antiqua occurrunt versione Itala, cujus frequentissimus in Ecclesia Latina fuit usus. Errat, quum citat *Ps*. XCII. nam in *Psalmo* XCV. reperitur: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit a ligno*. Hanc Psalmorum versionem publici juris fecit P. Sabatier usus codice S. Germani Parisiensis Episcopi *Biblior. Sacror. Latinae versionis antiquae*, seu *vetus Italica*. Tom. II. p. 1. Ex Bibliothecae Veronensis pluteis manuscriptum psalterium eruit Eruditissimus Blanchinius in duabus columnis scriptum, quarum una graecam, altera versionem antiquam Italam exhibet; in prima legimus ἀπὸ ξύλε, in altera a ligno. Immo

(*) Confer Houtteville lib. III. diss. II. et seq. Bossuet *discours sur l'hist. univ.* ch. XXI. Duguet tom. I. ch. XVII. art. 2. Paschal §. XVI.

contendit vir clarissimus graecam Psalmorum lectionem eandem omnino esse, quam LXX. interpretes ex Hebraeo fonte transtulerunt, ex quo Judaeorum fraude et malitia expuncta fuerint. An res veritati nitatur, alii viderint. Vide P. Valsecchi *de fundamentis Religionis* lib. II. cap. XVII.

§. XXI.

Ex Flavii Josephi testimonio.

Recte, sapienterque dixit S. Jo. Chrysostomus (*Hom. 57. in Genesim*) : *Omnipotentis sapientiae Dei opus esse, ut inimici veritatis fiant ipsi testes veritatis.* Exemplum habemus in Flavio Josepho, qui a nostra licet Religione alienus, illustre tamen dedit Christo Domino testimonium (Lib. XVIII. Antiq. cap. 3.). *Eo etiam tempore*, inquit, *fuit Jesus vir sapiens, si tamen eum virum appellare fas est; fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui verum cum voluptate accipiunt, multosque Judaeos, multosque etiam gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus, quem cum Pilatus ab hominum nostrorum primis delatum crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primum amaverunt. Apparuit enim eis tertia die redivivus, Divinis Vatibus et haec, et mille alia de eo miranda effatis: atque ab eo denominata Christianorum natio durat usque ad hanc diem.*

§. XXII.

Quod authenticum est.

Quod praeclarum Josephi testimonium authenticum, et genuinum esse, codicum antiquissimorum, et illustrium consensus scriptorum, quorum peritia, et probitas perspecta nobis est, ostendunt; quibus si assentiri nolueris, historica fides omnis corruet. Jam vero Eusebius Caesariensis, qui data a Constantino potestate pervetustas Bibliothecas summa diligentia lustravit, illud produxit ad annum 324. (Lib. 1. *Hist. Eccles.* c. X.). Unde verosimile est, vel ipsum Josephi autographum, vel aliquod saltem ex primo exaratum exemplar perlegisse. Omnium vero mortalium impudentissimus ipse fuisset, si, ut nonnulli perperam contendunt, fraude insignem hunc locum supposuisset; nam se adversariorum exposuisset cachinnis in suo Demonstrationis Evangelicae opere adversus Judaeos illum afferendo,

prodidissetque, quam defendebat Christianorum causam. At non ipse solus, sed alii proferunt celeberrimi viri, S. Hieronymus (*De scriptoribus Ecclesiasticis*), Ruffinus (*In versione Eusebii*), Hegesippus (*), Sozomenus (Lib. I. *Hist. Eccles.*), Nicephorus (*Hist. Eccles.* lib. I. c. 39.), Suidas (*In voce Joseph*). Porro, si quis perpendat, gentiles ipsos, Suetonium, Tacitum, Plinium, aliosque de Christo fecisse mentionem, persuadere sibi nunquam poterit, Josephum magni nominis historicum nil plane scripsisse de Christo, cujus nomen erat suo tempore celeberrimum.

§. XXIII.

Quorumdam Criticorum adversus hoc testimonium rationes.

Severiores, quam par erat, nonnulli Critici (**) saeculo primum XVI. hujus testimonii authentiam elevare conati sunt, quorum praecipuae rationes sunt: I. Judaeum hominem haud potuisse scribere: *Si tamen virum illum oportet dicere*; quae Christi innuunt Divinitatem. II. Nec haec verba proferre: *Hic erat Christus.* III. Minus quod resurrexerit, et in eo impleta fuerint Prophetarum vaticinia. IV. Josephum oracula de Messia attribuisse Vespasiano.

§. XXIV.

Non magni ponderis sunt.

Attamen inspecta familiari hujus scriptoris loquendi consuetudine, haec solvuntur facile. Enimvero de Moyse Josephus scripsit (Lib. III. Antiquit. XV. n. 3.) eum supra hominum sortem existimatum fuisse; nec tamen Deum esse credidit; quo fit, ut nec verba illa, *si virum oportet dicere*, quae in gratiam miraculorum Christi protulit, aeternam ejusdem innuant generationem. Difficultas altera evanescit, si in Josephi textu intelligatur vox λεγομενος *qui dicebatur*; quod ipsius menti consonum est; cum alibi scribat (Lib. XX. c. VIII.), *Jesus, qui dictus est Christus.* Pilatus etiam supra Domi-

(*) Lib. 2. *de Excidio Judaeorum*, quod tamen opus in fide codicis Cantabrigensis Ambrosio adscribit Cl. Daubuzius.

(**) Hubertus Gifanius, et Lucas Osiander: hos secuti sunt Tanaquillus Faber, Salmasius, Blondellus, aliique.

ni crucem hanc posuit Epigraphen : *Hic est Jesus Rex Judaeorum* , quin ipsum Regem crediderit. Christi resurrectionem, et miranda, quae de eo recenserunt prophetae , in aliorum potius , quam in propria sententia retulit ; inquit enim : *Apparuit eis* ; quasi diceret , discipuli ejus tertia die redivivum apparuisse affirmant, et in eo completa fuisse Prophetarum oracula. Assentationis autem gratia Vespasianum nuncupavit Messiam : neque enim vir suarum legum peritissimus ex Regis Davidis stirpe Messiam oriturum ignorare poterat.

Scholion. Isaac Vossius perpendens verba haec : *Si virum illum oportet dicere* , in nonnullis Latinis manuscriptis , et in uno VIII. saeculorum deesse , suspicatur assuta fuisse , atque ab aliquo Christiano in margine apposita, in textum inde ex ignorantia fuisse intrusa. Confer duos pro hujus testimonii authentia Cl. Daubuzii libros tom. II. Flavii Josephi editionis Havercampi, ubi etiam plures reperies illustrium virorum epistolas, qui *pro*, et *contra* hoc testimonium scripserunt; quae omnia, si legisset author operis *la raison par alphabet* , nec imbecilles , nec insolentes vocasset (art. *Christianisme*) Theologos illos, qui pro hujus testimonii authentia pugnant : at declamare facilius est.

CAPUT III.

De Catholica Incarnationis doctrina.

§. XXV.

In quo situm Incarnationis mysterium ?

Enunciant saepe sacrae litterae magnum orbis liberatorem, quem esse Jesum Nazarenum (§. XVII. XVIII. XIX.) clarissime ostendimus , futurum simul Dei filium (Ps. II. 7. XLV. 6. 8. , *ad Hebraeos* cap. I.) , Emmanuelem , Deum fortem , (§. III.) Jehova justitiam nostram (§. IX.) , ex quo consequitur Messiam praenuntiatum fuisse Deum, et hominem; quod esse haud potest, quin aeternus Dei filius naturam humanam uniret sibi, propriaque terminaret subsistentia. Quamobrem in vera propriaque, quam hypostaticam dicere solemus , naturae

divinae, et humanae unione Incarnationis consistit mysterium. Praeclare Baruch (III. 36. et seq.): *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum: hic adinvenit omnem viam disciplinae, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post haec in terris visus fuit, et cum hominibus conversatus.*

Scholion. Quantum dignitatis ob assumtam a Verbo naturam humanam nobis accreverit, nemo non videt. Hinc Augustinus *de Praedest. sanctorum* c. XV. merito ajebat: *Naturae humanae tanta et tam celsa, et summa subvectio est, ut quo attolleretur altius non haberet.* At, quam turpe, et indignum esset, eam velle vitiis deprimere, peccatorumque sordibus foedare! *Agnosce Christiane dignitatem tuam, et Divinae consors factus naturae noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.* Leo Magnus *Serm. I. Nativit.*

§. XXVI.

Non involvit repugnantiam. Incarnationis mysterium nil continet, quod cum sana ratione pugnet. Nam assumente Verbo nostram naturam, nec Divina in humanam, nec humana in Divinam conversa fuit; neque consequuta est naturarum confusio, et permixtio, multo minus aeternus Dei filius in corpore humano circumscriptus fuit, aut immutatus. Sacrarum litterarum, quam Ecclesia proponit, doctrina est, Verbum humanam induendo carnem non recessisse a Patre, nec desiisse, quod erat, esse; immensum adhuc, summa potentia praeditum, aeternum, perfectionem nullam deperdidisse, aut accepisse. Et revera, quod Divinum, illud quoque summum est, totum, infinitum, summoque, toto, ac infinito, nec dari, nec ab eo avelli potest perfectio. Quamobrem in hoc mysterio, humana quidem immutatur natura, quae perficitur, et completur, non autem Divina, quae ab unione non afficitur humanae naturae; nam unio non in natura fit, sed in persona, uti sapienter S. Thom. (Lib. IV. contra gentes cap. XLI.) ostendit.

Scholion. Saepe miratus sum confidentiam eorum, qui cum in ipsa natura cogantur plurima, quae

non percipiunt, admittere; in rebus tamen ad Religionem pertinentibus, quod ipsi haud intelligunt, erroneum, superstitiosum, absurdum esse clamant. Quasi vero Deus tantum id posset efficere, quod ipsorum arridet menti, aut in dispositionibus suis consiliarios eos adhibere debuisset. Dum loquitur Deus, sileat discatque homo, parva atomus cedat infinito. Vid. Leibnitium *discours de la conformité de la foy avec la raison*, Bayle reponse' aux *questions d' un Provincial* ch. CLXI., Huetium, *Alnetanae quaestiones de concordia rationis et fidei.*

§. XXVII.

Sed manifestandis Divinis attributis est consentaneum.

Quin imo tantum abest, ut mysterium hoc contradictionis involvat aliquid, ut etiam ad Divina attributa manifestanda longe fuerit opportunum. Summa in eo Dei bonitas splendet, quia, *in Christo ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit* (*). Justitia, quum hominis peccatum noluit impunitum dimittere, recepitque simul ab isto universi pacificatore condignam satisfactionem. Sapientia, quae ad hunc hominem Deum, veluti ad centrum suum omnium praecedentium saeculorum praeordinat seriem, omniumque futurorum continuationem ita connectit, ut quaecumque sive in coelo, sive in terra disponuntur, et fiunt, ad hunc magnum eventum habeant relationem. Providentia, qua collapsum humanum genus perdi non permisit. Summus erga creaturas amor, quum unigenitum Filium suum pro nostra salute dare voluit.

Scholion. Auctor opusculi *le Christianisme Devoilè* p. 96. ut mysterium hoc exponat derisioni, ait, secundam Trinitatis personam suae Divinitati

---

(*) *S. Leo Serm. IV. de Nativitate.* Paucis Gregorius Nyssenus, *in die natalis Domini: Ut bonus desertorem amavit: ut sapiens rationem invenit, qua servitute oppressum in libertatem vindicaret: ut justus in servitute contentum . . . non coegit, sed se ipsum pro illo, qui vinctus est, tradidit: ut potens non detentus est in inferno, nec caro ejus vidit corruptionem.*

renuntiando humanam carnem induisse; at quisquis fidei nostrae rudimenta novit, scit, Verbum mansisse semper verum Deum (§. praec.). Ejusdem frugis est, quod addit, notiones hasce absurdas de Deo homine facto, et ex Virgine nato, ab Ægyptiis, Graecis, et Indis acceptas fuisse. Verum nonne ipsemet saepe scribit, rudes, ignorantesque fuisse Christi discipulos; quomodo itaque fieri potest, ut apud Ægyptios, Graecos, et Indos eam hauserint doctrinam, quam nobis tradiderunt? Vid. Bergier *Apologie de la Religion* tom. I. ch. VII. §. 8. Fabulae autem sunt, quae de Diis e matre Virgine natis gentiles proposuerunt; hoc jam a secundo Ecclesiae saeculo confutavit S. Justinus Martyr in *apologia ad M. Antonium data*, et in *dialogo cum Tryphone.* Celebrem Osyridis ex Semele virgine nativitatem deridet Diodorus in *Ægyptiacis Lib. I.* Tum Jupiter modo Taurus, modo Draco, vel Aquila, vel salax hoedus procreasse filios gentiles scribunt, quod argumento est mulieres illas virgines haud permansisse. Placet mihi Eliae Schedii *de Diis Germanis* c. XIII. sententia, ex prisca fide de Messia ex Virgine orituro, et inter gentes propagata occasionem nactos fuisse gentiles, cur nonnullas matres, et virgines crederent. Confer Eruditissimum P. Georgi Augustinianum in *Alphabeto Tibetano* p. I. §. XXXVII. et seq.

§. XXVIII.

Et ex c. I. Ev. Joannis ostenditur.

Socini asseclae cuncta solo naturae lumine dimetientes, et quod clare non percipiunt, rejicientes, aeternam Verbi generationem denegant, nec ipsum verum Deum esse volunt, convelluntque Incarnationis mysterium. Verum horum errorem invicte Joannes refellit (*In Evang.* c. I. 1.). *In principio*, ait, *erat Verbum*, *et Verbum erat apud Deum*, *et Deus erat Verbum*: *hoc erat in principio apud Deum.* Quamobrem *in principio*, sive ante conditas creaturas Verbum jam erat; et cum neque locus, neque tempus, neque spatium esset: *Verbum erat apud Deum*: Patrem suum nempe, a quo ab aeterno genitum fuit (*): atque ne quis comminisci

(*) Unigenitus filius dicitur, qui est in sinu Patris v. 18.

possit, inferioris esse naturae, subdit dilectus Christi discipulus: *Et Deus erat Verbum*: nam Pater generando eamdem, ac indivisam ei communicavit naturam suam. Neve dubitationi relinqueret locum, Divinitatis attributum, Omnipotentiam ei attribuit: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est . . . . . mundus per ipsum factus est* (v. 3. et 10.). At *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (v. 14.); quo fit, ut humanam Dei filius assumpserit carnem, in quo mysterium Incarnationis (§. XXV.) repositum diximus.

Scholion. Scopum Evangelistae si consulas, Catholici dogmatis veritas magis innotescet; ipse rogatus ab Asiae Episcopis, ut Ebionis, et Cerinthi, qui Christum merum hominem esse spargebant in vulgus, nascentem errorem comprimeret, aeternam Verbi generationem exposuit, quemadmodum ex Irenaeo Lib. III. adversus Haereses cap. II. n. 1. Episanio haer. 79. innotescit: quo fit, ut: *In principio erat Verbum*, nequeat ad principium praedicationis Evangelicae, ut Sociniani contendunt, nisi temere detorqueri. Toto non minus tramite a veritate aberrant, contendentes verba haec: *Omnia per ipsum facta sunt: mundus per ipsum factus est*, ita intelligenda esse, ut mundus Christi doctrina, et exemplo fuerit renovatus. Nam graecus fons habet: *Omnia per ipsum facta sunt*, et sine *ipso factum, neque unum, quid factum est*: χαὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. Consonant Syrus, versio Persica, Æthiopica, Arabica. Quid? quod III. 13. Joannes Christo immensitatem, V. 21. omnipotentiam, VIII. 58. aeternitatem, X. 30. unitatem naturae cum Patre attribuit? Quibus ostensum est Christum verum Deum esse, nam de humana ejus natura litem nobis non intentant Sociniani. Confer etiam dissertationem Joann. Sauberti *de voce* λόγος ad Joan. I. v. 1. *Thes. Theol. Phil.*

§. XXIX.

Confectum ivimus Christum verum Deum esse, Deique filium, qui praefinitis temporibus carnem assumere dignatus est (§. praec.); hanc vero haud **Habuit Christus veram carnem.**

umbratilem fuisse, et apparentem, inde fit manifestum, quod sacrae litterae ubique depraedicent, cum crevisse, ambulasse, manducasse, bibisse, passum, mortuumque esse; cuncta haec quisquis consideret, verae carnis proprietates esse indubie pronuntiabit. At peremptorium est, quod Christus post resurrectionem suam discipulis phantasma esse credentibus reposuit (Lucae XXIV. 34. Confer Joan. epist. I. c. IV. 2. ad Hebr. II. 14. 17.): *Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum: palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet sicut me videtis habere.*

Scholion. Jam a primis Ecclesiae seculis non pauci inventi sunt, umbratile tantum corpus Christo attribuentes: hos Δοκήτας graeci vocant, Saturninus imprimis, seu ut aliis placet Saturnilus, Basilides, Julius Cassianus, Cerdo, Marcion, Manichaei, quorum impia placita confutarunt praeclarissimi Ecclesiae Patres, Ignatius Martyr *epist. ad Trallianos*, Irenaeus lib. V. *adversus haereses* XIV. n. 2. Tertullianus lib. *de carne Christi*, *de carnis resurrectione*, et lib. III. *adversus Marcionem*, Epiphanius *in Ancorato*, Ambrosius *expos. Evang. secundum Lucam* lib. 7. n. 120. et alii plures. Non parvam cum memoratis Haereticis affinitatem habent Quakeri, ii maxime, qui in America sunt, arbitrati, quae de Jesu Christo a sacris scriptoribus narrantur, non filii Dei humanam carnem induti, sed Christi interioris historiam esse poeticis involucris ornatam, ut inquit Mosheim in *Inst. Hist. Eccl.* saec. XVII. p. 2. c. XIV. §. IX.

§. XXX.

Acceptam ex Maria.

Quam Christus habuit carnem non e coelis attulit, nec superioribus formavit elementis, nec ex Maria, veluti aqua ex canali fluxit, quemadmodum veteribus, et posterioribus aetatis nonnullis haereticis visum fuit. Etenim Angelus Mariae dixit (Lucae I. 31. 33. Confer Paulum ad Gal. IV.): *Ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Filium autem concipere, et parere, quin Mater ei corpus ex suis visceribus subministret, fieri nullo modo potest. Christus ipse frequenter se

filium hominis appellat, atque ex Patriarcharum stirpe (§. I.) ortum suum trahere debebat; quod profecto non fuisset, si aliunde, quam ex Maria efformasset sibi corpus. Praeclare Irenaeus (Lib. III. *advers. haereses* c. XIII.): *Unum Jesum Christum Dominum nostrum, qui de semine David secundum eam generationem, quae est ex Maria.*

Scholion. Valentinus, Secundus ejus discipulus, Ptolomaeus hujus sectae Professor, Apelles, negabant Christum ex Maria sibi corpus sumsisse. De implexo Valentinianorum systemate consulas *dissertationes praevias in Irenaei libros*, dissert. I. Fleury *Hist. Eccl.* tom. I. lib. 3. Jo. Franciscum Buddeum *de Haeresi Valentiniana*. Menno Simonis nomen celebre apud Anabaptistas Christum ex Maria carnem accepisse ivit inficias, quam sententiam severiores ejus discipuli etiamnum retinent. Anabaptistas Monasterienses ei praelusisse scribit Jo. Fabricius Rolandus: *motus monasteriensis* Lib. X. v. 49. et seq. Confer Moshemium *saec.* XVI. *sect.* III. par. 2. c. III. §. VIII.

Ex Verbo homine facto addiscamus fastum superbiamque deponere, et consectari humilitatem, quae virtutis Christianae fundamentum est: hanc in praeceptis suis ignorarunt gentiles Philosophi; proindeque inflatos superbosque auditores suos reddebant. Unde sapienter Augustinus: *Via humilitatis aliunde non manat, a Christo venit. Enar.* II. in *Ps.* XXXI.

§. XXXI.

Habuit animam rationalem.

Unigenitus Dei filius, quemadmodum docent SS. Patres (Nazianzenus *Orat. LI.* Fulgentius lib. *ad Trasimundum*, Athanasius de *incarnatione*, Cyrillus Alexandrinus *de recta fide*) id e nostra natura assumere voluit, quod infirmum erat, et curatione indigebat. Porro non humanum corpus solum, sed animam praesertim, in qua inordinati affectus, et peccati macula resident, in damnationem incurrisse, ignorat nemo; quam ob causam hominis animam corpore praecellentiorem copulasse sibi dubium non est. Quid multa? Nonne Christus se hominem vocat (Joan. VIII. 40.)? at sine anima rationis participe hominis non datur natura; nonne ait

(Joan. X. 17.): *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam, nemo tollit eam a me?*

Scholion. Ariani animam a Christo sustulerunt passionis sensum Divinitati attribuentes, Athanasio teste lib. *de advent. Christi*: mirum tamen non est, haec effutivisse, cum Christum non agnoscerent verum Deum. Apollinaristae non minus Verbum loco animae in Christo fuisse blaterabant; animam postea agnoverunt, sed non ratione praeditam, quod Augustinus tract. 47. *in Joan.* n. 9. merito vocat *absurditatem, et insaniam non ferendam.* Auctor quidam anonymus, Socinianus tamen, in opere, cui titulus: *Dissertation Theologique, et critique sur l' ame de Jesus Christ*, 1739. opinatur animam Christi ante res a Deo conditas exstitisse tanquam excellentissimum Angelum; confutatus autem fuit a Jacobo Carpovio, et Laurentio Hagemanno.

§. XXXII.

Affectibus, et doloribus fuit obnoxius.

Hominem quemlibet ex suae naturae conditione affectibus; doloribusque obnoxium esse, res per se loquitur. Verumtamen, quum humanarum affectionum multae vel ex naturae vitio, vel ex prava voluntate descendant, atque nonnullae interdum nobis ita dominentur, ut vel invitos rapiant, has, uti Divina Majestate indignas Verbum humanam moderans naturam omnino rejecit. At affectus innoxios, naturaeque congenitos, doloresque Christum habuisse, luculentissime patet. Nam praevidens exterminium Jerusalem flevit (Lucae XIX.), post jejunium esuriit (Matth. IV. 2.), imminente passionis tempore, *Tristis facta est anima ejus usque ad mortem* (Matth. XXVI. 38.), *factus in agonia apparuit Angelus de coelo confortans eum* (Lucae XXII. 43.). Paulus inquit, debuisse Christum *per omnia fratribus similari, ut misericors fieret* (Ad Hebr. II. 17.); et Petrus affirmat pro nobis passum, *Relinquens exemplum, ut ejus sequamur vestigia* (I. Epist. II. 21.). Proh! quantum nos dedeceret Christi exemplum sequi nolle! verum maneat alta mente repositum, quod sumus haeredes Dei, cohaeredes Christi, ut ait Apostolus (Ad Rom. VIII. 17.); *si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

Scholion. Auctor de *l'examen de la Religion* ch. IV. §. VIII. ait: quum primum unita Verbo humanitas fuit, tenent Ecclesiae Patres Christum Jesum felicissimum fuisse, et quomodo itaque pati potuit? Et si passus non est, quomodo nos redemit? Non imus inficias ab initio suae conceptionis humanam Christi naturam intuitiva fruitam fuisse Dei visione, ex qua gaudium, et beatitudo resultat. Nihilominus, quum Verbum omnipotenti sua virtute humanam naturam regeret, mirum non est, in sua humanitate cohibuisse gaudium, locumque reliquisse doloribus, ut ex passione, et morte a servitute peccati redimeremur. Sapienter more suo Augustinus: *Ubi summa potestas est, ad voluntatis nutum tractatur infirmitas.* Tract. 49. in *Joan.* n. 18. De mente S. Hilarii confer doctissimos P. P. Benedictinos ex Congregatione S. Mauri in *praefatione ad S. Hilarium.*

§. XXXIII.

Duae erant in ipso impermixtae naturae.

Monophysitarum familia omnis ex principiis jam propositis confutatur. Enimvero Christus naturam divinam habet (§. XXV. et XXVIII.); veram assumsit carnem (§. XXIX.), et animam ratione praeditam (§. XXXI.), quibus hominis constituitur natura: unde apparet duas esse in Christo naturas. Neque confusionem quis somniet, aut commixtionem; utraque enim natura suis proprietatibus gaudet. Christus secundum naturam Divinam in sinu Patris est (Joan. I. 18.), immensus, aeternus, omnipotens, unum cum Patre (Schol. ad §. XXVIII.); quantum ad humanam affectibus, doloribusque obnoxius fuit (§. praec.); ubi autem confunduntur, et permiscentur naturae, fieri non potest, ut utriusque integrae maneant proprietates. Hallucinati non minus ii fuerunt, qui ex utraque natura unam ita efformatam volunt, quemadmodum ex anima, et corpore una coalescit humana; quandoquidem id absonum, absurdumque exsurgeret, quod sicuti ex anima, et corpore alterius speciei exoritur natura, ita ex divina, et humana tertii cujusdam generis natura constitueretur, quae nec Divina esset, nec humana, quod est adversus demonstrata.

Scholion. Eutiches unam dixit in Christo naturam, ejus vero sectatores non unam sententiam tenuerunt: quidam, sed obscuriores, naturam Divinam dixerunt in humanam fuisse immutatam; alii humanam a Divina fuisse absorptam, ut ex Theodoreto patet dial. *Inconfusus*, *et immutabilis*. Fuerunt, qui assererent utramque naturam confusam, et permixtam, quemadmodum evincitur ex Synodo VII. *Act. I.* Qui modo in Ægypto, Æthiopia, Syria, et Armenia reperiuntur Monophysitae ex Divina, et humana, sicuti ex anima, et corpore unam conflatam volunt. Vid. Jos. Sim. Assemani *Biblioth. orient. Vatic.* tom. II. Haud ignoro, non paucos ex Patribus mixtionis naturarum meminisse; attamen ampliori tantum significatione ad denotandam personae unitatem, eo vocabulo usi sunt; cum saepissime duas fateantur in Christo inconfusas, et impermixtas naturas. Confer adversus hanc haeresim Theodoreti dialogos, Epistolam S. Leonis ad Flavianum, acta concilii Chalcedonensis, Vigilii Tapsensis adversus Euthichen libros V., Opera Leontii, et S. Maximi.

§. XXXIV.

Duae voluntates, et operationes.

Quae naturae sunt ab iis, quae personae conveniunt, quisquis sedulo non secernit, is in graves errores, quum de Christo sermo instituitur, incidat necesse est. Hinc cum Damasceno (Lib. de *duabus voluntatibus* c. IX. §. 28. et 29.) observare opportunum est, vim, qua volumus, ipsumque velle generatim consideratum, sicuti agendi energiam, et actionem ipsam ad naturam pertinere; quod enim omnibus ejusdem speciei individuis pari ratione convenit, id natura est: verumtamen hoc vel illud, isto vel illo modo velle et operari in qualibet persona diversum est, proindeque id ad personam attinere est affirmandum. Atque cum duae sint in Christo inconfusae naturae, quarum utraque suis fruitur proprietatibus (§. praec.), harumque initium, et radix sit voluntas, et operatio, fit, ut duae fateri debeant in Christo voluntates, et operationes. Verum multo opus non est ratiocinio, cum ipsa loquantur Scripturarum oracula. *Pater*, inquit Christus Lucae (XXII. 42.), *si vis*, *transfer ca-*

licem istum a me, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat, ex quo loco duplicem agnoscendam voluntatem Augustinus demonstrat (*Contra Maximinum* lib. III. c. XX.): *Homine quippe non assumpto nullo modo Patri diceret unicum Verbum, non quod volo: numquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle, quam Pater.*

Scholion. Monothelitae, qui et Monergetae nuncupati sunt, duplicem in Christo denegabant voluntatem et operationem, quorum errores damnavit VI. oecumenica Synodus: de his plura Combefisius *in auctario novo Bibliothecae Patrum Graeco - Latinae Tom. II.* Advertendum tamen est I. etsi duae sint in Christo operationes, esse tamen unius ejusdemque operantis. II. Utramque naturam, ut ait Leo Magnus, agere cum alterius communione, quod suum est. III. In humana Christi natura a Verbo directa nullam vel minimam suspicari posse peccati umbram. IV. Triplicis generis operationes in Christo esse distinguendas; alias solius Divinitatis, ut creare; alias humanitatis, ut ambulare, comedere; tertias ex utraque dimanare natura, veluti sunt miracula. In actionibus superantibus humanas vires, Christum humana natura veluti instrumento usum fuisse, at cum instrumentum iners non sit, et inanime, sua etiam activitate pollebat. V. Verbum per humanam naturam ea tantum peregisse, quae ad Incarnationis mysterium pertinebant. VI. Operationes naturae humanae Christi nobiscum communes ob hypostaticae unionis dignitatem modo ac in nobis fieri solet, excellentiori fuisse peractas. Confer Petavium de Incarn. lib. VIII. c. XI. XII.

§. XXXV.

Humanam naturam non morali unione, sed vera, propria, substantiva aeternus Dei Filius copulavit sibi, ad jura sua attraxit, perfecit, complevit, propriaque hypostasi terminavit. Rem ita se habere evincunt sacrae litterae, in quibus unus Dominus Jesus Christus frequentissime praedicatur; unus autem non esset, si duae in ipso adinvenirentur personae. Apostolus vero ad Philippenses scribit (II. 6. seq.) eundem, qui in forma Dei erat aequalis Patri, formam servi assumpsisse, et factum obedien- **Una persona.**

tem usque ad mortem : at nonnisi ob personae unitatem dici potest Christum Deum esse et hominem, Patri aequalem, et ipsi obedientem. Patrum traditio exploratissima est, eamque adduxerunt Ephesini Patres (*Act. I. edit. Labbaei curante Coleti* pag. 1051. seq.) in Concilio oecumenico adversus Nestorium congregati. Quid ? quod salutis nostrae oeconomia funditus everteretur, si Christus esset homo, in quo Verbum tanquam in templo inhabitasset ; nam ipsius opera, quemadmodum justorum sunt, in quibus Deus inhabitat (Joann. XIV. 23.), finiti tantum meriti essent, nec ad redimendum humanum genus opportuna.

Scholion. Nestorius Constantinopolitanus Episcopus personam inter et naturam accurate non distinguens, sicut duas naturas, ita duas personas in Christo agnoscebat ; usus quidem fuit novantium more verbis nonnunquam in speciem Catholicis, qua de causa non paucis fucum fecit ; at ipsius et assecларum fraudes detexit apprime Synodus V. oecumenica *coll.* VIII *can.* IV. Erroris hujus propugnatores nostra etiam aetate multi sunt in Perside, Malabaria, Caschar aliisque Chatajae regionibus, de quibus De Guignes c. I. *Chorographiae*, Simon in *historia critica fidei*, *et Rituum Orientaliam*, Morinus in praef. ad *Ritum ordinationis Nestorianorum*. Liberius a S. Amore, sive Jo. Clericus *in Epistolis Theologicis* nullam admisit nisi consensus unionem.

§. XXXVI.

Unus filius. Quemadmodum verbum tum scriptum tum traditum unam depraedicat in Christo personam, ita et unum annuntiat filium. Nam Angelus (Lucae 1. 35.) Mariam alloquens, inquit : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* De aeterno autem Dei filio habere sermonem inde elucescit, quod a Matthaeo (1. 23.) filius iste vocetur *Emmanuel*, *nobiscum Deus* : itaque qui ex Virgine natus, ille idem Dei filius est ab aeterno genitus. Quam esse perpetuam Ecclesiae fidem ex symbolo Apostolico eruitur, ubi credendum proponitur : *Et in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum*,

qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Consonat omnino symbolum Nicaenum. Quam praeclare rem hanc Augustinus (*in Enchiridio* cap. XXXV.) explanat! *Unus Dei filius, idemque hominis filius, unus hominis filius, idemque Dei filius, non duo filii, Deus et homo; sed unus Dei filius, Deus sine initio, homo a certo initio Dominus noster Jesus Christus.*

Scholion. Brentius lib. *di Majestate hominis Christi* ajens Dei filium in filio hominis habitare, Christum in duos filios dispescit. Michael Servetus lib. 2. *de Trinitate* Christum filium hominis eundem esse negat, qui filius Dei in Scripturis dicitur. Duos etiam in Christo filios Harduinus et Berruyer invehere conati sunt, quos refutatos videas in *pastorali instructione* Episcopi Suessoniensis. Verum quidem est, Patres nonnunquam iis usos fuisse vocibus, quibus Nestoriani abutebantur, at alio longe sensu: naturam Christi humanam templum interdum vocarunt, sed nexu hypostatico unitum Verbo; dixerunt esse Dei instrumentum, quoniam ab ipso regebatur, et ipsi subdita erat. Christum etiam hominem Deiferum nuncuparunt, eo quod ipsi natura Divina vere proprieque uniebatur; legimus quoque affirmasse, Deum Verbum assumpsisse hominem, at propria subsistentia humanam Christi naturam caruisse saepissime affirmarunt.

§. XXXVII.

Incarnationis mysterium, ut convelleret Baelius (In diction. hist. et crit. voce Pyrrhon) vir subtilis acutusque, ajebat: ad constituendam hominis personam exigitur anima et corpus in individuo: atque si Christus animam habuit et corpus absque persona, nemo amplius certus erit, an ipse sit persona; tum ratio personae vel est humanae naturae essentialis, vel accidentalis; si primum, hominis personam Christus homo debuit habere: si alterum, quum accidentalia modis pluribus a Deo suppleri queant, nemo sciet amplius, an sit persona. **Baelius.**

§. XXXVIII.

Confutatur. No ibo inficias, animam et corpus, cum totum aliquod sunt, nec ad alterius jura transeunt, personam constituere; secus vero si ab infinitae virtutis persona compleantur terminenturque. Res haec est singularis, et sola nobis revelatione innotescit: quo fit, ut etsi Christus hominis careat persona, caeteri, qui corpus habent, et animam, se esse personas certissime sciant. Quantum ad alterum: affirmo, naturae nostrae essentiale esse, ut per modum accidentis non insit alteri, atque habeat, ut per se subsistere queat, non vero, ut reapse propria hypostasi terminetur. Porro quum anima et corpus in individuo per se debeant subsistere, nisi ab infinita persona ad suum jus attrahantur, atque homines caeteri perspectum habeant, se non habere Divinam naturam, compertum etiam ipsis erit se esse personas.

Scholion. Proprietates, quae in Substantia reperiuntur, triplicis generis esse noscimus. Primae sunt omnibus ejusdem speciei individuis communes, quas naturales merito dixeris. Aliae sunt, quibus individuum unum ab altero secernitur, quae in plurium accidentium congerie reponendae sunt. Postremas recte dixeris hypostaticas, quibus completa, veraque hypostasis constituitur. Habuit Christus naturales omnes proprietates nostras, easque quibus individua et singularis redditur natura ejus humana; postremis vero caruit, eo quod non propria, sed Verbi hypostasi subsistit. Nihilominus cum iste subsistendi modus perfectissimus sit, tantum abest, ut humana Christi natura perfectionis quidpiam deperdat, quin excellentiam longe majorem acquirat. Vid. Petavium de Incarn. Lib. V. C. VII. VIII.

§. XXXIX.

Nec ratione humanae naturae est filius adoptivus. Adoptionis hanc habemus notionem, ut qui alicui extraneus est, ille assumatur in filium, ex quo percipimus, personae jam pridem existentis rationem adoptioni necessariam esse. Compertum autem est, Verbum eodem prorsus tempore quo in utero Virginis efformata fuit humana natura, candem nexu

intimo et substantivo copulasse sibi, propriamque ei dedisse subsistentiam (§. XXXV.). Unde fit palam, humanam Christi naturam, quae nunquam per se substitit, nec Verbo extranea fuit, suscipiendae adoptioni haud fuisse idoneam. Praeterea nonne sacrae litterae unicum Dei filium, qui ex Virgine natus est, depraedicant (§. XXXVI.)? Nonne apertissime tradunt Christum secundum eam, qua videbatur, baptisma recipiebat, immo et tradebatur, naturam, dilectum propriumque fuisse Dei filium (Jo. IX. 36. Matt. III. 17. Ad Rom. VIII. 32.)? Commentum itaque est, Christum secundum naturam humanam posse nuncupari Filium Dei adoptivum.

Scholion. Felix Episcopus Orgelitanus, et Elipandus Toletanus Christum secundum humanam naturam adoptivum Dei filium vocandum esse dixerunt, quorum doctrina in synodo Francofordiensi proscripta fuit. Confer scripta Alcuini, Etherii, Paulini Aquilejensis, et Agobardi adversus Felicem et Elipandum, nec non Cardinalem d'Aguirre *in Concilia Hispaniarum*.

Christus, quem filium Dei naturalem vidimus, tantam contulit nobis virtute sua utilitatem, ut in filios Dei adoptaremur: *Accepistis*, ait Apostolus ad Rom. XIII. *spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater*. Proh quanta dignitas! Deum habere Patrem, Christum fratrem, Spiritus Sancti esse templum! fugiamus itaque mores inquinatos, turpesque, ne audire debeamus, quod Pharisaeis exprobrabat Christus: *Vos ex Patre Diabolo estis*. Reminiscamur cujus Patris simus filii, cujus capitis membra, cujus spiritus templum, curemusque illam imitari perfectionem, cujus exemplar Dei filius pro felicitate nostra se voluit exhibere.

§. XL.

B. Maria est Deipara.

Honorificum Deiparae nomen ab ipsa jam Apostolorum aetate obtinuit Maria (*), et merito. Nam

(*) Theodoretus lib. V. *haer. fab.* cap. XVIII. Deiparae nomen ex traditione Apostolica descendere affirmat.

generatio hypostasim veluti subsistentem terminum praecipue respicit; atque ut dici consuevit: terminus generationis est suppositum geniti. Porro quum in ea, quam Maria concepit, humana natura fuerit unica Dei Verbi hypostasis sive persona, unicus Dei filius, qui nec sub ratione humanitatis dici potest filius Dei adoptivus (§. praec.), manifestum fit, Mariam Dei genitricem vocandam esse. Quam veritatem Patres Ephesini adversus Nestorium, et Chalcedonenses (Act. V.) definiverunt. Haec perpetua fuit Patrum doctrina, Justini (In *dialogo cum Tryphone*), Irenaei (Lib. III. cap. 31.), Dionysii Alexandrini (*Epist. contra Paulum Samosatenum*), Origenis (teste Socrate lib. VII. cap. 32.), Athanasii (Epist. *ad Epict.*), Augustini (Lib. III. *contra Faustum* cap. 6.), aliorumque.

Scholion. Aut falluntur, aut decipere amant, qui dicunt, catholicum hoc dogma erroribus Gentilium, qui matres Diis suis attribuebant, esse consentaneum. Enimvero putabant Gentiles a matribus suis Deos existendi initium accepisse, nos vero propugnamus fieri non posse, ut Dei Verbi natura a Virgine initium sumat, nec sub ratione qua aeternum est, a matre gigni potuisse; tantum volumus Mariam nuncupandam esse Deiparam, eo quod Verbum propria hypostasi in ejus utero naturam humanam terminavit.

Maria a Christo in Joannis persona Christianis omnibus in Matrem data est. Quis vero eam non diligat, et honore prosequatur? *At ita vivas,* ajebat August. ep. 125. *ut illic, ubi ipsa est, esse merearis. Nam utique si amares, cum illa esse post mortem desiderares, quod profecto non eris, si qualis es* (peccator) *talis eris.*

§. XLI.

Et Virgo semper permansit.

Mundi liberatorem singulari prodigio e Matre Virgine nasciturum Isaias praenuntiavit (§. III. et Schol. ad XVII.), Messias vero Jesus Nazarenus est, ejusque Mater Maria, quam Spiritus Sancti virtute eum concepisse Evangelistae testantur (§. XVII.). Quapropter absque Virginitatis jactura filium suum

concepisse et peperisse dubio caret. Virginalem candorem perpetuo conservasse, etsi ex sacris libris probari clare nequeat, constans tamen edocet Ecclesiae traditio. Maria a Graecis ἡ παρθένος, a Latinis semper Virgo noncupatur. Concilium Chalcedonense, et quinta oecumenica Synodus eandem veritatem confirmarunt (*), atque quum primum nonnulli adversus perpetuam Mariae Virginitatem insurrexerunt, eos uti haereticos Ecclesia habuit, damnavitque.

Scholion. Notum est, ab Ecclesia haereticos judicatos fuisse non eos tantum, qui Jesum ex Josepho more communi genitum blaterabant (*Schol. ad* §. XXVIII.); verum etiam Apollinarem, Helvidium, Bonosum, nonnullosque alios, qui post Christi partum Mariam habuisse filios asserebant. Quem errorem *magnam insaniam* vocat Origenes, *sacrilegium* Ambrosius, Epiphanius *blasphemiam*. Helvidium autem data opera confutavit Hieronymus. Nec officit in Evangelio Christi fratres commemorari; qui enim propinqui sunt et consanguinei, Scripturarum consuetudine fratres vocantur. Gen. XIII. XXIX. et ad Rom. IX. Confer doctissimum Mabillonium saec. IV. Benedict. in *praefatione*, Nourri *appar. ad S. Clementem Alexandrinum*, Rivetum *apolog. pro Maria Virg.*

Mariae castitatem pro suo quisque statu conetur imitari: nihil sit in sermone turpe, nihil in gestu, et opere impudicum.

§. XLII.

Christus etiam ut homo adorandus.

Adorationis nomen, quamvis amplam habeat in sacris litteris significationem, proprie tamen cultum summum exhibitum Deo ob infinitam ejus excellentiam et supremum in res omnes dominium denotat. Cultus iste, qui et Latria dicitur, humanae Christi naturae, ob intimam, quam habet cum Verbo, cujus subsistit hypostasi, unionem convenit.

(*) In *Alloquutione ad Marcianum Augustum*, Synodus V. Mariae virginitatem *ante partum, in partu, et post partum interminabilem* dixit.

Nam sub ipsa humanae naturae ratione dici nequit Christus adoptivus filius (§. XXXIX.), sed naturalis; Filio autem Dei naturali, adorationem quis audeat denegare? Hinc Magi superno lumine collustrati Christum recenter natum procidentes adoraverunt (Matt. II. 11.). In nomine Jesu omne genuflectendum esse (ad Philipp. II. 10.), immo et Dei Filium ab Angelis adorandum esse secundum eam speciem, qua in orbem terrarum introductus fuit, Apostolus tradit (ad Hebr. I. 7,), quae de natura ejus humana intelligi debent: nam ut Deus est, immensitate sua omnia replet.

Scholion. Adoratio, quae a Graecis προσκύνησις dicitur, nonnunquam pro civili veneratione accipitur, quemadmodum Abraham filios Heth Gen. XXIII. 7. et Jacob Gen. XXXIII. Esau fratrem suum adorasse legimus; tum pro exhibito Angelis cultu Genes. XIX. 1. Josue V. 15., saepissime vero pro cultu summo soli Deo consentaneo. Hinc veri nominis adoratio non in signis externis quaerenda (si unicum excipias sacrificium), sed in actibus praesertim internis, quibus ob summam Dei majestatem ad eum, quantum possumus, venerandum toto cordis impetu ferimur.

§. XLIII.

Quod et traditio docet.

Perpetuae inhaerentes traditioni Patres Concilii Alexandrini definiverunt adversus Nestorium, uno honore venerandum *esse Emmanuelem, unamque glorificationem dependendam juxta quod Verbum caro facum est*, quibus similia habent Patres Concilii Ephesini, Chalcedonensis, et V. oecumenicae Synodi. Consonant Ambrosius de Spiritu sancto (Lib. III, c. XXII.) Augustinus in *Ps.* 97. Epiphanius in *Ancorato*, Athanasius in *epistola ad Adelphium.*

Scholion. Athanasii verba, quae in rem nostram egregia sunt, silentio praeterire nequeo. *Non enim*, ait, *creaturam adoramus: absit. In Ethnicos et Arianos istiusmodi delirium competit, sed Dominum rerum creatarum increatum Verbum Dei adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se sit pars rerum creatarum, attamen Dei corpus effecta est.*

Neque istiusmodi corpus seorsum discriminatim a Verbo adoratione prosequimur, neque Verbum adoraturi, Verbum a carne longe seponimus; sed cum sciamus, Verbum carnem esse factum, illud jam in carne situm Deum agnoscimus. Quis itaque tam vecors sit, ac Domino ita loquatur, absiste a corpore, ut te adorem? Aut quis ita impius est, ut cum Judaeis propter corpus dicat ei, cur tu, homo cum sis, Deum te facis? subditque leprosum, Dominum cum corpore adorasse. Simon Budneus, et Franciscus Davides, nonnullique alii e Socini secta Christum cultu nullo prosequendum dicebant, quam doctrinam ipse Faustus Socinus confutabat. Nihilominus ex his, quae Socinus in resp. ad Vojechum scripsit, ab hoc errore ipsummet non satis cavisse ostendit Mosheim *Instit. Hist. Eccl.* saec. 16. Sect. III. p. 2. c. IV. in Schol. ad §. XXIII.

An nos ad hanc summam Christi dignitatem serio recogitamus; an ipsum, ut par est, adoramus? inquirit ipse adoratores in spiritu et veritate: Debemus nempe tota mente, toto cordis nostri affectu, morumque integritate ipsum colere et venerari.

§. XLIV.

Idiomatum communicatio.

Ex admirabili utriusque naturae Divinae et humanae in unitatem personae nexu idiomatum communicatio exoritur, cujus definitionem hanc damus: *Praedicatio naturae divinae et humanae proprietatumque utriusque de se mutuo, earumve supposito facta in concreto.* Attributio haec, sive praedicatio in concreto fieri debet; non in abstracto, eo quod abstractum naturam denotat existentem praescindendo a supposito, cui idiomatum communicatio omnis innititur. Quam ob causam propter reciprocam utriusque naturae praedicationem dicere possumus: *Deus est homo*, *homo est Deus*: in his tamen enuntiationibus primario persona intelligitur, non natura: sensusque est eandem personam, quae hac voce Deus exprimitur, esse etiam hominem. Proprietates quoque naturae unius de alia enunciantur: unde affirmant Scripturae gloriae Dominum esse crucifixum (I. ad Cor. II. 8.), et filium hominis adhuc in terris existentem in coelis esse (Jo. III. 3.);

haec etiam naturarum proprietatumque attributio de supposito praedicatur: veluti *Christus est Deus*, *Christus est homo*. Cavendae tamen sunt enunciationes illae, ex quibus inferri posset hominis in Christo persona, sicuti *Christus est persona creata*, *est filius adoptivus*; quemadmodum et illae quibus haeretici ad errores suos promovendos abutuntur; unde non licet dicere: *Christus est creatura*, *est homo Dominicus*, *Deifer*, quas postremas phrases Augustinus (*Retract.* lib. I.) revocavit.

Scholion. Hanc idiomatum communicationem SS. PP. agnoverunt. Origenes *in ep. ad Rom.* Athanasius *de Salutari Christi adv.* Gregorius Nazianz. *Or.* 38. Cyrillus Alex. *adversus Nestorium*, Theodoretus dial. III. Augustinus *contra sermonem Arianorum* cap. 7. et 8. Praeclare Nyssenus *cont. Apollinar. Propter exactam assumptae carnis assumentisve Divinitatis unitatem nomina mutuo permutantur, ut quod humanum est Divino, quod Divinum humano nuncupetur.* Ex his percipies, errasse Nestorium, qui nullam veri propriique nominis admisit Idiomatum communicationem, tum Lutheranos illos, qui Ubiquistae nuncupantur, Omnipraesentiam, Omniscentiam, Omnipotentiam naturae humanae Christi vere et proprie, utque ajunt *formaliter*, communicata esse affirmantes. Budei argumenta proposui, et solvi de *Incarn.* lib. II. C. 13.

CAPUT IV.

De Christo Mediatore.

§. XLV.

Christi opera a baptismo.

Non multa de Christo usque ad annum aetatis trigesimum Evangelistae narrant; illud autem maximum ejusdem elogium, quod Mariae et Josepho vivebat subditus, suaeque vivendi ratione acceptus omnibus, amabilisque in dies reddebatur. (Lucae II. 51. 52.) Verum Joannes Baptista, qui ad praeparandas vias Domino missus fuerat, jam peccatores ad poenitentiam vocabat, tantamque apud populum vitae au-

steritate, et innocentia sibi famam conciliaverat, ut novum hunc Eliam esse Christum judicarent; sed ipsemet ostendebat illum, cui dignus non erat corrigiam calceamenti solvere (Joan. I. 27.). At Christus Dominus ad magnum missionis suae opus, etsi his non indigeret, baptismo, jejunio, precibus munire se voluit, coepitque ea revelare secreta, quae ab aeternitate in sinu Patris existens praenoverat; Apostolos vocat, Judaeam percurrit, et ubique locorum se ostendit beneficentissimum, aegrotos sanat, peccatores quaerit, redarguit vitia, virtutis ipse insigne exemplar, ad virtutem homines allicit, permovetque; miracula patrat maxima, haecque ipsa propria et connaturalis est efficacia: *ego novi*, inquit, *virtutem de me exisse* (Lucae VII. 46.). Missus praesertim pro ovibus perditis domus Israel, earum increpat duritiem cordis, et caecitatem, praedicitque Gentiles futuros fore Abrahae filios. (*Matth.* VIII. 11. 12. Confer Bossuet *discours sur l' Hist. univ.* p. II. ch. XIX. Fleury *moeurs des Chretiens* §§. II.).

Scholion. Ad initium usque Evangelicae praedicationis Christus in labore manuum vitam duxit, et omnino privatam. Nam fabrilem artem exercuisse patet ex Marci cap. VI. 3. *Nonne*, inquiunt Judaei, *hic est faber*? tum a praeclarissimis Ecclesiae Patribus, Augustino lib. II. *de consensu Evangelistarum* c. 42. Chrysostomo *hom.* 30. *in cap.* 13. *Matthaei*, Basilio *in asceticis*; atque his antiquior Justinus Martyr in *dialogo cum Tryphone* asserit lignariam artem tractasse, *quae aratra fabricatur, et juga*; hinc apparet ipsum Christum Dominum arti ad civilis Societatis commodum necessariae manum dare voluisse, ut addiscant Christiani, haud debere otiosam desidemque vitam ducere, sed pro communi bono cuilibet juxta statum suum esse adlaborandum. Unde ajebat Apostolus II. ad *Thessal.* III. 10. *Hoc denuntiamus vobis, quoniam si quis non vult operari nec manducet.* Facessant itaque quorumdam incredulorum dicteria, qui sanctissimam Religionem nostram Reipublicae noxiam impudenter affirmant.

§. XLVI.

Humilitas ejus et obedientia.

Vita omnis Christi humilitatis, et obedientiae insigne exemplar est; humili ipse loco natus, cum nec in diversorio haberet locum, reclinatus est in praesepio (Lucae II. 7.), per triginta annorum spatium in oratione, silentio, labore vixit. Quo tempore se manifestare mundo decreverat, omnium Dominus a servo baptismum accipere voluit; ipsius incessus, habitus, gestus suaves erant et demissi; quos elegit discipulos, eos non generis nobilitate, non divitiarum splendore, non scientiarum peritia celebres voluit; sed indoctos, pauperes, plebejos. Obedientia ejus supra quam dici potest, insignis erat. Josepho et Mariae subditus vixit (§. praec.), atque omnibus in operibus suis, quae placita erant Patri suo, faciebat semper (Joan. VIII. 29.), ejusque cibus erat, ut Patris sui exequeretur voluntatem (Joan. IV. 34.). Haec pulchre complexus est Apostolus ad Philippenses (III. 8.): *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.*

Scholion. Perperam ex hoc spontaneo demissionis statu contemnendi Christum ansam arripiunt cum Judaeis incredulorum non pauci. Nam ipsius splendor alterius ordinis erat: humilis quidem, patiens, obediens fuit; sed nulla peccati labe inquinatus erat, coram Deo sanctissimus, daemonibus terribilis, ipsiusque voci universa parebat natura. Per quatuor annorum millia eum praenuntiarunt Sacri Vates (§. I. II.), Lex Mosaica praefiguravit; votis ardentibus Patriarchae, probique viri exspectabant, atque gentiles post ipsius adventum eidem genua flectunt, adorantque. Quam magnus, quam splendidus et gloriosus est oculis mentis, qui sapientiam cernunt, et contemplantur! Confer Paschal *pensèes* §. XIV.

§. XLVII.

Passio et mors.

Peracto cum Apostolis postremo epulo in hortum Gethsemanis se contulit Jesus, revolvensque animo quam dira et immania pro humani generis salute deberet sufferre, commotus fuit vehementer, effluxitque ex ejus corpore sudor *sicut guttae sanguinis de-*

currentis in terram (Lucae XXII. 44.). In tantis constitutus angustiis orabat, sed Paternae voluntati omnino conformis erat. At vero a militum jam cohorte comprehenditur, a Juda traditur, vilique pretio divenditur; jam ad Annae et Caiphae hostium infensissimorum tribunal ducitur, tum ad Romanum Praesidem Pontium Pilatum, ubique derisus, contumeliis opprobriisque afflictus. Nihilominus sunt haec initia dolorum: graviora adhuc remanent: enimvero ad columnam ut vile mancipium alligatur, flagellis immanissime caeditur, spineam coronam milites capiti ejus infigunt, donantque arundine pro sceptro Regali. Judaeorum tamen furor, torrenti similis, eo magis augetur, ipsius mortem enixe petunt; Christi innocentiam Pilatus noscit, sed eorumdem petitioni cedit. Justus damnatus est, jam bajulat crucem suam, jam clavis configitur. Respicit ipse in Prophetarum vaticinia; quod reliquum erat, perficit, dixitque, *consummatum est.* Ad haec verba, ut sapienter Bossuetus (*Discours sur l'histoire univers.* II. part. ch. XIX.) ait, cuncta immutantur in orbe: lex cessat, figurae praetereunt, veteris legis Sacrificia perfectiori oblatione abolentur. Tandem Jesus emissa voce magna emisit spiritum. Natura commovetur omnis, sol obscuratur (Lucae XXIII. 45.), contremiscit terra, templi velum scinditur, aperiuntur sepulchra, nonnulli sancti viri e mortuis resurgunt (Matth. XXVII. 51. et seq.). Centurio, qui custodiebat Christum, eum vere Dei filium esse exclamat, et revertebantur spectatores percutientes pectora sua.

Scholion. O magnum, inauditumque divini amoris prodigium! Christus innocens, Rex Regum, Dominus Dominantium, tam dira, et truculenta pro nobis pati dignatus est. Quis se commoveri non sentiat, cujus cor durum licet et pertinax non emolliatur? Aspice homo Christi e cruce pendentis vulnera, pretiosi Sanguinis copiose fluentis rivum. Contemplare jam mortuum Dominum tuum, caput habet quasi ad te osculandum inclinatum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad complectendum, totum corpus dilaniatum ad te redimendum. *O anima*, dicam cum Augustino in *Ps.* 66. *redem-*

pta Sanguine Agni immaculati, attende quanti valeas!

§. XLVIII.

Ad quam subeundam liber fuit.

* Libertas, si eam generatim consideres, immunitatem dicit a quacunque necessitate; cumque haec duplicis sit generis, una externa, quae coactio vocatur, interna altera, quae naturalis est inclinatio ad bonum, et a malo quolibet aversio, duplex etiam libertas distinguitur cum a coactione, tum a simplici necessitate; haec indifferentiae, sive arbitrii dicitur; illa spontaneitatis, et lubentiae. At vero a coactione non tantum, sed quoque a necessitate liberum fuisse Christum Dominum, ipsemet fidem facit: *Ego*, inquit, *pono animam meam, ut iterum sumam eam, nemo tollit eam a me, sed ego pono a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam, hoc mandatum accepi a Patre meo* (Joan. X. 17. 18. Confer Matth. XXVI. 52. 54.) Porro ubi plena est agendi facultas, ibi nulla haberi potest necessitas. *Nam*, ut ait Augustinus (Lib. I. Retract. cap. XXII.), *cum potestas datur, non necessitas imponitur.* Ipsa non minus praecepti ratio secum fert libertatem; necessario enim agentibus praeceptum imponi nullum potest.

Scholion. Nodus tamen gravis est, et ad solvendum difficilis, quomodo Christus nulli obnoxius peccato, habensque a Patre de subeunda morte praeceptum, liber fuerit. Multas iniverunt Theologi vias; quam judico verisimiliorem, proferam. Ad libertatis essentiam pertinet agere vel non agere, non autem posse peccare, quod libertatis potius defectus est. Libertas autem considerari haud debet in iis, quae versantur circa finem; hanc ob causam circa bonum in communi, et Deum intuitive visum, nulla persistit arbitrii libertas; sed in mediis, quae ad finem tendunt, est reponenda. Haec vero duplici sub aspectu consideranda sunt, absolute, et in se; et quatenus aliqua praeordinatione sunt cum ultimo fine connexa. Porro ad libertatis naturam sufficit, ut media secundum se objectum sint indifferens voluntati nostrae, quamvis, uti dicunt ordinem ad ali-

quod divinum decretum praetermitti non possint. Quare Christus ad mortem subeundam liber fuit, quia media ad finis consequutionem tendentia erant Christi voluntati objectum indifferens; quamvis considerata, quatenus sub ratione praecepti in ultimum finem tendebant, non potuissent nisi violato ordine finis praetermitti, quod ad libertatis essentiam minime pertinet. Vid. S. Thomam 3. p. q. 47. art. 2. ad 2. Maussoliè *Divus Thomas sui interpres.*

§. XLIX.

Christus vere meruit.

Christum vere promeritum in suis operibus fuisse catholicae fidei dogma est. Enimvero non tantum habuit ornamenta gratiae adventitiae et habitualis, quae in hominibus caeteris requiruntur ad meritum; sed naturalis ipse Dei filius (§. XXXVI. XXXIX.) intrinseca, et substantiva Sanctitate exornatus fuit, unde Sanctus Sanctorum a Daniele (Dan. IX. 24.), sanctusque per excellentiam ab Angelo vocatur (Lucae I. 35.): ipse adhuc in statu viae constitutus, arbitrii libertate insignitus erat (§. praec.): nec Dei remunerantis promissio defuit, et praeordinatio. *Si posuerit*, legimus apud Isaiam (LIII. 10.), *pro peccato animam suam, videbit semen longinquum . . . pro eo quod laboravit anima ejus videbit et saturabitur*, atque, quas recensuimus, conditiones sunt ad meritum requisitae. Unde Ecclesia ad Deum Patrem semper fudit preces per Jesum Christum, cujus meritis veluti fundamento innititur.

Scholion. Catholicam de Christi meritis veritatem definiverunt Patres Tridentini Sess. V. *in decreto de peccato originali*, et Sess. VI. Can. X.

§. L.

Et quod?

Plura autem sunt, quae sibi, nobisque promeritus est; sibi gloriam corporis (Lucae XXIV. 26.), nominis sui exaltationem (Ad Philip. II. 9. 10.), atqui uti verus Deus ubique agnoscatur, venereturque (Apocal. V. 12:). Promeruit autem nobis cuncta Spiritualia bona; praedestinationem, nam *praedestinavit nos* (Deus) *in adoptionem filiorum per Jesum Christum* (ad Eph. I. 5.): vocatio-

nem: *Vocavit nos vocatione sua sancta . . . quae data est nobis in Christo Jesu* (I. ad Timoth. I. 9.); justificationem: *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato* (I. Joan. I. 7.): gratiarum dona, unde virtutem consectari, et vitia devitare queamus: *qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere* (Joan. XV. 5.): vitam insuper aeternam: *gratia autem Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro* (ad Rom. VI. 23.).

Scholion. Quam magna sunt beneficia, quae meritis suis Christus nobis comparavit! Verum alta mente retineamus, quod Paulus ad Hebr. V. 9. ait: *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.* Unde qui cupit meritorum Christi esse particeps, ipsius exemplum sequatur, servetque mandata. Christus autem Dominus corporis sui gloriam, et nominis exaltationem sua passione promeritus est. *Nonne*, inquit ipsemet Luc. XXIV. *oportuit haec pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Hinc percipies, caelestem beatitudinem non hujus vitae gaudiis et felicitatibus acquiri, sed poenitentia, angustiis, tribulationibus: *Id enim quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* II. ad Corinth. IV. 7.

§. LI.

Poenas nobis debitas sustinuit.

Nascimur omnes peccato infecti, natura sumus filii irae (ad Eph. II. 3.), ignorantiam experimur, et concupiscentiam inclinantem ad malum, jus perdidimus ad gratiam, et gloriam, imparesque redditi sumus, ut viribus nostris solveremus debitum, quod per peccata cum Divina justitia contraximus. Quamobrem promissus mundi liberator Christus animo libenti factus sponsor, et mediator noster, ut in viam salutis nos restitueret, poenas nostris peccatis debitas sustinere dignatus est. Quod summum, nec unquam satis commendandum beneficium Isaias luculenter praenuntiaverat (LIII.): *Vere*, inquit, *languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit*, (hebr. מכלם) *bajula-*

vit eos : Clarius adhuc LXX. interpretes οὗτος τας ἁμαρτίας ἡμων φέρει και περὶ ἡμων ὀδύναται, *ipse peccata nostra portat, et pro nobis dolet* : modo haud dissimili legit Arabs. Subdit Propheta: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras , attritus est propter scelera nostra , disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus . . . et posuit Dominus in eo* (heb. et occurrere fecit in eum) *iniquitates omnium nostrum . . . . propter scelus populi mei percussi eum.* Vaticinium pertinere ad Christum nec Socinus ipse negat, atque ad illud respexerat procul dubio Petrus scribens (I. Epist. II. 24. Confer. Joan. XI. 50. I. ad Corinth. c. V. 3.): *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum . . . cujus livore sanati estis.* Tenebras profecto in meridie quaerat oportet, quisquis non videt Christum Dominum loco et vice nostra poenas peccatis nostris debitas sustinuisse.

Scholion. Sociniani autumant, Christum novam vivendi rationem praestantiorem veteri promulgasse, passum, mortuumque, ut doctrinae, quam Dei legatus tradiderat, veritatem confirmaret; unde, quas ab impiis pertulit, has afflictiones, non poenas esse vocandas; ex quo consequitur, Christum poenas peccatis nostris debitas haud sustinuisse, nec vere proprieque nos redemisse. Nolunt quoque eum in terris sacerdotali munere functum fuisse; neque ejus morte Deum nobis placatum aut reconciliatum admittunt. Cujus erroris praeformator fuerat Abaelardus, uti ex S. Bernardo *Epist.* 190. *ad Innocentium* eruitur. Socinus ad eludendum, quod ex Isaia produximus, argumentum, affirmat legi apud *Matthaeum* VIII. 16. Christum aegrotorum sanasse morbos, ut adimpleretur, quod ab Isaia dictum fuerat: *Ipse infirmitates nostras accepit, et aegrotationes nostras portavit.* Unde concludit, quod sicuti Christus morbos sanando eos in se non transtulit, ita nec vere poenas peccatis nostris debitas portaverit. Attamen advertere debuisset Socinus duplicem sensum in sacris litteris non raro contineri, atque hanc ob causam prophetiae partem aliquam de corporis sanatione explanasse Matthaeum non

excludendo medelam animae, quam Christus poenas peccatis nostris debitas sustinendo nobis contulit. Porro corporis morbos in se haud transtulisse Christum, ipsae sacrae litterae evincunt; at poenas nostras vere portasse inde apparet, quod Dominus in eo omnium nostrum posuit iniquitates, pertulitque eas in corpore suo super lignum. De sensu Scripturarum duplici vide Duguet *regles pour l'intelligence des SS. Ecritures*, et Nic. le Gros *de Scripturae Sacrae sensu multiplici*.

§. LII.

Nos vere redemit soluto pretio.

Redemptio, a Graecis dicta ἀπολύτρωσις, est *liberatio alicujus ab incommodo*, λύτρῳ, *sive* pretio interveniente. A sermonis autem proprietate haud esse recedendum, nisi manifesta ratio subsit, Socinus ipse fatetur. Jam vero Apostolus ad Timotheum (Epist. I. cap. II. 6.) scribit, Christum esse Mediatorem: *Qui dedit semetipsum redemptionem* (ἀντίλυτρον) *pro omnibus*. Porro αντίλυτρον pretium est, quo captivi redimuntur ab hostibus, vel quum caput, vel vita redimitur vita. Matthaeus non minus asserit (XX. 28.), quod filius hominis venit: *dare animam suam redemptionem pro multis*, λύτρον ἀντί πολλῶν: quo in loco non tantum redemptionis, et pretii fit sermo; verum etiam occurrit particula ἀντί, quae ut exemplis plurimis ex Scriptura petitis ostendunt Grotius, et Hoornbeech (Grotius *de satisfactione* cap. IX. Hoornbeech tom. II. lib. III. c. I.) substitutionem, et commutationem significat. Itaque quum Christus mediator vice nostra se substituerit, pretiumque solverit, nos vere pretio soluto ab ipso redempti fuimus.

Scholion. Moysen, ajunt Sociniani, nuncupatum novimus λυτρωτήν *in actis Apostolorum* VII., quin ullum veri nominis pretium pro hebraeo populo persolverit; quidni idem de Christo dicamus? At multa obstant: Moyses nullum veri nominis pretium dedit, sola miraculorum virtute populum a Pharaonis jugo liberavit; unde metaphoricus redemptor dicendus est. Christum vero legimus pro nobis substitutum in poenam, pretium dedisse ingens, suam nempe propriam vitam; quo fit, ut veri Redemptoris ratio ei competat.

Grati itaque simus Redemptori nostro: dicam cum Augustino, *Expos. II.* in *Ps.* 18. *Christianus es, audi Dominum, filius es, audi Patrem.*

§. LIII.

Quod crucis sacrificio maxime fuit persolutum.

Sacrificium situm est in *oblatione externa facta Deo per immutationem alicujus rei sensibilis, et permanentis in signum supremi dominii ex legitima institutione.* Christum Sacerdotem fuisse excellentiorem iis, qui e tribu Levi erant (§: III.), evicimus. Semetipsum obtulit Deo per Spiritum Sanctum, ut Paulus in Epistola ad Hebraeos nos edocet (IX. 14.), suam autem in cruce vitam dando, rei sensibilis immutatio facta fuit, declaratumque simul dominium supremum Dei, quum ad salvandos homines Deo rebelles, Christus innocens occidi voluerit. Quamobrem verum fuit, quidquid Sociniani dicant, Christi e cruce pendentis sacrificium. Quam veritatem mire confirmat Paulus ad Ephesios scribens (V. 2.): *ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem* προσφοράν, *et hostiam* θυσίαν *Deo in odorem suavitatis.* Quis autem ignoret oblationem hostiae conjunctam verum cruentumque innuere, quale erat in lege veteri sacrificium? θυσίας enim a θύω *macto, sacrifico*, originem ducit. Jam vero per hoc sacrificium solutum fuisse divinae justitiae pretium dubitare non poterit, qui eumdem Apostolum ad Hebraeos (IX.) legerit. Vocatur ibi Christus Pontifex, qui non per sanguinem taurorum, vel hircorum, ut facere consueverant veteris legis Sacerdotes, *sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta aeterna redemptione inventa.* Uberius adhuc, et clarius S. Petrus (I. Epist. I. 18.): scientes, *quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis* ἐλυτρώθητε *de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati.*

Scholion. Christum in terris sacerdotis munere functum non fuisse evincere conantur Sociniani ex verbis Apostoli ad Hebraeos VIII. 4. *si ergo esset super terram, nec esset sacerdos; cum essent qui offerrent, secundum legem munera.* Quorum ver-

borum haec mihi plana videtur, et Socinianis adversa expositio. Apostolus, ut figuris veritatem respondere ostendat, Christi sacerdotium cum Levitico comparat, in quo Pontifex summus primo hostiam offerebat, tum una cum ejusdem sanguine semel in anno in sanctum sanctorum ingrediebatur. Quamobrem Christus duplici hoc munere functus fuit; semetipsum obtulit cruentam in ara crucis hostiam, tum in proprio sanguine coelum penetravit. Unde verba haec: *Si esset super terram, non esset sacerdos*, haud excludunt, sed crucis supponunt sacrificium, declarantque simul Christum non ex eo fuisse sacerdotum genere, qui alias offerunt victimas. Primam enim sacrificii partem morte sua complevit, alteram vero perfecit non amplius manens super terram, sed post gloriosam ejus in coelos ascensionem. Zegerus vero sic explanat: Si terrenus esset sacerdos, ut Aaron, non esset sacerdos, legalis nempe, quia e tribu Levi oriundus non erat. *Criticorum sacrorum*, *vol.* 7. Confer etiam Estium in hunc locum.

§. LIV.

Cujus virtute expiata sunt nostra delicta.

Summum est, quod ex Crucis sacrificio in nos derivavit beneficium, non enim solum originis peccatum expiatum fuit, sed alia cetera, quae hominis infirmitate, vel malitia patrata fuere. Nam, *non sicut per unum peccatum, ita et donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem* (Ad Rom. V. 16.). At audiamus jam Paulum ad Colossenses (II. 14.): *Delens* (Christus) *quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud Cruci*. Chirographum est propriae manus syngrapha, qua quis se declarat debitorem: porro si delevit in Cruce chirographum nostrum, per Crucis sacrificium, omnia plane delicta nostra fuisse expiata patet per se. Unde merito ait Apostolus (Ad Coloss. I. 20.) pacificata fuisse *per Sanguinem Crucis ejus, sive quae in coelis, sive quae in terris sunt*. Ignorat praeterea nemo, in veteri lege, pro expiandis delictis multa instituta fuisse sacrificia (Lev. V. XVII.): illa autem umbra erant et figura sacrificii Christi, qui *una oblatione consum-*

mavit in sempiternum sanctificatos (Ad Hebr. X. 14.) : quique *semel in consummatione saeculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit* (Ad Hebraeos IX. 26.).

Scholion. Chirographum, quod deletum fuit, legem Mosaicam esse, et praesertim ceremonialia praecepta, ex epistolae contextu ostendere Socinus conatur; proindeque de peccatorum expiatione perperam a nobis Apostolum explanari affirmat. Non ignoro inter ipsos Catholicos esse, qui Chirographum legem Mosaicam esse contendunt, quorum sententiam eo sensu amplectimur, quod, cum legem violassent Hebraei, obnoxii erant condemnationi, quam Christus sustulit affigendo Cruci decretum, quod erat nobis contrarium; cumque *chirographum decreti* graece dicatur, chirographum, τοῖς δόγμασιν, decretis; hinc intelligimus deletum chirographum, quod erat contrarium nobis, sive per decretum legis Mosaicae, sive per decretum cujuscumque divinae legis ab hominibus violatae. Unde Chrysostomus in hunc Apostoli locum inquit, Hom. 6. *Vides quantum posuerit studium, ut deleretur chirographum, utpote eramus omnes obnoxii peccato, et poenae, ipse penitus solvit peccatum, et poenam.* Confer Duguet *explication du mystere de la passion* part. II. ch. III.

§. LV.

Nosque Deo fuimus reconciliati.

Non alia profecto ex causa Deus infensus nobis erat, nisi quod in damnationis massam incidimus omnes, ejusque praecepta violando suam haud curavimus Majestatem, contraxeramusve debitum, ad quod solvendum eramus impares. At Christus poenas peccatis nostris debitas toleravit (§. LI.); solvit pro nobis pretium (§. LII.), atque per Crucis sacrificium, sive originis, sive actualia delicta nostra expiavit (§. praeced.); quo fit, ut causa divinae indignationis remota nos Deo reconciliatos fuisse profiteri quisque debeat. Hinc Christus a Joanne (I. Epist. II. 2.) dicitur *propitiatio* ἱλασμός pro peccatis nostris, *non pro nostris autem tantum, sed etiam totius mundi*; est autem ἱλασμός placatio, re-

conciliatio gratiae. Sed luce meridiana sunt clariora Apostoli ad Romanos verba (Ad Rom. V. 10. Confer ad Coloss. I. 19. seq. Ad Eph. II. 13. seq.): *Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii sui, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.*

Scholion. Temporis jacturam Sociniani faciunt ea congerentes Scripturarum testimonia, quibus asseritur Christum venisse in mundum ad praedicandum Evangelium, fudisse sanguinem suum, ut ejusdem veritatem confirmaret, mortuumque, ut vestigia ejus sequendo, aeternam adipiscamur felicitatem. Haec enim, et alia plura Christum effecisse, libenter damus. Nihilominus eum in finem quoque advenisse, ut Deo pro nobis satisfaceret, nos redimeret, deleret delicta nostra, nosque Deo reconciliaret, quae Sociniani inficias eunt, hucusque validissimis Scripturarum testimoniis ostendimus. Patrum testimonia congerere opus non est, quum eos sibi adversos esse Sociniani fateantur. Harduinus, et Berrujer adversus qualitates Christi Salvatoris, Pontificis, Mediatoris errores sparserunt, quos doctissime confutatos invenies ab Episcopo Suessionensi Fitziames sect. IV. Par. II. *suae Pastoralis Instructionis* adversus eosdem.

§. LVI.

Evremondii sophismata.

Religionis nostrae osor acerrimus Evremondius (*Examen de la Religion* ch. IV. §. 6.) adversus constituta dogmata haec in medium affert. I. Deus Filii sui mortem decernere non potuit, quin et decerneret Judaeorum, qui eum morti tradiderunt, peccatum. Quod felices sumus, ait, quum unius principii consequentias omnes cernere possumus! II. In Christianorum systemate non possumus non concipere Patrem coelestem, ut personam valde iracundam, filiumque e contra bona indole praeditum, qui omnia agit, ut ipsum pacificet. Id vero divina Majestate indignum est. III. Christiani suis obliviscuntur principiis, neque omnes cernunt eorumdem consequentias. Christus Jesus haud nos reconciliavit cum Patre, ut prima est Trinitatis persona, sed cum Deo, cum Mediator sit nos inter et Deum:

verum Christus Jesus Deus est, ut Pater; non potest itaque esse cum Deo Mediator, quoniam tunc esset cum semetipso Mediator.

§. LVII.

Iis deplorandis temporibus vivimus, ut qui in Christi Religione alti, educatique sunt, eam viribus omnibus absurdam, invisamque reddere studeant. Hujus furfuris Evremondius est, qui veluti de prostrato Christianismo triumphum canit. At perperam sibi plaudit. Et quantum ad primum. Eccur non advertit Deum omniscium esse, nihil ipsi praeterire, aut advenire, sed omnia habere penitus in sua aeternitate praesentia? Deus itaque pravum Judaeorum animum jam ab aeterno praenoverat, videratque, quod misso in mundum filio suo, eum odio habituri essent, necique traditurí; cumque ita sapiens sit, ut de malis bona facere sciat, praevisa usus est Judaeorum malitia, ut maximum inde eliceret bonum, redemptionem nempe humani generis. Quamobrem toto tramite a veritate Evremondius aberravit contendens non potuisse Deum Christi sponsoris nostri decernere mortem, quin Judaeorum decrevisset peccatum. In altera difficultate haud multum immorabor. Quid? ignoravitne prima fidei nostrae rudimenta? Nonne Joannes scribit (Jo. III. 16.): *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*? Annon Paulus Romanos alloquens (ad Rom. VII. 32.) ait: *Misit Deus Filium suum in mundum . . . . ut salvetur mundus per ipsum*? Quid itaque subtristis iracundiae in Patre, et bonae indolis in Filio somniat auctor iste? Fecisset satius, si perpendisset Redemptionis opus summum Trinitatis erga humanum genus amorem, et misericordiam ostendere, considerassetque diligenter, Deum invenisse medium sapientissimum conciliandi cum sua justitia misericordiam; quod praenuntiaverat Regius Propheta ajens: *Misericordia et veritas, obviaverunt sibi, justitia et pax osculatae sunt* (Ps. LXXXIV. 11.). Nec majoris roboris est postremum argumentum. Nam persona Verbi duplici respectu considerari potest, quatenus subsistens in natura Divina, et prout perficit humanam naturam: nihil autem officit, quominus Verbum existens in natura Divi- Enodantur.

na satisfactionem ab humana accipiat, quam perficit, terminatque: sicuti qui tutor simul est et creditor, pupilli nomine potest sibimet satisfacere.

Scholion. Christus mediator noster Deus est simul et homo: attamen actiones, et operationes, quibus mediatoris munere functus est, humanae naturae attribui debent. Enimvero Christus orando, patiendo, moriendo redemptionis opus perfecit. Orare autem, pati, et mori, naturae Divinae tribuere repugnat. Porro cum natura humana Christi hypostatice Verbo unita esset, hinc ejus operationes infinitum nactae sunt valorem. Unde apparet ex naturae humanae operibus potuisse sui ipsius, ut Deus est, esse mediatorem.

§. LVIII.

Christus pro omnibus mortuus est.

Universum humanum genus ob Adae culpam Dei indignationem incurrerat, cujus sortem miseratus Deus pro omnibus Liberatorem promisit (§. I.). Praefinitis temporibus Dei filius communem nostram induit naturam, humani generis causam in se suscepit, atque in eo posuit Deus iniquitates omnium nostrum (§. LI.), dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, fuditque pretiosum sanguinem (§. LII. LIII.): ipse pro totius mundi peccatis propitiatio fuit (§. LV.); pro omnibus itaque mortuum fuisse luce meridiana clarius apparet. Patres unanimi consensu eamdem doctrinam tradunt. Clemens Romanus (*Epist. ad Corinthios*), Clemens Alexandrinus (Lib. VII. *Stromat.*), Irenaeus (lib. V. cap. XVLII.), Cyprianus (Epist. LII.), Athanasius (*De verbi Incarnatione*), S. Jo. Chrysostomus (*In verbis Apostoli ad Galatas* cap. II. v. 20.). Augustinus vero Julianum increpans inquit (lib. II. *op. imperfecti* cap. 175.): *Hinc te exue, si potes, quod unus pro omnibus mortuus est, et aude dicere non omnes mortuos, pro quibus mortuus est Christus, cum statim tibi Apostolus fauces premat . . . dicens: Ergo omnes mortui sunt. Noli sic laudare Apostolum, noli sic exponere, ut nolis audire: Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.*

Scholion. Hinc apparet merito damnatam fuisse quartam Jansenii propositionem : *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum fuisse, aut sanguinem fudisse*; rejicienda non minus est Calvinistarum sententia, qui Redemtionem Christi universalem non fuisse autumant, ut inter recentiores propugnat Jo. Fridericus Stapferus *Instit. Theol. Polem.* cap. III. §. 1186. Quem etiam errorem perperam Augustinianae doctrinae propugnatoribus affingebant Semipelagiani, quemadmodum ex Prospero elucet in resp. ad *Gallorum Capitula.*

§. LIX.

Militaris Philosophus confutatur.

Si Deus, inquit Libertinus iste, ad salvandos omnes homines venisset, et ad eos meliores felicioresque reddendos, omnes reapse salutem consequerentur. Nam sapientia infinita mediis usa fuisset infallibilibus, ut praestaret id, ad quod curandum venerat. Cui difficultati repono: Decreta Dei erga humanum genus aeterna esse, factumque Incarnationis praecedere: Dei filius ad ea eliminanda non venerat. Porro in iis constitutum erat, permittere, ut homines sua sponte mali usque ad aeternam eorum in die judicii segregationem cum bonis justisque permiscerentur. Quapropter finis assumentis humanam carnem filii Dei non fuit causarum secundarum concatenationem evertere, hominibus libertatem eripere, vel solas ipsis relinquere propensiones ad bonum. Venit, ut hominibus aditum aperiret ad coelum, non ut eos compelleret: venit ut morte sua humanum genus redimeret, ea tamen conditione, ut suae passionis fructus iis solummodo applicetur, qui suo se uniunt sacrificio, mundo daemonique renuntiant, resistuntque rebelli concupiscentiae. Verumtamen non prodest iis, qui Magistri et Redemptoris sui contemnunt vocem, et in umbra mortis permanere volunt; unde ipsemet praemonuit, necesse esse, ut scandala veniant, multos esse vocatos, paucos vero electos. Non ibo inficias, Divinam Sapientiam media seligere infallibilia, atque hanc ob causam nemo potest e manu sua rapere (Joan. X. 18.), quos dedit ei Pater.

Scholion. Eo argumento Libertini plures delectantur, auctor *Examinis de Religione* cap. 4. §. IX. aliique non pauci. Confer librum, cui titulus *Réponse au Militaire Philosophe*, ubi Religionis causa egregie defenditur,

§. LX.

Hinc amor in nos Dei et odium in culpam apparet.

Quum ad summum Dei erga nos amorem converto animum, quasi extra me raptus exclamo: Quid est homo, quia reputas eum? quid? nisi legis Divinae transgressor, vas irae, mortis aeternae reus? Nihilominus, o inauditum et incomprehensibile Divini amoris prodigium! ipsum suum unigenitum filium pro nobis dedit (LVII.), atque cum laesae Divinae Majestati, ejusque incorruptae justitiae haud possemus satisfacere: *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Ad Rom. VIII. 32.). Deus ipse licet omnipotens plus certe, quam proprium filium dare nobis non potuit. Verum quam gravis esse debet peccati malitia, quale malum! immo unicum verum malum reputandum erit peccatum, si ad illud expiandum passione et morte tanti Reparatoris opus erat. Respice Christiane ad Salvatoris Crucem, vide Corpus Christi refertum vulneribus, Caput spinea corona redimitum. Sanguinem vide hominis Dei abundanter fluentem. Haec sunt, quae Deus tibi documenta praebet, ut peccati noscas deformitatem, et malitiam.

Scholion. Nos ergo diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos. Christum diligamus Salvatorem nostrum, qui Justus pro impiis, Dominus pro servis mori voluit. Vide Paulum ad Rom. V. 6. 7. 8. atque peccatum veluti malorum maximum summe detestemur: dicatque cum Augustino quilibet: *Memoria tua sancta possideat totam animam meam, atque in invisibilium amorem totam rapiat eam . . . Fac me ex tuo desiderio huic mundo funditus extingui prae magnitudine amoris tui. Absorbeat quaeso mentem meam ab omnibus, quae sub coelo sunt ignita et melliflua vis amoris tui . . . converte meum torporem in ferventissimum tui amorem, accendas in me tuum amorem.* lib. III. *Medit.* cap. XXXIII. XXXV· XLI.

§. LXI.

Christus descendit ad Inferos.

Mortuo Christo Domino corpus ejus sepulchro traditum fuit, anima vero ad inferos descendit, quorum nomine hoc loco intelligimus receptaculum illud, in quo ante Christi Domini adventum Sanctorum animae nulla peccati labe inquinatae in spe venturi Liberatoris detinebantur: *Nondum enim*, ut ad Hebraeos scribit Apostolus (IX. 8.), *erat propalata Sanctorum via.* Quem locum Christus ipse Abrahae sinum vocavit (Lucae XVI. 22.), atque ibi ipsum descendisse in symbolo Apostolico profitemur, tranduntque sacrae litterae. Enimvero Regius Propheta inquit (Ps. XV. 10.): *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quae de Christo fuisse pronuntiata ostendit Petrus (Act. II. 31.) ajens: *Providens locutus est de Resurrectione Christi, quia nec derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Patrum traditio exploratissima est, nam de Salvatoris ad inferos descensu sermonem habent Irenaeus (Lib. V. *adversus haereses* c. XVI.), Tertullianus (*De anima* cap. XXXII.), Athanasius (*De salutari Christi adventu*), Hilarius (*In Ps. LIII.*), Cyrillus Hierosolymitanus (*In expositione symboli Hierosolymitani*), Epiphanius (*In Symbolo sive fidei expositione, quae extat lib. III. adversus haeres.*), Augustinus (*De civit. Dei* lib. XX. cap. XV.), Leo Magnus (*Serm. VIII. de Passione*). Neque hanc ob causam Christi dignitati quidpiam derogatum fuisse existimandum est; victor enim descendit ad inferos, tum, ut in ejus nomine omnia genu flecterent coelestium, terrestrium, et infernorum (*Ad Philippenses II.* 10.), tum, ut Sanctorum animas liberando, secumque in coelum adducendo, suam manifestaret potentiam.

Scholion. Putant Heterodoxorum non pauci, verba: *descendit ad inferos*, assuta fuisse symbolo; at allata Patrum traditio eorum authentiam satis ostendit. Joannes Gerardus Vossius lib. *Harmoniae Evangelicae*, Joannes Clericus in *Hist. Eccl.* aliique contendunt laudata pro Christi descensu ad infe-

ros Scripturarum testimonia nihil probare, eo quod ubi apud Psalmistam legimus in *inferno*, in fonte hebraico habetur שאול Scheol, quod sepulchrum indigitare ex *Gen.* XLII., 38. aliisque locis conantur evincere. Nihilomiuus etsi vox Scheol sepulchrum interdum significare libenter damus, pro inferioribus tamen terrae partibus sive pro inferis etiam accipi indubie tenemus. Nec Psalmista laudato in loco ad sepulchrum animum intendere poterat, quum aliud de carne dicat, aliud de anima; de illa scribit, habituram in spe requiem, nec visuram fore corruptionem; de anima vero non debere in inferno relinqui; quis vero adeo desipiat, ut Christi animam sepulchro dicat inclusam? His adde, LXX. Interpretes Scheol vertere ἅδης, quae vox animarum receptaculum significare ex Homeri Odyssea apparet, ubi ἅδης locus est, in quo Heroum animae degebant, immo ab Hesiodo in Theogonia v. 455. Pluto inferorum apud Gentiles Deus ἅδης vocatur. Vide quae de hac voce erudite scripsit auctor *hist. symb. Apost. in observationibus Ecclesiasticis et criticis.* Genesis locus pro nobis est; etenim quum Jacob a mala fera devoratum filium suum crederet, quomodo dixisset *descendam ad filium meum in sepulchro*, quem in sepulcro esse non judicabat? Confer Cotelerium in *librum* III. *Hermiae*, P. Nourri *in Hermiam*, Usserium *in Epist. S. Ignatii ad Trallianos*, Dupinium in *Bibliotheca* et in *Apocalypsim.*

§. LXII.

Resurrexit. Magnum Redemtionis opus morte sua Christus compleverat, reportatoque de inimicis triumpho gloria plenus tertia die a mortuis resurrexit. Factum hocce adeo perspicuis donatum est veritatis caracteribus, ut artis criticae peritus quilibet, nisi luci sponte oculos claudat, habere debeat exploratissimum. Nam plurimi sunt testes probi, oculati, diligenter instructi, nec facile creduli, quibus Resurrectionis Christi veritas repetitis vicibus invicte demonstrata fuit. Mulieres, quae ad monumentum accesserant, corpore Jesu non invento contristatae, a duobus Angelis, eum, quemadmodum praedixerat, a mortuis surrexisse edoctae fuerunt; quod quum undecim Apostolis ceterisque annuntias-

sent : *visa sunt ante illos sicut deliramenta verba ista, et non crediderunt illis* (Luc. XXIV. 11.). Duobus inde discipulis in Emmaus euntibus manifestavit se Christus : *at illi euntes nuntiaverunt caeteris, nec crediderunt illis* (Marci XVI. 13.). Ex quo patet nil minus quam credulos Apostolos fuisse. Apparuit postea Simoni, atque hac de re Apostolis aliisque simul colloquentibus Jesus in medio eorum stetit, pacemque eis annuntiavit; attamen nondum plene convicti erant, arbitrabantur enim, se spiritum videre. Omne tamen eis excussit dubium exhibens manus pedesque tangendos; sed petiit etiam cibum, comedit, quodque residuum erat, iis distribuit (Lucae XXIV. 34. seq.). Quibus a Thoma auditis, nisi ipsemet videret, tangeretque vulnera, se fidem haud exhibiturum confirmavit. Elapsis diebus octo apparuit congregatis simul discipulis iterum Jesus, conversusque ad Thomam dixit: *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.* Ii profecto quorum de Christi resurrectione fides dubia est, ad hunc singularem eventum haud potuissent, quin cum Thoma exclamassent : *Dominus meus et Deus meus* (Joan. XX. 34. seq.)! Quis majora adhuc quaerat resurrectionis Christi documenta? Sed ad maximum certitudinis gradum adveniemus, si Paulum audiamus (I. ad Corinth. XV. 6.) : *Deinde visus est plus quam quingentis fratribus, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt.* Non itaque illusioni, aut deceptioni in Apostolis totque aliis ocularibus testibus locus esse potuit; nec fraudem et dolum in iis suspicari possumus, quum in veritatis hujus confirmationem gravia quaeque passi fuerint, propriumque sanguinem dederint. Quisquis testibus hisce non credit, ipse nullam promeretur fidem.

Scholion. Locus hic esset adversus incredulorum dicteria vindicandi Christi resurrectionem; at hac de re jam audivit academica juventus in Prolegomenis. Confer Duguet *principes de la Foy Chretienne tom.* II. *ch.* VIII., et seq. Umfredum Ditton : *Religio Christiana demonstrata ex resurrectione J. Christi D. N.*

Christus ex mortuis resurgens jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur . . . . ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus: sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos tamquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiae Deo, ut inquit Paulus ad *Rom.* VI. 9. et seq.

§. LXIII.

Ascendit in coelum.

Quemadmodum Messiae resurrectionem, ita in coelos ascensionem Sacri Vates praedixerant (§. IV.); quae non minus quam oracula caetera in se adimpleta fuisse ostendit Jesus Nazarenus. Nam redivivus saepe discipulis suis apparuit ad resurrectionis veritatem firmissime statuendam (§. praec.), tum ut nascentis Ecclesiae suae fundamenta statueret, disciplinam dirigeret, mysteria revelaret, aperiretque Scripturarum sensum (Lucae XXIV. 45. Actor. I. 3.). Jam vero recumbentibus illis apparuit (Marci XVI. 14.), *et convescens praecepit illis ab Jerosolymis ne discederent* (Act. 4.), atque completo jam penitus missionis suae opere, in Bethaniam eduxit eos (Lucae XXIV. 50.), qui locus proximus est monti, qui Oliveti dicitur, repetitisque monitis et praeceptis saluberrimis (Matthaei XXVIII.) *videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Quis condigne possit admirationem, affectus, amorem spectantium discipulorum exprimere? Ipsi quasi extra se rapti, vultum obtutumque figebant in coelis, quum viri duo in vestibus albis dixerunt eis: *Viri Galilaei quid statis aspicientes in coelum? hic Jesus, qui assumptus est a vobis sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum* (Act. I. 9.). Modus autem, quo ascensionem Christi narrant Lucas et Marcus, ita naturalis et simplex est, ut candorem et veritatem undequaque spiret.

Scholion. Paulus Apostolus ad Philip. III. 20. de se, temporisque sui fidelibus inquit: *Nostra autem conversatio in coelis est: unde etiam Salvatorem*

expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae. Quamobrem primitivos Christianos imitemur, atque ad coelos ubi ascendit Christus, cor amoremque nostrum dirigamus. Cumque inde in gloria venturus sit, ut cuique reddat secundum opera sua, dicam cum Petro Apostolorum Principe: *Charissimi, haec expectantes satagite immaculati, et inviolati ei inveniri in pace.* Epist. II. Cap. III. 14.

§. LXIV.

Promissum Spiritum S. in Apostolos misit.

Ea est vis veritatis, ut cuncta inter se apte cohaereant, unumque alteri lucem affundat. Promiserat Christus Spiritum Sanctum in Apostolos mittere post suam in coelos ascensionem (Act. I. 8.): Promissioni correspondet eventus. Degebant illi Jerosolymis, atque ut probos sanctosque viros decet, in *oratione* perseverantes erant (Ibidem v. 14.). Advenerat Pentecostes dies, atque non pauci cum iis congregati inveniebantur discipuli. At mirum! *Factus est repente de coelo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes, et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis, seditque supra singulos eorum: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis* (Act. II. 2. et seq.). Stupore afficiebantur, qui ex diversis nationibus Jerosolymam convenerant Judaei, unumquemque audire eos propria lingua loquentes. Sed quod magis est, exardescebant illi amore divino, et qui prius timidi capto Christo aufugerant, nunc, etsi eorum obversaretur menti dirum recensque Magistri supplicium, compertumque haberent, quanto odio Jesus Nazareni nomen Principes nationis prosequerentur, impavidi et imperterriti nil de propria vita curantes frequentissimam civitatem concursant, Jesus Nazareni virtutes, et a mortuis resurrectionem depraedicant, eo felici successu, ut una die tria millia, altera quinque millia in Christum crucifixum crederent. At, quod Dei operatio efficax est! ii bona sua vendunt, pretium distribuunt pauperibus, jejuniis vacant, et orationibus, tantoque flagrant a-

more mutuo, ut nonnisi *cor unum sint*, *et anima una* (Act. IV. 32.). Percipiet quisque facile, impletum fuisse, quod praedixit Jeremias (XXXI. 32.): *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*, *et ero ipsis in Deum*, *et ipsi erunt mihi in populum.*

Scholion. His Sancti Spiritus donis Hierosolymitana Ecclesia incrementum habuit; at cum statuisset Deus in Christo fore benedicendas omnes terrae nationes (§. I.), Apostolis etiam dona eadem elargiendi potestatem concessit. Admirandum hoc factum in dubium verti nequit. Paulus ad *Corint.* I. 12. dona linguarum, prophetiae, et miraculorum hisce fidelibus adhaesisse manifestat; atque cap. XIV. normam iis tribuit, ut ordinate iis donis utantur. An potuisset Corinthiis persuadere, eos loqui linguis, prophetare, miracula facere, si id verum non fuisset? Thessalonicensibus idem contigit. Nam Apostolus I. *Epist.* C. I. 5. inquit: *quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum*, *sed et in plenitudine multa*, unde addit C. 5. *Spiritum nolite spernere.* Ad Gal. III. 5. *Qui tribuit vobis spiritum*, *et operatur in vobis virtutes.*

Conf. Actor. VIII. sequ. X. 44. seq. immo per tria priora saecula in Ecclesia perdurasse ostendit Houtteville *Lib.* 2. C. XIV.

§. LXV.

Increduli refutantur.

Si Apostoli hanc recepissent miraculorum potestatem, eamque fidelibus communicassent, inquiunt Deistae, hujus insignis facti notitiam Scriptores profani ad nos transmisissent. At silent omnes: cumque tres essent religiones, quibus dividebatur mundus, Judaica, Gentilium, et Christiana, soli Christiani haec nobis narrant; iis autem in causa propria scribentibus fidem adhibere nequimus. His non magna difficultas inest; nam productum argumentum negativum est nulliusque roboris adversus solida et positiva (§. praec. sch.) a nobis allata momenta: tum, uti opponunt adversarii, tres erant in orbe religiones, quarum una alteram non tolerabat; an a juratis hostibus honorificum testimonium expectare debebat Christi Religio? Caeterum, etsi eorum temporum non multi

sunt gentiles, quorum ad nos pervenerunt scripta, tamen Suetonius in *Nerone* Christianos Magiae deditos esse affirmat. Ad quid haec, si admirandi nihil in Christianorum operibus apparebat? Nihilominus si majora Deistae cupiunt Gentilium testimonia, ingentem eorum copiam spreto idolorum cultu ad Christum conversam inspiciant, qui signis miraculisque Apostolorum, aliorumque Christianorum ita convicti fuerunt, ut honores, commoda, divitias spernerent, atque Religionis nostrae veritatem sanguine proprio signarent. Testes hujusmodi omnem certe promerentur fidem.

Scholion. Origenes Vir celeberrimus, et ab ipsis gentilibus Philosophis plurimum habitus lib. I. contra *Celsum* num. 46. commemoratis, quae a Christianis operabantur miraculis, subdit: *Irrideat licet Celsus, aut Judaeus, quem introduxit, quod dicetur; dicam nihilominus multos ad Religionem Christianam accessisse velut invitos: Spiritu quodam repente sive per visum, sive per somnium in illorum animos agente, atque ita illos immutante, ut quod in illam conceperant odium, deponerent, et pro illa mortem oppetere statuerent. Multa hujusmodi novimus; quae si scriberemus, benignam risus materiam praeberemus incredulis, qui nos ex eorum ingeniis, qui talia finxisse norunt, judicantes, haec etiam a nobis conficta esse existimarent. Testis tamen est Deus, cui arcana conscientiae nostrae patent, nos Divinam Jesu doctrinam non falsis narratiunculis, sed veris iisque evidentibus argumentis confirmare velle.* Egregium sane et invictum testimonium ad eos omnes coarguendos, qui fraudibus, et imposturis propagationem Religionis nostrae attribuere volunt. Sanctus Theophilus ad Autolycum lib. 2. affirmat se Christianorum miraculis non credidisse, sed adhibito maturo examine iis fidem derogare non potuisse. At putasne visis miraculis hosce spiritus fortes credituros? hanc eorum omnium esse mentem haud opinor: quandoquidem auctor impii opusculi *Pensèes philosophiques* ait, se maximis miraculis etiam mortui resurrectioni fidem haud fore habiturum; sed magis suae rationi, quam propriis oculis crediturum. Talem pervicaciam solus Deus vincere potest.

CAPUT V.

De cultu Sanctorum, Crucis, Reliquiarum, et Imaginum.

§. LXVI.

Christi mediationi.

Qui veluti medius est inter partes, quas conciliandas suscipit, ille *naturalis* nomine donatur; et qui duorum natura discrepantium utramque naturam habet, ipse *naturalis* et *substantivus mediator* dicitur; *moralis* autem ille vocatur, qui partes dissidentes conciliare officiis et precibus curat. Mediatoris munere modis pluribus defungi quis potest: si inter partes constitutus sit arbiter, aut interpres; si sponsor laesae parti satisfaciendi onus assumat, vel si apud unam pro altera roget interpelletque. Unicus autem est Christus Dominus mediator naturalis et substantivus, cum ipse solus Deus sit et homo; unicum non minus sponsorem nostrum, Salvatorem, Redemtorem sancte profitemur: *nam torcular calcavit solus* (Isaiae LXIII. 3.), deditque semetipsum redemtionem pro omnibus, nosque vere redemit soluto pretio (§. LII.). Alio adhuc sensu mediator noster est Christus: quia *salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum; semper vivens ad interpellandum pro nobis* (Ad Hebraeos VII. 25.). Unde percipiet quisque, preces Christi tantae esse virtutis et efficaciae, ut ipsius solae perpetuam aeternamque salutem conferre nobis queant. Quamobrem vult quidem Christus salvare eos, qui debitis muniti dispositionibus ad ipsum accedunt, verum eo quod, an oraverimus, ut oportet, nescimus, hinc alios sive in hac, sive in altera vita condeprecatores adhibemus, innixi tamen semper meritis Christi; nam aliorum deprecationibus nos adjuvari frequentissime sacrae litterae tradunt.

Scholion. Precibus Abrahae Deus pepercit Abimelech (Genes. XX. 17.). Deus itidem nisi ex Job orationibus voluit parcere Eliphaz Themaniti, et duobus amicis suis (Job Cap. ult.). Ob Moysis preces

placatus est Dominus, ne *faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum* (Exod. XXXII. 14.). Haec sufficiant ex plurimis, quae afferri possent, Scripturarum testimoniis.

§. LXVII.

Non officit Sanctorum intercessio.

Sanctos pro nobis intercedere Sacrarum Scripturarum oracula nos edocent. Nam de Jeremia jam defuncto legimus (II. Mach. XV. 14.): *Hic est fratrum amator, et populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate Jeremias Propheta Dei*; quod etiam legis novae temporibus contingere ex Joanne in sua Apocalypsi (Cap. V. 8.) evincitur: *Viginti quatuor Seniores*, ait, *caeciderunt coram agno habentes singuli cytharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum*: viventium nempe piorum fidelium, quas Deo pro ipsis intercedendo offerebant; atque cum Sancti in coelis degentes adversus suos persequutores Dei requirant vindictam (Apoc. VI. 10.), cur pro amicis et familiaribus suis divinum auxilium non petant? Tanta autem est veritatis hujus vis, ut Acatholicorum pars magna fateatur Sanctos pro Ecclesia intercedere. Sane haec fuit antiquae Ecclesiae fides, quum Cyprianus scribat (Lib. *de immortalitate*. Vid. etiam Epist. LVII. *ad Cornelium*): *Frequens nos illic turba desiderat de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita*. S. Hieronymus (*Adversus Vigilantium*) observat, quod si in hac vita Apostoli, Martyres pro fidelibus orant: *quanto magis post coronas, victorias, triumphos?* Tam magnis autem muniti auctoritatibus, Sanctorum intercessionem mediationi Christi haud derogare merito affirmemus; quod manifesto apparebit, si perpendamus, Sanctos non ex humanis propriisque meritis petere; quae enim habent ipsi merita, sunt dona Dei per Christum; sed ipsos intercedere per merita Christi, unde insuper habent, ut moveantur ad intercedendum et petendum.

Scholion. Sanctos pro Ecclesia intercedere eruitur ex Confessione Wittembergensi *tit. de invocatione Sanctorum*; Jacobus Andreas, et M. Crusius *in I.*

responso ad I. Hieremiae responsum ajunt, quod Sancti in genere bene cupiunt Ecclesiae Dei, et apud Deum pro ratione alterius saeculi intercedunt, ut Dominus Ecclesiae suae curam gerat: Gerardus de *locis Theol. tit. de morte*, Chemnitius, Sedanenses Theologi, Petrus Molinaeus in eandem sententiam conspirant. Stapferus e recentioribus Calvinistis Instit. Theolog. Polem. *tom. IV. Schol. ad* §. CCXXIX. inquit, quaestionem proprie non esse, an *Sancti in loco Beatorum degentes pro Ecclesia militante intercedant: id enim fieri posse doctrina Reformatorum non inficiatur, sed tantum quaeri, an sint invocandi?*

§. LXVIII.

Nec invocatio.

Sanctorum invocationem Christo Mediatori injuriam facere undique clamant Heterodoxi. Verumtamen quum in aliquo sensu Mediator dici possit, qui pro aliquo ad partem alteram interpellat (§. LXVI.), atque iidem Acatholici Sanctos pro Ecclesia in genere saltem interpellare dicant (schol. ad §. praec.), Sanctos Mediatores secundarios, et principali subjectos admittere ipsimet tenentur. Jam vero graviora proferamus. Si regnantes in coelis Sanctos invocare Christo Mediatori officeret, nec eosdem mortali in corpore viventes implorare, eorumque se precibus commendare liceret; non enim deterioris conditionis sunt in gratia confirmati, divinoque fruentes conspectu, ac essent in terris; adest adhuc nos inter, et illos communio, quam in Symbolo profitemur, dum dicimus *communionem Sanctorum*; quo fit, ut nullibi, aut etiam in coelis invocari possint. Porro pios, sanctosque viros mortali in corpore degentes invocari posse manifestum est. Nam Paulus pro fidelibus se orare scribit *ad Colossenses* (I. 4.), quorum etiam ipse se commendat precibus (IV. 3.), tum Thessalonicensium (I. Epist. V. 25.), tum Hebraeorum (Ad Hebraeos XIII. 18.); Jacobus autem (V. 16.) scribit: *Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua.* Quid? Christumne spernebant Paulus, et Jacobus, quum aliorum preces aut petebant, aut insinuabant? An diffidentiae dabant signum, cum per se solos ad Patrem per Christum haud confugiebant,

sed aliorum etiam exquirebant preces? Argumentum hoc tanti roboris est, ut verbis quidem eludere, enodare, et solvere Acatholici nequeant.

Scholion. Joannes Hus, et Wicleffus, quos veritatis testes perperam Acatholici vocant, Sanctos invocari posse dixerunt, primus *in fidei suae elucidatione* fol. 51. alter *Dialog.* lib. 3. cap. 30. Lutherus ipse *de praeparat. ad mortem* inquit: *In mortis articulo Beatam Virginem, suum Angelum, et delectum a se Apostolum, et Sanctos reliquos invocare non cesset, ut pro se intercedant ad Dominum.* OEcolampadius *annot. in serm. Chrysostomi in inventione Sancti Maximi* ejusdem sententiae est; tum Bucerus *contra Episcopum Abrincensem*, Camerarius lib. *de piis Ecclesiae precibus*, Casaubonus in *Epist. ad Perronium*, Gerardus *locorum communium de morte*, Witthaeus *contra Fischerum* aliique ad Sanctos preces dirigi posse non negant. Vide le Fevre *motifs invincibles*, c. IV. §. II.

§. LXIX.

Sacrae utriusque foederis paginae nobis exempla suppeditant, unde licitam Sanctorum invocationem esse dignoscimus. Patriarcha Jacobus Angelum non minus, quam pios sanctosque viros jam vita functos his verbis invocat (Gen. XLVIII. 16.): *Angelus, qui eripuit me de cunctis malis benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham, et Isaac.* Sanctus Joannes in Apocalypsi (I. 4.): *Gratia*, inquit, *vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt*: ubi Angelorum, qui a nobis dissiti sunt, et throno divino assistentes, invocationem legimus: Sanctorum autem, et Angelorum par prorsus est ratio. Ecclesiae traditio exploratissima est. Origenes (*Hom. I. in Ezechielem*) Angelum invocat, Eusebius (*Lib. XIII. praep. Evang.* cap. XI.) inquit: Preces ad sanctos dirigere, et beatas illorum animas honorare consuevimus. OEcumenica Calcedonensis synodus (Act. II.): *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis*

Quod ulterius demonstratur.

oret. Accedunt S. Basilius (*Orat. in XL. Martyres*), Cyrillus Hierosolymitanus (*Cathech. V.*), uterque Gregorius Nazianzenus, et Nyssenus (Primus *Orat. XX. de laudibus S. Basilii*, alter *Orat. de S. Theodoro*), S. Jo. Chrysostomus (*Hom. de SS. Bernice, Prosdoce, et Domnino*), S. Ambrosius (*Lib. de Viduis*), Hieronymus (*Adversus Vigilantium*), Augustinus (*Lib. VII. de Baptismo*), ut de aliis sileam. Atque quum non solum Latina Ecclesia, sed etiam Graeci, Melchitae, Nestoriani, Monophysitae (*La perpetuitè de la Foy tom. V. Liv. VII. ch. III.*), in suis Ecclesiasticis libris preces habeant praesertim ad B. Virginem, affirmandum est, praxim hanc adeo universalem ab Apostolica traditione descendere.

Scholion. Ad praecludendam Adversariis omnem criminationis viam, observandum est, duplicem esse invocationem; unam, qua Deum oramus, et invocamus eo Religionis cultu, quo ipsum fontem, et largitorem omnium bonorum profitemur; atque hoc sensu ajebat Apostolus: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Alteram, qua Sanctos invocamus, et oramus tamquam Dei amicos, apud quem gratia valere plurimum scimus; ut preces suas nostris adjungentes per Christum Dominum impetrent, quod nostrae saluti expedit. Advertas etiam oportet, etsi pia, et utilis sit invocatio Sanctorum, nullum tamen de iis invocandis exstare praeceptum sive in sacris litteris, sive in Ecclesiae definitionibus. Confer Wallemburgicos tom. II. *controvers. fidei lib. XII. tract. IV.* Henricum Holden *in Divinae fidei analysi*, Lib. II. cap. VII. Episcopum Castoriensem *de Sanctorum cultu*, Joannem Fabrum *adversus OEcolampadium.* Moventur non minus adversus Sanctorum invocationem Acatholici, quod Sancti, ut ajunt, nostras preces audire nequeant. Verum quamvis persuasum habeam Sanctos fidelium preces agnoscere, sive ab Angelis audiant, vel ex Dei revelatione, ut inquit Augustinus Lib. de *cura pro mortuis* cap. 15. et 16. sive compertas habeant ex intuitiva visione Dei, uti visum fuit Gregorio *in Job lib. XII. cap. XIV.* nihilominus, si daremus, Sanctos preces nostras non audire, nec inu-

tilis esset Sanctorum invocatio; nam, quemadmodum ajunt Fratres Wallemburgici: *Sancti generaliter orant pro indigentia supplicantium, ut Lib. I. de cura pro mortuis scribit Augustinus.* Caeterum Sanctos preces nostras audire dogma fidei non esse tradunt Veronius *in regula fidei catholicae* §. XI. *de invocatione Sanctorum*, et ante ipsum Magister sententiarum *Lib. IV. sentent. dist.* 45. et prae ceteris laudatus Episcopus Castoriensis scribens: *Nec dicant adversarii, verbum, ora pro nobis, omnino exigere, ut ille, quem alloqueris, audiat te loquentem. Nam illud post Hugonem a S. Victore negant celebriores Scriptores asserentes, sufficere, quod Deus audiat, propter quem Sanctos oramus.*

§. LXX.

Cultus Sanctorum non est Idololatricus.

Mirari satis nequeo, cum non paucos Acatholicorum eruditione praestantes viros Catholicae Ecclesiae tetram idololatriae notam ob Sanctorum cultum impingere video. Serione, an partium abrepti studio haec scribere audent? Idololatria, si proprie sumas, ea est, quae idolis, seu simulacris honorem summum Deo soli debitum reddit; ampliori autem significatione venerationem rei cujuscunque indigitat, quae Dei instar habeatur. Porro supremum cultum, qui Latria dicitur, soli nos Deo exhibere certissima res est, Sanctis vero honorem aliquem eo longe inferiorem tribuimus, quem Duliae nuncupamus; quumque verba ad reconditos animi nostri sensus proponendos inventa sint, frustra in nominis Etymologia tricas quaererent Heterodoxi, quum de mente nostra satis constet. Hinc Vossius ipse (*In appendice ad disputationem I. de invocatione SS.*) Duliae et Latriae distinctionem non reprobat, quia λογομαχία omnis prudenti viro est evitanda: *partim, quia nec inutile videtur, si cultibus toto genere differentibus, qualis est Dei, et creaturae, ad ὁμονυμίαν vitandam diversa imponantur nomina, partim quia nec ab ea abhorruit Augustinus.* (*)

(*) Cudvorthus in *systemate intellectuali* tom. I. cap. IV. §. 36. lapsus est, cum distinctionem Latriam inter et

Verus praeterea cultus in actibus externis, quemadmodum aperire caput, genua flectere, in terram procumbere, nequaquam quaerendus est; secus idololatrae, quod absit, fuissent Abraham, et Jacob, quorum primus filios Heth, alter Esau fratrem suum adoravit; sed in actibus praesertim internis, quibus ad venerationem supremo Numini exhibendam ob infinitam ejus excellentiam ferimur (Schol. ad §. XLII.); quamobrem Sanctos honoramus, non propter Religionem adoramus, caritate, non servitute colimus, templa etiam, et aras de eorum nuncupamus nomine, nihilominus Deo intelligimus esse dicata in eorum memoriam, et sub eorum invocatione. Quod si cultus Sanctis exhibitus religiosus interdum nuncupatur, inter actus tamen religionis elicitos, et imperatos distinguere solent Theologi. Praeclare Fratres Wallemburgici (Tom. II. *in controv. particul.* cap. XV.): *De actibus elicitis, et immediatis non est ulla contentio, quod Deo sint tribuendi: de actibus vero mediatis et imperatis legitur Jacobi I. 17. Religio apud Deum visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum . . . ab hoc loquendi modo Protestantes non sunt alieni* (*). Quodque magis est, numquam fuit ab Ecclesia de-

---

Duliam antiquis doctoribus ignotam fuisse scribit; nam Augustinus, quum discrimen hoc a Graecis assumserit, ejus usum antiquiorem fuisse S. Doctore patet per se.

(*) Forbesius *instruct. Hist. Theol.* lib. VII. c. 1. inquit: *Si quis istum cultum Sanctorum, et honorem Religiosum diceret, quia a vera Religione imperatur, sicut visitatio infirmorum, et similia misericordiae, et sanctitatis officia dicuntur Religiosa, non esset de ea appellatione lis cuique movenda.* Similia habent Amesius in *Bellarmino enervato* tom. II. lib. VI. Crocius in *Antibecano Controv. de SS. cultu* n. 21. Le Blanc *in thesibus Sedanensibus*, Drelincourt *examen de la replique a M. de Bellay*. Confer le Fevre cap. 4. §. 1. Atque quod magis est, Religiosi cultus nomen Regibus, Magistratibus, rebusque Ecclesiasticis tribuit Lutherus *in cap. II. Epist. ad Galatas. Magistratus*, inquit, *Imperator, Rex, Princeps, Consul, Doctor . . . . . Deus vult pro suis creaturis agnosci, et religiose coli.* Confessio Argentinensis art. XXIV. jejunia nuncupat Religiosa, Confessio Augustana utramque potestatem civilem, et Ecclesiasticam ob Dei praeceptum vult esse venerandam.

finitum, cultum Sanctis exhibitum vocandum esse Religiosum; immo sententia est Augustini, Hadriani R. Pontificis aliorumque, honorem, quem Sanctis tribuimus, ab eo non differre, quem Sanctis exhibemus in terris (*). Unde perperam ab Heterodoxis Catholicos veluti idololatras traduci manifestum est.

§. LXXI.

Sanctorum cultum ideo sugillant, carpuntque Heterodoxi, quod ex eorum intercessione, et invocatione Christo Mediatori injuriam fieri autumant, quo in judicio eos hallucinari (§. LXVII. et LXVIII.) abunde demonstravimus. Nec dicant ex fidei nostrae imbecillitate contingere, ut Sanctos quasi apud Deum internuntios, et Patronos adhibeamus. Nam Centurio ille, cujus fidem summis laudibus Christus extulit, Seniores tamen Judaeorum amicos suos ad eum misit, ut pueri, quem diligebat, salutem impetrarent (Lucae VII.). Romanam autem Ecclesiam primo Decalogi praecepto in Sanctorum cultu repugnare calumnia est, satis (§. praec.) refutata. Cumque praxis de Sanctorum cultu apud Latinos, Graecos, Orientales viguerit, vigeatque modo, nec ejus assignare possimus initium, atque Patres quarti saeculi haereticos habuerint Manichaeos, Eunomianos, Vigilantium, qui de Sanctorum cultu male sentiebant, eam ad Apostolicam traditionem referendam esse merito dicimus. Itaque confectum ivimus, Sanctos colere, et venerari licitum esse.

Unde licet Sanctos colere, et venerari.

(*) Augustinus lib. XX. contra Faustum cap. XXI. inquit: *Colimus Martyres eo cultu dilectionis, et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei.*. Hadrianus Papa in Epist. ad *Constantinum Imperatorem*, et *Irenem ejus Matrem. Qualis est enim adorationis honoratio nisi tantum, quemadmodum et nos peccatores salutamus, et adoramus alterutrum per honorem, et dilectionem?* Vide Episcopum Castoriensem *de SS. cultu.* Audiant Grotium Acatholici *annotat. in Consul. Cassandri artic. de invocatione SS. Morem orandi Martyres, ut pro nobis orent, qui idololatriam putant, gravissimi criminis damnant Chrysostomum, et alios viros sanctissimos Graecae, et Latinae Ecclesiae: ego id facere non ausim.*

Scholion. In *Encyclopaedia* editionis Iverdon 1774. *artic. Saint* Newtoni producitur Scriptum, in quo asseritur, ex Gregorio Nysseno evinci, quod Gregorius Neocaesariensis advertens ludos, et Paganorum solemnitates rudem populum in idololatria detinere, permisit, ut in Martyrum honorem festa ad populum oblectandum celebrarentur. Quae si eum in finem magni operis Compilator adduxit, ut ostenderet, tunc primo honorem, et festivitates erga sanctos Martyres incepisse, a veritate aberravit. Gregorius enim Neocaesariensis floruit an. 254. at in epistola encyclica Ecclesiae Smirnensis apud Eusebium *lib. IV. hist. Eccl.* cap. XIV. de martyrio S. Polycarpi, quod juxta eruditissimum Pearsonium *dissert.* II. c. XIV. et seq. contigit anno 147. legitur, in locum, ubi passus erat, convenire velle ejus Ecclesiae fideles: *ut celebrem*, ajunt, *ejus Martyrii natalem cum exultatione, et gaudio, quantum fieri potest, maximo recolamus, idque cum ad athletarum istorum memoriam, tum ad eorum exercitationem, et praeparationem, qui postea certamen hujusmodi sunt subituri.* Non eo inficias, eadem in epistola legi, fideles non adorare, et colere nisi Dei filium; at quivis videt facile de cultu summo, qualis est Latriae, sermonem haberi, non de inferiori altero, quem Sanctis ipsimet exhibebant. Confer de Sanctorum cultu Natalem Alexandrum *Hist. Eccl.* saec. V. dissert. XXV. Joannis Hesselii Catechismum, Davenportium, aliosque.

Quapropter ii, quibus instruendi fideles incumbit cura, docere eos debent, in Deo omnem spem, et fiduciam nostram collocandam esse; ipsi tamquam omnium bonorum tam spiritualium, quam terrenorum auctori preces esse offerendas; Sanctos non esse exorandos nisi ut intercessores, et Patronos nostros, qui suas preces nostris adjungentes a Deo per Christi merita nobis facilius impetrent, quod ad animae nostrae salutem expedit.

§. LXXII.

Licitus est cultus crucis D. N. J. C.

Crucem in qua Salvator pependit, colere licitum esse inde persuademur, quod illa veluti ara fuit, in qua semetipsum Christus tradidit in sacrificium virtute cujus expiata sunt delicta nostra, et pacificata

omnia, sive quae in coelis, sive quae in terris (§.LIII. LIV.); hic tamen cultus rationi consentaneus esse debet. Unde Ambrosius (*In Orat. de obitu Theodosii*) inquit: *Invenit ergo* (Helena) (*) *titulum, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error, et vanitas impiorum; sed adoravit illum, qui pependit in ligno scriptus in titulo.* Hieronymus (*In Epitaphio Paulae*): *Prostrata ante crucem quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Paulinus (Epist. XI *ad Severum*) affirmat, crucem Domini Hierosolymis die Veneris Sancti ostensam fuisse, Episcopum prius, inde populum eam adorasse; cultu indubie, ut arbitror, relativo ad Christum, cujus Passionis memoria ea die recolebatur (**).

§. LXXIII.

Ejusdemque effigiei.

Colentibus nobis crucem lignum haud veneramur; sed ejus occasione Christi Passionem recolentes ipsum Dominum contuemur, ipsumque adoramus. (§. praec.) Quamobrem, cum in qualibet cruce ad verae imaginem efformatae mente assurgamus ad Christum, ipsumque contemplemur, cujuslibet crucis relativus cultus existimandus est licitus. Quae profecto Sanctorum Ecclesiae Patrum mens fuit. Chrysostomus crucis imagines honore donatas fuisse scribit (*Orat.*

(*) Salutiferae crucis inventionem ad fabellas amandant Centuriatores Magdeburgenses, Salmasius, Cuperus, Basnagius, aliique; qui non solum laudatis jam Patrum auctoritatibus refelluntur, verum etiam ex Cyrillo Hierosolymitano scriptore contemporaneo *in epistola ad Constantium Imperatorem*: *Tempore*, ait, *Deo dilectissimi, beataeque memoriae patris tui Constantini salutare crucis signum Hierosolymis inventum est.* Confer Eusebium in *Chronico*, nec non Ruffinum *lib. I. hist.* cap. VIII. Socratem lib. I. c. 13. Theodoretum *lib.* I. c. 18. Sozomenum lib. II. c. 1. De crucis inventione confer Tillemontium in *Hist. Eccles.* Valesium *in scholiis ad Eusebium*, Bollandum *de Sanctis Mensis Maji.*

(**) Iconoclastae omnium imaginum hostes crucem censuerunt esse venerandam. At crucis abjecerunt cultum Claudius Taurinensis, Pauliciani Manichaeorum surculus, Petrobusiani, tum Wicleffistae, quos Duces, et Magistros habent Lutheri, et Calvini asseclae.

Quod Christus sit Deus). Theodoretus (*Serm. VI. contra Graecos*) inquit: *Graeci, et Romani, ac Barbari crucifixum profitentes Deum, crucisque signum venerantes*. Julianus Apostata a Cyrillo Alexandrino confutatus Christianos reprehendit, *quod crucis lignum adorarent, ejus imagines adumbrantes in frontibus, et pro aedibus suis inscribentes* (Cyrillus *lib. VI. contra Julianum*). Rusticus Diaconus (*contra Acephalos*): *Et adoramus omnes crucem, et per ipsam illum, cujus crux est*. His adde licitum esse exprimere, et venerari signum illud, quod Deus ipse modo admirando hominibus manifestavit, dignumque ostendit veneratione.

Scholion. Eusebius *lib. I. de vita Constantini* cap. XXVIII. scribit: *Horis diei meridianis sole in occasum vergente crucis trophaeum in coelo ex luce conflatum soli superpositum ipsis oculis Constantinus se vidisse affirmat, cum hujusmodi inscriptione: Hac vince. Eo viso, et se ipsum, et milites omnes, qui ipsum, nescio quo iter facientem sequebantur, et qui spectatores miraculi fuerant, vehementer obstupefactos*. Nocte insequenti Constantino rem visam perpendente, apparuit ei per quietem Dominus, praecepitque, ut militum signo ad ejus, quod in coelo viderat, similitudinem efformato, eo tamquam salutari praesidio in bello uteretur. Confer cap. XXIX. et XXXI. Quod cum Imperator praestitisset non sine miraculorum accessione adversus Maxentium, et Licinium victoriam non unam reportavit. Sunt inter Heterodoxos, qui affirmant, miraculum hoc a Constantino fuisse confictum; at quum Constantinum *Sacramenti religione*, quod viderat, narrasse scribat Eusebius laudato lib. I. cap. XXVIII., vel impudens, vel inconsiderata est eorum assertio. Alii, quorum principem locum tenent Jo. Albertus Fabricius *dissert. de cruce a Constantino visa*, apparitionem illam ad causas naturales referendam censent; quam sententiam breviter, et nervose refellit Petrus Daniel Huetius *Epist.* IX. ad Gisbertum Cuperum; nec ego sane videre possum, quonam naturali modo inscriptio: *Hac vince*, fieri potuisset; nec percipio voluisse Deum signum in crucis formam a Constantino

erectum miraculis confirmare, si crux visa in coelo formata casu fuisset. Jo. Laurentius Moshemius *instit. Hist. Eccl. saec. IV. part. I. §. IX.* crucem illam dormienti Constantino objectam fuisse asserit, quae opinio ex allata Eusebii auctoritate invicte refellitur. Plura de cruce scripsit Jacobus Gretserus.

§. LXXIV.

Nec non reliquiarum.

Quum de Sanctorum reliquiis agere instituimus, eas haud spurias, sed genuinas esse volumus, cultum etiam, quem iis impendimus, relativum dicimus ad Sanctos, quorum pretiosa residua sunt; neque iisdem virtutem propriam ad miracula patranda inesse judicamus; nec de iis colendis datum esse positivum praeceptum. Congruam tamen reliquiarum venerationem haud esse vetitam ipsa suadent Scripturarum oracula. Moyses Josephi ossa ex Ægypto honorifice transtulit (Edodi XIII. 19.). Cadaver projectum in Elisaei sepulchrum, cum ejus ossa tetigit, *revixit homo* (IV. Regum cap. XIII. 21.). Pauli sudariis, et semicinctiis super languidos delatis, *recedebant ab iis languores et Spiritus nequam egrediebantur* (Act. XIX. 12.). Jam ab ipsis Ecclesiae incunabulis reliquias Martyrum in magno honore habitas fidem facit laudata (Schol. ad §. LXXI.) Ecclesiae Smirnensis Epistola. Ex proconsularibus actis evincitur, quanta veneratione fideles corpus S. Cypriani Martyris exceperint. Id non minus fit palam ex Cyrillo Hierosolymitano (Catech. XVIII.); Gregorio Nazianzeno (Orat. III. *adversus Julianum Apostatam*), Basilio (*Hom. in Ps.* 115.), Hieronymo (*Adversus Vigilantium*). S. P. Augustinus ((Lib. IX. Confess. cap. VII.) ex Divina revelatione Ambrosium invenisse scribit corpora SS. Gervasii, et Protasii, inventa digno cum honore fuisse translata, sanatos, qui ab immundis spiritibus vexabantur, caecumque toti urbi notissimum visum recuperasse; quod postremum miraculum narrant etiam Ambrosius (Epist. XXII.). Itaque quod Deus ipse honorandum esse miraculis ostendit, veneratione prosequi licet.

Scholion. Eunomius, et Vigilantius, quorum presserunt vestigia Lutherus, Calvinus, Magdebur-

genses, reliquiis bellum indixere: immo in Galliis Calvinistae, quod nonnisi criminosissimis perditissimisque viris fieri solet, SS. Irenaei, et Martini cineres combusserunt, atque in auras dissiparunt. Vide Renaudotium tom. V. *perp. fidei* lib. VII. c. 4. Quamquam inter Acatholicos ipsos Chemnitius, Rivetus, Dallaeus, aliique honorem aliquem reliquiis exhiberi turpe non judicent. Frustra tamen Dallaeus *de Religiosi cultus objecto* lib. I. c. IV. onus probandi assumit, religiosum cultum, quem cum Latria permiscet, reliquiis non esse exhibendum; nam cultum hunc reliquiis nemo Catholicorum tribuit, sed plane condemnat, reprobatque. Confer le Fevre ch. IV. §. IV. Grancolas *Les anciennes liturgies* tom. II. pagin. 77. sequ. Launojum *de cura Ecclesiae pro Sanctis, et Sanctorum reliquiis ab omni falsitate vindicandis*, Mabillonium *de cultu Sanctorum incognitorum*.

§. LXXV.

Imaginum usus.

Imaginum usum prioribus tribus Ecclesiae saeculis fuisse rariorem, eorum temporum disciplina exigente, ne vel Judaei a suscipienda Christi religione avocarentur, aut gentiles de rebus nostris parum instructi idola a nobis non minus, quam ab ipsis coli objicere possent, ultro lubenterque damus. Dei vel Trinitatis imagines diuturno tempore haud fuisse in Ecclesia usitatas ingenue fatemur, immo vigente jam Iconomachorum haeresi Gregorius II (Epist. I. *ad Leonem Isauricum*) scripsit: Patrem Domini nostri Jesu Christi nos oculis non subjicere, nec pingere; qua de causa reperire est adhuc Theologos asserentes has potius in Ecclesia tolerari, quam approbari (*), quamquam ipsaemet superstitionis nihil in se contineant, quum non ad exprimendam, ut in se est, Divinam naturam, sed ad species visibiles repraesentandas, quibus Divinae Personae apparuerunt, a nobis assumantur in usum: quo sensu nec Lutherani ipsi eas reprobant (**). Pictas insuper

(*) Hesselius *in Catechismo explicat. Decalogi* cap. V. Bellarminus lib. II. *de Sanctorum reliquiis: an habendae sint hujusmodi imagines*, inquit, *id esse in opinione.*

(**) Cl. Fratres Wallemburgici *de unitate Ecclesiae* lib. XII. *de imaginibus Sanctorum* c. XXXVII. n. 8. inqui-

imagines statuis antiquiores esse, illasque magis a Patribus, et Theologis approbatas fuisse inficias ire non possumus; et de his postremis nonnulla apparent in antiquitate vestigia (*). Immo Heterodoxorum bene multi tenent haud illicitum esse vel imagines habere, vel statuas, atque etiam Christi et Apostolorum imagines domi retinent, et Sanctorum praesertim veteris testamenti; tum Parentum, Principum, amicorum, nec non eorum, qui sive de litteris, sive de Republica bene meriti sunt (**).

§. LXXVI.

Christi, Virginis, Sanctorum habere imagines non modicam utilitatem affert, eae namque sunt veluti rudium libri, atque vel ad cognoscendam utriusque foederis historiam, vel memoriam ejusdem renovan- Licitus est.

---

unt: *Lutherani tenent licite fieri, et haberi Dei imagines, Beza eas ipsas ad adiaphora referente*; atque ita inter caeteros sentit Chemnitius *exam. Conc. Trid.* par. IV. p. mihi 37.

(*) Eusebius lib. VII. *hist. Eccl.* cap. XVIII. narrat, mulierem e sanguinis effluvio a Christo Domino curatam ob beneficii memoriam eidem erexisse statuam: *ad cujus pedes in ipsa basi ignota quaedam nasci dicitur planta, quae ad fimbriam usque aeneae diploidis assurgens depellendis omnis generis morbis praesentissimum remedium est. Hanc statuam Jesu Christi speciem referre ajebant. . . . nosque adeo urbem illam ingressi conspeximus.* Quae ab Heterodoxis adversus hujus historiae veritatem proponuntur, solvi breviter lib. III. *de Verbo Dei incarnato*; ubi etiam plura, quae adversus Sanctorum, et imaginum cultum objiciuntur, argumenta revicta reperies.

(**) Lutherus *adnot. ad caput VII. Deuteronomii* inquit: *Tertius furor est, quod prorsas omnes imagines perdant, cum Moyses solum de iis praecipiat, quae coluntur, et quibus fiditur: id quod non modo textus indicat, et intentio primi praecepti, cum dicit non esse Dei similitudinem faciendam ad adorandum; alias autem imagines quam Dei, tum quae non adorantur, nusquam prohibet Deus.* Calvinus *in Catechismo pro Genevensibus* loquens de praecepto non faciendi idolum, ait: *prohibetne in totum ne aliquae pingantur, aut sculpantur imagines? Resp. Non: sed duo tantum hic vetat, ne quas faciamus imagines, vel Dei effingendi, vel adorandi causa.* Plura Heterodoxorum testimonia videantur apud le Fevre cap. IV. §. V.

dam inserviunt. Ideo etiam in templis collocantur, ut eorum virtutes ad memoriam revocemus, et imitari omni studio conemur. Quamobrem earumdem usum licitum esse dubio caret; quod certius apparebit cuilibet consideranti, eas jam antiquitus in usum fuisse assumtas. Tertullianus (Lib. *de pudicitia*) imaginis boni pastoris depictae in calice meminit, deperditam ovem deportantis ad ovile, et quamvis jam factus Montanista hunc usum, qui in mentem revocabat veniam fore lapsis concedendam, omnino non approbet, praxim tamen Ecclesiae sui temporis satis ostendit. Eusebius (Lib. III. *de vita Constantini*) narrat Constantinum Imperatorem curasse boni pastoris, et Danielis imagines in fontibus collocari. Imaginum usum probant insuper Gregorius Nyssenus (Lib. *de Filii, et Spiritus Sancti Divinitate*), Joan. Chrysostomus (*Orat. in S. Meletium*), Hieronymus (In *Caput IV. Jonae*), Ambrosius (Epist. LIII.), Augustinus (Lib. XXII. *contra Faustum*), aliique plures; cum Acatholicorum plures retineri posse imagines scribant (§. praec.), earum usum haud malum esse ex eorummet confessione fit manifestum.

§. LXXXVII.

Doctrina Ecclesiae de Imaginum veneratione.

Quoniam Heterodoxi absurda multa in veneratione imaginum Catholicis affingunt, genuinam Ecclesiae doctrinam Patrum Tridentinorum verbis exponere necessarium duxi. *Imagines porro Christi*, ajunt (Sess. XXV.), *Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas, et retinendas, eisdem debitum honorem, et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis Divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab iis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentilibus, qui in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur, id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicenae Synodi decretis*

contra imaginum oppugnatores est sancitum. In Romano Pontificali, ubi de imaginum benedictione, honore, qui ad prototypa refertur, eas esse venerandas clare decernitur: *ut*, *quicunque coram illa* (imagine) *ipsum gloriosissimum Apostolum tuum, vel Martirem, Confessorem, aut Virginem suppliciter honorare studuerit, illius precibus, et obtentu gratiam in praesenti, et aeternam gloriam obtineat in futurum. Per Dominum Nostrum Jesum Christum filium tuum.*

Scholion. Doctissimi Fratres Wallemburgici, *de articulis necessariis* cap. LXIX. n. 17. ajunt, *quod si contineamur inter terminos Tridentinos assentientem habemus Dallaeum*, *aliosque ministros*; et revera Dallaeus ideo venerationem imaginum vellicat, quod judicet *cultu aut servitio Religioso*, *adoratione Latriae analogicae a nobis coli*: quod falsum esse ex PP. Tridentinorum doctrina apparet. Caeterum cap. VII. eum imaginibus non denegat venerationis gradum qui debitus est instrumentis omnibus Religiosis, sicut personis et rebus Ecclesiae, Presbyteris, calicibus, et libris sacris, quos omnes vocant venerabiles. Confer eosdem Wallemburgicos *de unitate Ecclesiae* lib. XII. *de imaginibus Sanctorum* cap. XXX. et seq.

§. LXXVIII.

Secundum quam sunt venerandae.

Imagines non propter ipsas veneramur, sed prototyporum causa (§. praeced.), quemadmodum honor imagini summi Principis exhibitus ad Monarcham ipsum refertur. Porro tantum abest, ut veneratio haec superstitionem redoleat, immo etiam Scripturae, et traditioni consona est. Nam Arca foederis, licet res esset inanimis, quoniam Dei figura erat, ab Hebraico populo summa veneratione habita fuit (Josue VII. 6.). Ecclesiae traditionem exposuerunt Patres II. Nicaenae synodi (Act. IV.), in qua Iconomachorum haeresis diris devota fuit, et anathemate confixa.

Scholion. Candide fateor, nonnulla a PP. VII. OEcumenicae synodi allata veterum testimonia emunctae naris criticis videri supposititia; nihilominus

tot indubia, et genuina produxere, ut ad Catholicum dogma constabiliendum abunde sufficiant. V. Fleury *Hist. Eccles.* lib. XLIV. num. 34. Verum quidem est, PP. Francofordienses, et Synodum Parisiensem an. 826. celebratam reprobasse, quae in septima synodo de imaginibus sancita fuerunt; at errore facti decepti sunt infida usi versione, secundum quam judicabant Nicaenos Patres approbasse haec Constantini Constantiae Episcopi verba: *Suscipiens, et honorarie amplectens sanctas, et venerabiles imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali, et vivificae Trinitati emitto*: quum legendum esset: *et adorationem, quae fit secundum latriam soli supersubstantiali, et vivificae Trinitati emitto.* Scio Dallaeum reponere, inverosimile esse nullum Graece scivisse, aut saltem errorem, si fuisset, Theophylactum et Stephanum in Synodo Francofordiensi praesentes, quique Synodo VII. interfuerunt, debuisse detegere. At cum de facto constat, non est locus conjecturis. Forte Theophylactus, et Stephanus parum eruditi erant, forte eos audire noluerunt, tunc enim Galli infenso erant adversus Graecos animo, eo quod praetermissa Rotrude Caroli Magni filia, et lingua Graecorum jam instructa, quam Irenes Imperatrix pro Constantino filio suo petierat, mutato consilio Mariam Armenam ei desponsaverat. Confer Fleury *lib. XLI. n.* 48. Idem dicas de PP. Parisensibus, qui tamen in epistola ad Ludovicum Pium eam imaginibus venerationem dant, quam Gregorius Magnus tum in epistola ad *Severum*, tum in altera ad *Januarium et Secundinum* iis attribuit.

§. LXXIX.

Encyclopaediae difficultates.

Ajunt Adversarii: quidquid Catholici dicant, certum est maximam eorum partem, imagines, ut in seipsis sunt, adorare, huncque cultum a Presbyteris, Monachis, Episcopis, ipsoque R. Pontifice approbari. Nam I. Quum personam honore dignam quis in sua imagine veneratur, quando ab ea gratias, et miracula petit, quaecumque sit imago, et quocumque in loco, tunc cultus imaginis, et prototypi idem est. Verum haec non viget praxis Romae? una B. Virginis imago plus gratiarum concedit, quam

altera; Papa ipsemet visitat non raro Virginis imaginem longo intervallo dissitam prae ea, quam in cubiculo habeat, aut in vicina Ecclesia, ut etiam fecit Benedictus XIV. Quis audeat asserere cultum hunc non esse imaginis, prout imago est? II. Virtus, quam imaginibus ad collum suspensis tribuunt Catholici, nonne declarat cultum imaginum, ut imagines sunt? III. Exodi XX. legimus: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in coelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, neque coles* (*). Itaque velint nolint Catholici, picturae ipsius cultores, adoratores, idololatrae sunt.

§. LXXX.

Enodatur.

At ubi caritas est, ubi justitia? Solemne est, non ignorant Adversarii nostri, Catholicis omnibus, iis maxime, quibus edocendi populum incumbit cura, Tridentinae oecumenicae Synodi decreta sequi et pro fidei regula habere. An non definitum fuit (§. LXXVII.), honorem, quem imaginibus damus, referri ad prototypa? Nec ab iis petendum aliquid, nec fiduciam nostram in iis esse collocandam? Quomodo itaque maxima Catholicorum pars omnibus, qui in Hierarchica dignitate sunt approbantibus, imagines ipsas, ut in se sunt, colit, adoratque? Verumtamen, nonne, ait adversarius, Catholici unam potius, quam aliam imaginem frequentant? Attamen et occasione etiam ejus, quam in cubiculo habent, vel in vicina Ecclesia ad Christum, Virginem, Sanctos mente saepissime assurgunt, et quamlibet in proportione, et ratione dignitatis, et excellentiae colunt, et venerantur. Porro quum ad dissitam Virginis accedunt imaginem, non picturam ipsam venerantur, non spem suam in ea ponunt; sciunt edocti a PP. Tridentinis, errorem hunc fuisse gentilium; sed ideo pergunt, quia Deus donorum suorum arbiter, in uno potius, quam in alio loco ex Virginis per Christi merita intercessione gratias suas

(*) Encyclopedie *ou dictionaire universelle raisonnè des connoissances humaines* Yverdon 1773. tom. 24. art. *Images*.

vult dispensare, quemadmodum Deus, etsi ubique praesens, singulari modo Israelitici populi preces se in templo velle exaudire promisit (II. Paral. VI. 12. seq.). Tum quod fidelium plurium accursus, eorumdem devotio, imago ad pietatem excitandam efformata nos excitant, ut preces nostras majori fervore fundamus, unde etiam movetur Deus, ut eas facilius exaudiat. Alterum minus urgere video. Quid? An exstimare possunt fideles in imaginibus, quas secum deferunt, virtutem inesse, quum nulla praeditas virtute dicant laudato loco Patres Tridentini? Deferunt autem secum, ut Virginis memoriam continuo refricent, ipsius praesidium invocent, terreanturque, ne quid in sermone, vel in opere, quod legi Divinae adversatur, committant. Ad postremum: si lege Divina imaginem nullam formare licet, cur Cherubinos in Arca, aeneumque serpentem exaltari praecepit Deus? cur ipsi Acatholici pictores, statuarumque artifices in sua communione habent, et ipsimet imagines domi retinent (§. LXXV.)? Quamobrem vel gentilium idola tantummodo vetuit Deus, vel praeceptum Exodi ceremoniale fuit solos obstringens Judaeos, quod et Grotius agnovit (*Annot. ad consult. Cassandri* pag. 624.). At quid non agit praejudicata hominum opinio! Hem! Christi, Virginis, Sanctorum imagines, quae vel ad recolenda Redemptionis mysteria, vel ad considerandas, ut imitemur, Sanctorum virtutes plurimum inserviunt, non pauci respuunt; at rerum profanarum imagines, earum fortasse, quae ad corrumpendos mores idoneae sunt, licere existimant.

Scholion. Abusus omnes, omnem superstitionem, omnem turpem quaestum in Sanctorum, Reliquiarum veneratione, et sacrarum imaginum usu a Pastoribus eradicandos esse, Patres Tridentini laudata *Sess.* XXV. praecipiunt. Unde iniquum est, abusus, qui irrepunt, velle Ecclesiae attribuere, dum illos disertissime reprobat. Forsan in Acatholicorum communione nulli plane abusus sunt? Ipsi si velint esse sinceri, reperiri non ibunt inficias.

CAPUT VI.

De Christo Legislatore novique Foederis institutore.

§. LXXXI.

Religionis Mosaicae interitus saepe annuntiatus.

Magnos celebrioresque Religionis eventus, ut qui veritati student, hallucinari haud possent, a sacris vatibus Deus praenuntiatos voluit. Tradiderat jam in Sina praecepta decem; haec quum ipsa legis naturalis officia complecterentur, nulli fuisse obnoxia mutationi dubium non est. Addidit autem mandata plura, quibus externus omnis legis veteris cultus innitebatur, quae ad tabernaculum, cui templum successit, sacerdotium, diversi generis sacrificia, festivitates, solemnitates, legalesque purificationes referuntur; cuncta haec ita sunt colligata, ut uno sublato auferri caetera debeant. Nam si eliminanda sint sacrificia, permanere nequit sacerdotium; si festivitates aboleantur, cadat publicus cultus necesse est. Porro frequentius nihil in Prophetarum oraculis, quam Mosaicam legem fore abrogandam. Audiamus Davidem (Psalm. L. 18.): *Si voluisses, sacrificium dedissem utique; holocaustis non delectaberis: tunc acceptabis sacrificium justitiae:* tum Isaiam (I. 13. et Amos V. 21. 22.): *Ne offeratis ultra sacrificia, incensum abominatio est mihi, noemeniam et sabbatum, et festivitates alias non feram, solemnitates vestras odivit anima mea.* Foedus novum non secundum illud, quod cum Hebraeorum Patribus pepigerat Deus, sanciendum esse annunciavit Jeremias (XXXI. 31. 32.), sacerdotium aliud instituendum, aliamque oblationem aperte declarat Malachias (I. 11.); arcam ipsam, veteris foederis centrum, non ob Religionis contemtum, sed illucescente salubrioris puriorisque doctrinae luce amplius non fore curandam, immo et oblivioni mandandam a Jeremia edocemur (III. 15. 16.). Quid, quod ipse Christus Dominus, praenuntiatus a Moyse novus legislator (§. I.), Religionis Mosaicae interitum, dum missionis suae obiret munus, frequenter annuntiabat? (Lucae XIX. Joan. X.)

Scholion. Judaeorum causam non juvat, quod ceremonialia praecepta *Exod. XII.* 17. et alibi dicantur statuta לעולם in aeternum; nam vox illa amplissimae significationis est; nonnumquam aeternitatem ipsam, aliquando saeculum, vel tempus, cujus finis non praevidetur, significat: immo et pro Jubilaeo accipitur, *Ex.* XXI. Sed quid multa? Cum ipse R. Abbo *Jkkarim serm. III.* quae ad legis immutabilitatem constabiliendam afferri solent Scripturarum testimonia pro diuturna temporis duratione accipienda esse ingenue fateatur. Plura hac de re scripsi *de Legibus* cap. XII. Confer Duguet *principes de la foy*, tom. II. part. I. c. 8. Adolphum Groll. *testis et doctor*, Gregorium Simon *de Religione* tom. II. sect. 3. art. 3. Jo. Hooke *Religionis naturalis, et revelatae principia* tom. II. art. 5.

§. LXXXII.

In cujus locum novam societatem Christus instituit.

Abrogato legis veteris externo cultu, et Synagoga ob summam caecitatem suam repudiata (§. XI.), auferendum erat secundum Salvatoris vaticinium a Judaico populo regnum Dei, et dandum *genti facienti fructus ejus* (Matthaei XXI. 43.). Ex communi autem Nationis perversitate, nonnullos eripuit, servavitque Dominus; atque eos inter eligit Apostolos duodecim, et discipulos septuaginta duos, novamque instituit Deum in spiritu, et veritate colentium societatem, intra Palestinae ambitum haud continendam, sed ad extremos usque mundi fines propagandam; ut omnes in idololatriae tenebris degentes promissam in Messia (§. I.) benedictionem consequerentur. Quod Isaias praenoverat ajens (LIX. 19.): *Et timebunt, qui ab occidente nomen Domini, et qui ab ortu solis gloriam ejus*, atque sub imagine rapidi fluminis vento agitati vehementissimo persequutiones vidit, quibus haec nova societas turbari debebat, et simul augeri.

§. LXXXIII.

Cui leges saluberrimas dedit.

Quam Christus societatem novam efformavit, discipulorum suorum ministerio plurimum propagandam (§. IV.), ut propositum sibi finem aeternae eorum felicitatis, et beatitudinis assequeretur, optimis saluberrimisque legibus communitam voluit. Atque

mirum profecto est, heterodoxorum columina Lutherum, et Calvinum hanc a Salvatore nostro praerogativam auferre voluisse (*); quum et sacri vates Messiam futurum legislatorem praenuntiaverint (§. XV.) et Paulus se in Christi lege esse, clarissimis verbis enuntiet (I. ad Corinth. IX. 21.). Sane nonne Christus summa, et legitima potestate praeditus fuit? Nonne praecepta justissima dedit, et ad bonum universi humani generis ordinavit (Joan. XIV. 21.)? Neque defuit sanctio; quum mandata servantibus aeterna praemia, poenasque finem nunquam habituras refractariis intimaverit (Matth. XXV.). Quid amplius, quaeso, ad verae legis constitutionem requiritur?

§. LXXXIV.

Brevis harum legum recensio, et I. in iis, quae ad Deum.

Nihil sublimius, perfectius nihil excogitari iis legibus potest, quibus institutam fidelium societatem erudire Christus voluit. Omnium officiorum basim, et fundamentum Deum ex toto corde, ex tota anima diligere statuit (Matth. XXII. 38.). Amorem

---

(*) Lutherus, et Calvinus perperam arbitrati solam fidem justificare, Christum legislatorem esse iverunt inficias; ille *de libertate Christiani* Christianum ab omni lege immunem esse per fidem affirmans; alter *comment. in Epist. ad Gal.* perniciosum errorem dicens Christum vocare novum legislatorem: at commentum istud heterodoxis non paucis displicuit, et imprimis Georgio Bullo, in *Harmonia Apostolica* dissert. I. c. 3. *Hoc ideo*, ait, *curiosius observandum, ne errorem erremus, quem Lutherus, et post eum nostratium Theologorum plerique in disputationibus suis de justificatione contra Pontificios nimio contradicendi aestu abrepti in Ecclesias reformatas maximo earum malo invexerunt, scilicet, Evangelium ex puris putis promissis constare, Christum dedisse mundo legem nullam ... ex iis principiis incautius ab iis positis, atque a Theologorum vulgo avide arreptis per necessariam consequentiam deducta fluxerunt execrabilia Antinomorum, Libertinorum, Familistarum, atque ejusdem farinae dogmata*; cui assentiuntur Ernestus Grabius, Hugo Grotius, Feverlini dissert. de Christo novo legislatore, Keufel. exercit. ad Grotium, et Encyclopaedia edit. Iverdon art. *peine.* Confer celeberrimum Carolum Antonium de Martini S. M. a consiliis Aulicis, et S. Stephani Equitem, Exercitat. *de lege naturali* c. 6. §. 231. Schol.

istum tum publica fidei professione (ad Rom. X. 10.), tum accurata, et diligenti mandatorum omnium custodia manifestandum jubet (Joan. XIV. 23.); Deum in spiritu, et veritate colere, et adorare (Joan. XIV. 23.), Augustissimum ipsius nomen celebrare laudibus, et venerari debemus (Matth. VI. 9.), Divinae justitiae nobis proponit timorem (Matth. X. 28.); sed simul in ipso veluti amantissimo Patre spes nostra omnis est collocanda (Matth. VII. 7. seq.); Regnum Dei prae ceteris omnibus inquirendum nobis est, et justitia ejus (Lucae XII. 31.), atque in singulis operibus nostris Dei gloriam animo contueamur, oportet (Matth. V. 16.); omneque adhibere debemus studium, conatum omnem, ut eam imitari curemus perfectionem, quae in Patre caelesti modo excellentissimo splendet, coruscatque (Ibidem 48.). Quam egregia sunt haec, et ad Deum, ut par est, venerandum opportuna!

§. LXXXV.

Quae ad proximum.

Egregia non minus, et bono publico consentanea sunt, quae erga proximos praescribit nobis officia. Mandat Christus, ut tanto prosequamur amore homines alios, quanto ipsemet nos dilexit (Joan. XIII. 34.); Caritas haec non unum populum respicere debet, sed universum humanum genus complecti, quemadmodum ex Samaritani parabola fit manifestum (Lucae X.); immo eos ipsos, qui nos odio habent, et persequuntur (Matth. V. 44.). Amor iste contentionem ignorat, non quae sua sunt, quaerit, sed aliorum, candorem unice spirat, et veritatem (I. ad Corinth. XIII. 4.): ira, qua incepit die, eamet finem habeat; oportet (Ad Ephes. IV. 26.); Judicium conceptum temere a Christianorum cordibus procul arcendum est (Lucae VI. 37.); quemlibet humanum, mitem, liberalem, misericordem, erga omnes pacificum esse jubet (Matth. V.), at quisque simul pro aeterna aliorum salute curam habere debet et sollicitudinem (Matth. XVIII. 15.); mores cujuslibet integri sint, incorrupti ad aliorum exemplum instituti (ibid. XVIII. 6.). Postremo obsequium, honorem, obedientiam, tributum, cui haec competunt, tribuantur (Matth. XXII. 21. ad Rom. XIII. 1. seq.). Felix Respu-

blica, felices homines, si haec Christi praecepta ad amussim servarentur!

§. LXXXVI.

Quae in Evangelica lege erga nosmetipsos praecipiuntur, hujusmodi sunt, ut sicuti caetera, ita et haec Divinam institutionem spirent. Edocetur quisque, quod sublimia Philosophorum ingenia ignorarunt; miserrimi, in quo vivimus, status causam esse Parentis primi lapsum, atque in eo omnes Dei gratiam perdidisse, incidisseque in damnationem; simulque percipit, quanto erga humanum genus amore flagraverit Deus, qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, ut ejus morte salutem consequeremur (§. LX. LVIII.). Quamobrem debet quilibet fiduciam suam in ejus meritis collocare, *nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. IV. 12.); unde tumor omnis, et superbia longe a nobis est eliminanda; quaecunque enim habemus, ea donum Dei sunt liberalissimum; *quid enim habes, quod non accepisti* (I. ad Corinth. IV. 7.)? in suis itaque meritis confidat nemo; sed gratiae Jesu Christi innixus suam speret salutem (Act. XV. 11.); quam gratiam ut obtineamus, oratio fide viva, et humili corde nobis est necessaria (Lucae XVIII. Matth. VI.), Deus enim superbis resistit, humilibus autem eam elargiri dignatur (Jac. IV. 6.). Nec quis arbitretur, posse secundum carnem vivere: nam *prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita, et pax* (Ad Rom. VIII. 6.): effugiat quoque mundi illecebras, quae non conveniunt iis, qui magistri exemplo crucem suam ferre patienter debent (Matth. X. 38.): corporis puritas sancte custodienda est; templum enim Dei sumus, et Spiritus Sanctus in nobis habitat (I. ad Corinth. III. 16.): summo odio peccatum est detestandum, atque in bonis operibus perseverandum; nam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Matth. XXIV. 13.). Quae ad nosmetipsos attinent.

Scholion. Praeclarissimas hasce Christi Domini leges mente continuo revolvamus, curemusque primorum Christi fidelium vitam innocentem imitari, cu-

jus gentiles ipsi Scriptores dederunt testimonium. Nam eorum singularem erga pauperes beneficentiam, morumque gravitatem commendat Julianus Apostata religionis nostrae infensissimus hostis Epist. ad *Arsatium* scribens apud *Sozomenum lib.* V. *hist. Eccl.* cap. 16. *Nutriunt Galilaei* (sic enim ex contemptu vocabat Christianos) *praeter suos*, *etiam nostros.* Plinius autem secundus Bithyniae gubernator *epist. ad Trajanum Imperatorem* asserit, Christianos, in quorum mores diligenter inquisierat, adulteria, homicidia, et reliqua ejusmodi crimina aversari, Christo tanquam Deo hymnos canere, cunctaque ex praescripto legum agere. Apud Eusebium *lib.* III. *Hist. Eccl.* cap. 33.

§. LXXXVII.

Leges ceremoniales et fidei.

Quod si a moralibus ad ceremonialia praecepta, quae Sacramenta legis novae, externumque cultum complectuntur, animum convertamus, pari sapientia fuisse lata, prudens ambiget nemo. Voluit Christus, ut quotquot societatem a se constitutam ingredi vellent, sacro baptismatis fonte initiarentur, ut publica hac fidei professione veterem exuere hominem, novum induere ostenderent, cunctaque velle ejus mandata observare declararent (Matth. XXVIII. 19. 20.); quibus peccatorum remissionem, ipsamque aeternam vitam adpromisit (Act. II. 38. Joan. III. 5.). Ut ad publicos Religionis actus stato tempore in unum convenirent, jussit (I. ad Corint. XI. Matth. XVIII. 20.); hymnisque, ac Canticis spiritualibus Dei laudes celebrarent (Ad Eph. V. 19.). Maximo amoris prodigio suo pretioso corpore, et sanguine nos voluit refectos (Joan. VI. 54.), uberrima Spiritus Sancti dona ad ejus fidem intrepide profitendam in Confirmationis Sacramento alligavit (Act. VIII. 15.), perspectamque habens hominis infirmitatem, peccata post baptismum commissa remittendi contulit potestatem (Joan. XX. 23.). Iis, qui sacris ordinibus initiantur, vel matrimonio junguntur, nec non ad extremum vitae decertant, gratiarum auxilia per determinata Sacramenta praeparavit. Trium personarum in personae unitatem dogma proposuit, quod non minus, quam Incarnationis mysterium fidelibus suis omnibus credendum mandavit.

Scholion. Mysteria, quae Christi lex ponit credenda, etsi rationem nostram superent, nobis tamen proficua valde sunt: haec enim humanam mentem Deo, ut par est, magis subdunt, atque ad considerandam ipsius sapientiam, infinitamque majestatem nos permovent, et nostrum adaugent meritum. Dedit etiam Christus in Evangelio consilia cum de perfecta paupertate *Matthaei XV.* 21. tum de relinquendis propter nomen suum, qui charissimi nobis sunt, et consanguinitatis vinculo constricti v. 39. nec non de servanda castitate I. ad *Corinth. VII. Matth. XIX.* 12. Hinc apparet hallucinatos fuisse Lutherum, Calvinum, Chemnitium, Buddeum, Gasparem Zieglerum, aliosque multos qui Evangelica consilia repudiarunt, admittunt tamen ex ipsis Acatholicis nonnulli, quos inter Grotius lib. I. *de Jure belli et pacis*, et Encyclopaedia Iverdon art. *Evangeliques conseils.*

§. LXXXVIII.

Philosophorum praecepta cum iis non comparanda.

Philosophos gentiles virtutes morales tradidisse, evolvisse, explanasse, immo nulla esse hujusmodi in Evangelio praecepta, quae jam pridem ab iis data non fuerint, opponere non cessant Deistae (Bolingbroke op. Vol. V. Freret, *examen critique des Apologistes de la Religion Chretienne*, Evremondius *examen de la Religion* ch. IV. §. 2. aliique). At immane quantum a veritate aberrant. Fuerunt Philosophorum Sectae Atheismum professae, quae discrimen omne boni, et mali moralis e medio tollebant, quae negabant providentiam, fatumque inexorabile inducebant. (De his Philosophorum sectis confer Cudvvorthi *systema intellectuale cum notis Moshemii*, Bruckerum *historia critica Philosophiae a mundi incunabulis ad nostram usque aetatem deducta.*) Adsunt, non ibo inficias, nonnulli Philosophi, qui de morali disciplina egregia praecepta tradidere, a perfectione tamen moralis Evangelicae plurimum distant (*): et reapse quotus Philo-

(*) Rousseavius ipse Deista *Emile* tom. III. p. 165. de Evangelio haec praeclara affert. Contempletis cum omni suo splendore Philosophorum libros, quod parvi sunt in comparatione Evangeli! fierine potest, librum tam sublimem simul et simplicem humanae mentis esse opus?

sophorum Deum unum esse colendum, ipsique soli serviendum publice docuit? quin etiam jam vigenti idolorum cultui inhaerendum esse sanxerunt; quis eorum, qui ante Christum Dominum vixere, asseruit unquam omne donum a Patre Luminum descendere? quis, ut virtutem habeat, humiles ad Deum preces fudit? Verbo dicam: qui moralis disciplinae perfectum systema tradiderit, inventum fuisse neminem. Atque, ut ait Lockius (*Christianisme raisonable* ch. XIV.) si daremus, quod tamen falsum penitus est, praecepta moralis Evangelicae cuncta ab isto jam vel illo sapiente cognita fuisse, maneret adhuc perpendendum, ubi ille esset, quonam modo his cognitionibus donatus fuisset, cujusve utilitatis humano generi esse potuisset; quibus diligenter perpensis, eorum nemo humanum genus sua doctrina illustrare, corruptosque mores emendare quivisset. Demus, repertum fuisse Stobaeum aliquem, qui praeclariora Philosophorum praecepta colligendi onus sibi imposuisset, ac quae Bias, et Solon in Graecia, Cicero in Italia, Confucius in Sinis, inter Scytas Anacharsis in corpus unum redegisset: cuncta haec authenticam hominum regulam haud constituissent; an ex Confucio praecepta haec suam depromsissent authoritatem? Zenó humano generi leges imponere potuisset? Nequaquam. Quamobrem eorumdem doctrina uti privati hominis considerata fuisset, quam homines secundum proprios adfectus, praejudicia, consuetudines accepissent, vel rejecissent. Caeterum cosmet Philosophos, qui Magistri morum optimi habentur, errasse in multis, si eorum systema penetres, facile deprehendes.

Scholion. Socrates, qui primus, ut ait Cicero, Philosophiam devocavit e coelo, et collocavit in urbibus, etsi unum Deum esse crederet, polytheismum docuit, ajens: primam legem esse Deos venerari; mortique proximus gallum Æsculapio sacrificandum voluit, solos Graecos fratres esse dixit, caeteros barbaros, et uti hostes habendos (apud Platonem *lib.* V. de *Republica.*). Platoni uxorum communitatem in rempublicam inducere placebat; foeminis ultra annum quadragesimum concipientibus vel abor-

tum procurandum, vel liberos exponendos praescribit; atque in suo de legibus opere numquam unius Dei meminit, inculcatque semper Deorum pluralitatem; imperite itaque scripsit auctor impius *du systeme de la nature*, Christum ad reformandam superstitionem Judaicam Platonis dogmatibus fuisse usum. Stoici tot laudibus ab incredulis celebrati, Deum, animam mundi, et materiam arctissimo colligatam vinculo subditamque fato asserebant, hominem libertate exspoliabant: quibus principiis omnis disciplina moralis licet verbis extollatur, re penitus tollitur. Licitum praeterea dicebant suicidium; nullumque de Diis habere timorem ad felicitatem pertinere, Zeno dicebat. Tam dementis superbiae erant, ut se pares Diis praedicarent. Vid. doctissimum Lelande *nouvelle demonstration Evangelique* tom. III. parte II. cap. IX., Plutarchum *de Stoicorum repugnantia*, Buddeum *de erroribus Stoicorum*. Confucius omnem in antiquo cultu innovationem vetat, in mundi gubernatione Deo associat spiritus inferiores, qui civitatibus, fluminibus, montibus praesident, iisque sacrificia offerri mandat, hominibus e plebe nobilioribus spiritibus sacrificare illicitum judicat. Litteratorum Sinensium pars superstitionibus plurimis dedita est. Confer Duhalde tom. III. p. 47. et seq. *histoire universelle par une Societé de Sçavants Anglois* tom. XX. pag. 90; pars altera Atheismum profitetur, vid. *Confucius Sinarum Philosophus sive scientia Sinensis*; quamobrem perperam in *specimine universalis historiae* eos plurimum commendat Voltairius. Sinensis populus fraudulentus est, mendax, ac infames et contra naturam libidines fovet. Confer Montesquieu *L' esprit des Loix* vol. II. lib. XIX. c. XX., P. Navarettum *in relatione imperii Sinensis*, et praesertim Lalande part. I. tom. II. c. XII. p. II. tom. III. c. IV. seq.

§. LXXXIX.

Lex Evangelica perpetuo est duratura.

Evangelica lex, non quemadmodum vetus, alterius umbra et figura est, sed veritatem ipsam annuntiat; Unigenitus Dei filius humana carne indutus eam tulit, promulgavitque (§. LXXXIII.); quae dedit praecepta moralia sanctissima sunt, perfectissima (§. LXXXIV. seq.), ceremonialia sunt

beneficentissima, nam gratiam Salvatoris elargiendo nos justos sanctosque reddunt (§. LXXXVII.); promissiones praemiorum quam sunt augustae! poenae legis praevaricatoribus comminatae quam sunt severae! (§. LXXXIII.) a peccati servitute redempti sumus, aeternoque Patri reconciliati (§. LII. LV.). Quamobrem cum neque nobilior expectandus sit legislator, nec meliora praecepta, nec majora beneficia, legem hanc ad finem usque mundi perduraturam dubio caret. At Christus ipse hanc nobis veritatem manifestavit, inquiens, pseudochristos, et pseudoprophetas esse, qui aliam doctrinam afferent; tum Evangelium suum in universo orbe praedicandum ait; neve quis novam attendat revelationem, mundi finem illico describit (Matth. XIV.)

Scholion. Delirant Mahumedani asserentes, quod sicuti annuntiato Evangelio lex Mosaica cessavit, ita promulgato Alcorano Evangelicae legis finem esse; insanum non minus eorum commentum est, Christianos a capite XVI. Evangelii Joannis abrasisse Mahumedis nomen, qui veluti alter Paracletus et Legislator a Christo designabatur; nullum enim afferre possunt antiquum codicem, nullum ex vetustis Patribus testimonium, unde id vel leviter evincatur. Qua de causa eos ut desperatae causae patronos suae inscitiae relinquimus.

§. XC.

Societati suae contulit Christus clavium potestatem.

Quam instituit Christus, Deum in Spiritu et veritate colentium societatem, eadem fide, eademque Sacramentorum communione devincitam voluit, *unus enim Dominus, una fides, unum baptisma*, inquit Doctor gentium Paulus (ad Eph. IV. 4.), *et in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus* (I. ad Corinth. XII. 13.), sive Judaei sive Gentiles, vel servi aut liberi eumdem Sanctificationis Spiritum in baptismo recepimus, in Ecclesiam inserti sumus, ac veluti connexa invicem membra unum corpus formamus. Porro cum societatem suam per universum terrarum orbem diffundi mandaverit (§. LXXXII.), et ipse visibili modo mansurus non esset in terris, ut civitati christianae deesset

nihil, quod praestitutis finibus responderet, claves ipsi tradidit regni coelorum, et solvendi, ligandique potestatem. Verum sive communem usum, sive Scripturarum consuetudinem attendas, eae jurisdictionis authoritatisve signum sunt non ambiguum; nam summis Principibus ad supremam eorum in civitate potestatem demonstrandam claves tradi consuetum est, ac clavium nomine in Apocalypsi (Apocal. III. 7. Confer Isai. XXII. 22.) summum in res omnes Christi imperium designatur. Ubi autem jurisdictio est et authoritas, ibi etiam ordo esse eorum debet, qui imperant, aliorum, qui obediant.

Scholion. Ex Acatholicis non pauci apud Hebraeos, Asur et Muthar ligare et solvere, nil aliud significare contendunt, quam aliquid licitum aut illicitum declarari a Doctoribus, quorum inauguratio veteri instituto claves tradendo fieri consueverat. Verumtamen Heterodoxus scriptor Camero *criticorum sacrorum vol. 6. annot. in Matth. XVI.* non diffitetur clavium traditionem in se inspectam auctoritatis, jurisdictionis, et imperii tesseram esse; cumque ut vidimus, ea sit sacrarum Scripturarum consuetudo, clavium nomine auctoritatem et imperium innuere, ad has potius, quam ad Judaeorum mores nobis est confugiendum (*). Ceterum eruditissimus Morinus *commentar. hist. de disciplina in administratione Sacramenti poenitentiae* lib. I. c. VIII. affirmat, antiquissimos Rabbinos Hillel, Sameam, Gamaliel, Eliezer, Achiba, Jose et alios, qui ante Christum, eo vivente, et post ipsius resurrectionem floruerunt, cum praecipiendi, prohibendi, permittendi, leges condendi aut eas moderandi, immutandi, abrogandi auctoritatem significare voluerunt, ligare et solvere fere semper dixisse, ita ut ista significatione, cum de his rebus quaestio est, nihil sit apud eos frequentius.

(*) Videsis Cel. Rautenstrauchii Abbatis instit. Juris Eccl. T. I. §. XVIII.

§. XCI.

Potestatem determinandi.

Ea est cujuslibet societatis natura et indoles, ut statuere et determinare debeat media, quibus ad se conservandam vel amplificandam pro locorum et temporum circumstantiis indiget; id si desit, turbabitur ordo, et ad sui dissolutionem societas tendat, necesse est. Itaque quum societatem instituerit Christus ubique locorum propagandam, eamque nexu et vinculo colligatam voluerit (§. praec.), dubium non est in accepta clavium potestate amplissima donatam fuisse potestate, ut media determinaret, quibus societatis bonum tueri, et promovere, ac unitatem in tot dissitis populis lingua, moribus, genio discrepantibus conservare posset. At quid multis opus est? Nonne Apostoli viri sanctissimi divinoque Spiritu afflati vi hujus a Christo concessae potestatis in Hierosolymitano concilio (*) determinarunt, liberos esse a Mosaicae legis jugo Christi fideles, quibus tamen mandant, ut ab immolatis Simulacrorum, sanguine, suffocato, et fornicatione abstineant? an non idem semper Ecclesia fecit? quot concilia, tot sunt validissima pro nostra assertione argumenta.

§. XCII.

Et leges ferendi.

Eum in finem consociantur homines, ut felicitatem, cujus connatum desiderium habent, assequantur: haec duplicis est generis; una praesentem vitae statum; altera, quae sola vera est, aeternam, ad quam conditi sumus, beatitudinem respicit; hinc duae enascuntur in orbe societates, et duae potestates. Quidquid ad pacem, bonum ordinem, publicam tranquillitatem attinet, id muneris est Principum, qui in eo sunt constituti a Deo, *ut quietam tranquillamque vitam agamus* (I. ad Timotheum II. 2.); quod vero ad animorum salutem

---

(*) Orta Antiochiae ob Judaeos dissensione, qui conversas gentes ad circumcisionem adigere volebant: *Convenerunt Apostoli et Seniores videre de verbo hoc* Act. XV. et facta inquisitione magna, ad determinationem mediorum, quae necessaria judicabant, devenerunt ajentes: *Visum est Spiritui Sancto et nobis* v. 28.

ducit, potestatis est Ecclesiasticae a Deo concessae *ad consummationem Sanctorum . . . in aedificationem Corporis Christi* (ad Eph. IV. 12.). Quo fit, ut constitutae a Christo societati plena ad finem suum obtinendum esse debeat legislatoria potestas. Et sane posuit Deus Episcopos regere Ecclesiam Dei (Act. XX. 23.); quibus fideles obedire, et se subjicere tenentur (ad Heb. XIII. 17.); qui eos audit, ipsum Christum audit, qui spernit, eumdem Salvatorem nostrum spernit (Lucae X. 16.); immo ea cum potestate Apostolos, eorumque successores se mittere asserit, quemadmodum ipse a Patre missus fuit (Joan. XX. 21.). Quamobrem Ecclesiae suae in potestate clavium, quae imperii tessera sunt (§. XC.) leges ferendi jus dedisse, per se clarum, apertumque est.

Scholion. Heterodoxorum plures, ii maxime qui e Jureconsultorum numero sunt, Apostolos ipsos nulla fuisse legislatoria potestate insignitos affirmant; quos tamen ex eorumdem gremio refutat Moshemius *instit. hist. Eccl.* Saec. I. p. II. §. 3. ubi in Scholio Fridericum quoque Spanhemium laudat *de Apostolis*, et *Apostolatu*. Hallucinatur tamen ajens illos ut Christi extra ordinem legatos hac potestate fruitos fuisse, qua Ecclesiam carere arbitratur. Nam qui societatem dicit, qua regatur, auctoritatem admittere debet; ea deficiente nec ordo, nec pax servari valet. Atque inde essentialem praetensae reformationis defectum quilibet prudens observabit. Nam si privato spiritu dimetiantur omnia, enasci necesse erat, quod Catholici primis Protestantibus objiciebant, nempe quot capita, tot fore sententias; unde etiam in sola Anglia triginta circiter diversae sectae exortae sunt; tum ex suis principiis ad Socinianorum castra pedetentim deduci; confer Bossuet *premier avertissement aux Protestans* §. 39. Quod nostrae aetatis experientia ostendit, qua multi ex Protestantibus jam Socinianismum propugnant. Inconstantia eorum adhuc se prodit, aliis potestatem sacram cum politica nexu indivulso cohaerere arbitrantibus, quemadmodum placuit Hubero *de Jure Civitatis* lib. I. sect. V. cap. 2., Christiano Thomasio *in cautela circa praecognita juris Eccle-*

siastici cap. 18., Henniges *de summa imperantium potestate circa sacra*, Gerardo Jo. Vossio *in dissert. epist. de jure magistratus in rebus Ecclesiasticis*: aliis e contra Synodo attribuentibus, ut ex Dordrechtana Synodo in Hollandia, et pluribus a Calvinistis in Gallia conciliabulis habitis fit palam. Georgius Ludovicus Boehmerus *princip. jur. canon. par. gen. de Eccles. et ejus jurib.* Ecclesiam jura collegialia habere autumat, potestatemque aliquam a summa potestate dependentem ei tribuit, leges etiam Ecclesiasticas nominat, quas tamen privatas nuncupat, si a Collegio fiant; pastoribus tamen vel jure proprio, vel Divino attribuere erroneum judicat; libr. autem II. *sect. III. tit.* 2. §. 230., inquit, in Ecclesia Romana ferre leges Ecclesiasticas jus esse Pontificis et Episcoporum, et exerceri cum Ecclesiae consensu. In Ecclesia Evangelica, ait, jus esse Domini territorii Evangelici, atque ipsi competere vi delatae Ecclesiasticae potestatis. Verumtamen haec jura propria undenam hausit Ecclesia, nisi a Christo, qui eam instituit? Ei itaque ex Christi institutione ita adhaerent, ut alteri nequeant concedi. Praeclare Ambrosius lib. V. *epist.* 55. *Quando audisti Clementissime Imperator in causa fidei laicos de Episcopis judicasse? ita ergo quadam adulatione curvamur, ut Sacerdotalis juris simus immemores, et quod Deus donavit mihi, hoc ipse aliis putem esse cedendum?*

§. XCIII.

Decidendi controversias. Christiana societas jus a Christo accepit determinandi media, quae ipsius utilitati inserviunt, vel conservationi (§. XCI.); cumque ea in parte, qua controversiae vigent, res nondum sit definita et determinata, fit ut, qui determinandi potestatem habet, definiendi controversias pleno jure polleat; quod evincit non minus concessa Ecclesiae potestas legislatoria, quae nationum politiorum consuetudine cum judicandi potestate conjuncta semper invenitur. Nam quum oporteat, eam esse nationum normam et regulam, atque instituta sit ad ordinem unitatemque corporis conservandam, debet etiam subditorum actiones ex authoritate dirigere, atque, quotiescumque emergant controversiae, dirimere, quibus manenti-

bus unitas facile discinditur, ordo, et tranquillitas perturbatur. Quam potestatem vindicasse sibi semper Ecclesiam omnium saeculorum historia prodit; arrogasse autem sibi, quod ipsi proprium non erat, nemo sapiens in animum suum inducit, ut credat.

SCHOLION. Sanctissimi primitivae Ecclesiae Episcopi obortis de fide, moribus, ipsaque disciplina controversiis, eas prout temporum ratio sinebat, vel seorsim, vel in provincialibus Synodis, et restituta Ecclesiae pace in oecumenicis Conciliis definiebant: qui mos antiquissimus et apud nationes omnes Christianas inveteratus eos hallucinari ostendit, qui Ecclesiam controversiarum judicem refugiunt. Quid, quod et ipsi Protestantes primi ad Concilium generale provocabant, et Calviniani adversus Remonstrantes Synodi Dordrechtanae auctoritate utebantur? Legas Bossuet *conference avec M. Claude*, P. Humbertum Hayer *La regle de foy vengè des Calomnies des Protestans* 2. parte sect. 2., Nicole *oeuvres des Controverses* tom. III. ch. XV. et seq.

§. XCIV.

Potestatis legislatoriae duae sunt partes, directiva una, coactiva altera; illa regula est et ordinatio, quae agendum aliquid vel praetermittendum jubet: haec, quae sanctio nuncupatur, est decretum, quod transgressoribus legis poenam comminatur. Itaque Ecclesia potestate ferendi leges a Christo Domino exornata (§. XCII.), cogendi etiam authoritate modo ipsi proprio, spiritualium nempe bonorum privatione, et exclusione a caetu, sive excommunicatione polleat, oportet. Quod etiam ostendit ligandi, solvendique facultas a Christo accepta (§. XC.), nec non ejusdem Salvatoris sententia, habendum veluti Ethnicum et Publicanum, qui Ecclesiae non obtemperaverit (Matth. XVIII. 17.). Quae perpendens Augustinus inquiebat (Lib. I. *contra advers. legis et Prophetarum* c. XVIII n. 36.): *Alligatur homo amarius et infelicius Ecclesiae clavibus, quam quibuslibet gravissimis, et durissimis ferreis vel adamantinis nexibus*: jam praemiserat, quasi Ethni-

Cogendi excommunicatione.

cum et Publicanum reputari, gravius esse, *quam si quis gladio feriretur, si flammis absumeretur.* Iisdem Christi oraculis edoctus Paulus *se in promtu habere omnem inobedientiam ulcisci* asserebat (II. ad Cor. X. 6.), neque iis, qui iterato peccarunt, se velle amplius parcere scribebat (*Ibid.* XIII: 2. et 10.), ubi ait: *ideo haec absens scribo, ut non praesens durius* ἀποτόμως *agam*, quod adverbium desumtum videtur a Medicis et Chirurgis, qui carnem emortuam, et putrescentem ad vivum resecant teste Estio (*comment.* in cap. I. *epist. ad Titum*); immo incestuosum Corinthium tradidit Satanae in interitum carnis (I. ad *Cor.* V. 5.); ex quo datur intelligi, excommunicandi potestatem, adhaerere Ecclesiae jure divino: quod agnoverunt Ephesini Patres (*Act. I.*) in Nestorium anathema intorquentes. *Dominus noster Jesus Christus*, inquiunt, *quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, eundem Nestorium dignitate privatum, et ab universo sacerdotum consortio, et caetu alienum esse definit.*

Scholion. Patres excommunicandi potestatem in Ecclesia esse unanimi consensu praedicarunt; atque sunt inter eos, qui arbitrantur excommunicationem poenae mortis legis Mosaicae violatoribus comminatae locum tenere. Cyprianus epist. 62. inquit: *Tunc quidem gladio occidebatur, quando adhuc et circumcisio carnalis manebat . . . nunc autem spiritali gladio superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit.* Similia habet Hieronymus *epist. prima ad Heliodorum.* Vid. Duguet *Conferences Ecclesiastiques* tom. II. dissert. 33. Petavium *de Ecclesiastica Hierarchia* lib. tertio cap. XIII. ubi adversus Salmasium ostendit, Episcopos poenae Ecclesiasticae infligendae jus habere etiam invitis, et praesertim celeberrimum Stephanum Rautenstrauch Abbatem et Praelatum Brzeunoviensem Theologicae facultatis Praesidem et Directorem in elaboratissimo opere: *Institutiones juris Eccl. Germaniae accommodatae*, tom. I. cap. II. III. IV. De his plura in jure canonico.

§. XCV.

Imperium a Christo institutum sacrum est.

Ubi legum ferendarum judicandi, et cogendi auctoritas est, ibi summum imperium esse concors omnium sententia est: haec autem cuncta in Christiana societate adinveniuntur (§. XCII. seq.), eoque in eminenti gradu, ut neque a quopiam mortalium dependeant, nec irrita reddi queant; ideo enim societatem suam Christus instituit, ut qui eandem ingrediuntur, ei se submittant, et qui eam audire recusaverit, veluti Ethnicus reputetur, alienus scilicet a caetu (§. praec.). Porro, quum ex indole, ac societatis fine, qualis sit imperii forma, noscatur, atque haec fuerit erecta ad Dei cultum promovendum, aeternamque felicitatem conferendam (§. XCII.), fit, ut imperium hoc mere sit sacrum, atque ab alio distinctum, quod ad ordinem et tranquillitatem in terrena Republica conservandam a Deo fuit constitutum.

Scholion. Utrumque imperium sacrum et civile est in suo genere summum, et ab altero independens. Unde Osius Cordubensis apud Athanasium *in Epist. ad vitam solitariam agentes* Constantinum Imperatorem his verbis alloquitur: *Desine, quaeso, et memineris te mortalem esse, reformida diem judicii, serva te in illum purum, nec te misce rebus Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipe, sed potius a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quae sunt Ecclesiae credidit, et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Divinae: ita et tu cave, ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo.* Consonat Gelasius R. Pontifex *epist. VIII. ad Anastasium Imperatorem*. Veritatem hanc ipsi Principes Augustissimi agnoverunt; nam Theodosius Epist. *ad Synodum Ephesinam* scribit: *Nefas esse qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis, et consultationibus se immiscere*. Nec duplex imperium ordinem et pacem turbare potest, dummodo utrumque intra sphaeram suam se contineat. Viderunt id non-

nulli ex sapientioribus Acatholicis. Vir enim eruditionis maximae Samuel Bochartus epist. ad De-Morley tom. I. op. edit. 4. pag. 992. de *Jud. Eccl. potestate* haec habet: *Duae potestates cum vel habeant diversa objecta vel circa eadem objecta aliter atque aliter versentur, quamdiu manent intra praescriptos limites, non sibi mutuo magis officiunt, quam planetae duo, quibus diversum coelum est assignatum.* Legendus etiam Cl. Wolfius *jur. nat.* p. 8. §. 955. in Scholio; quos opponimus merito Encyclopaediae Iverdon art. *Ecclesiastique puissance*, aliisque Acatholicis.

§. XCVI.

Et ministerio simillimum.

Quamquam potestate summa Ecclesiam suam condecoraverit Christus, voluit tamen ut haec humilitatem et caritatem haberet comitem, adeo, ut qui caeteris praesunt, jubentque, veluti aliorum servi ac ministri se gerere teneantur. Quarum virtutum Salvator supremus omnium Dominus exemplum dedit, cum se in mundum haud venisse dixit, ut in magno dignitatis fastigio constitutus, caeterorum obsequium et servitium reciperet, sed potius, ad ministrandum aliis (Luc. XXII. 27. Matth. XX. 28.); unde Apostolis dominium illud vetuit, quale inter Principes terrae esse solet (Matth. XX. 25. 26.); quod ipsi alta mente retinuerunt semper, caeterisque inculcarunt; nam Petrus (I. Petri V. 2. 3.) caeteris pastoribus humilitatem, caritatem, patientiam insinuat; Paulusque affirmat Christi legatos esse fidelium servos per Jesum (II. ad Corinth. IV. 5.); atque ipsemet, ut quam gerebat fidelium curam, et sollicitudinem exprimeret, comparat amorem suum nutrici proprios filios foventi, cupit pro eorum salute animam suam dare, affirmatque se uti tenerum Patrem gessisse deprecando, solando, dirigendo (I. ad Thessal. II. 7. 11. 12.). In rem nostram opportune Bernardus (Lib. II. de Consider. cap. VII.): *O praeclarum ministerium, quo id non gloriosius principatu? Si gloriari oportet, forma tibi Sanctorum praefigitur, Apostolorum proponitur gloria.* Hanc ob causam Romani Pontifices, qui caeteris in Ecclesia dignitate et authoritate praestant, Servos servorum Dei semetipsos nuncupant.

Scholion. Id non officit potestati, quam Ecclesiae tribuimus (§. XCIV.), quandoquidem pater etiam, qui filios suos amore prosequitur, corripit punitque errantes. Sed tantum datur intelligi, poenas esse infligendas *studio sanandi*, *non odio perimendi*, ut inquit Augustinus lib. III. *contra Parmenianum* c. 2. n. 15. quod non minus observavit Ambrosius lib. II. *de Officiis* c. 37. n. 135. *Cum dolore*, ait, *amputatur, etiam quae putruit pars corporis, et diu tractatur, si potest sanari medicamentis; si non potest, tunc a medico bono abscinditur; sic Episcopi affectus boni est, ut optet sanari infirmos, serpentia auferre ulcera, adurere aliqua, non abscindere: postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindendum*: ex quibus palam fit sacri imperii normam caritatem esse, et humilitatem. Legas Duguet *conference Ecclesiastique tom.* 2. *traitè des devoirs d'un Eveque.*

§. XCVII.

Hoc imperium Christus dedit Apostolis.

Imperium, quod Christus instituit, sacrum non singulis, qui societatem suam ingrediebantur, contulit, sed quibusdam delectis, ut pro ipso legatione fungentes cunctis nationibus Evangelium annuntiarent, credentibus peccatorum remissionem, aeternamque felicitatem pollicitarentur; ii Apostoli nuncupati sunt (*), quos ligandi et solvendi potestate exornavit (Matth. XVIII. 18.) ut gregem suum instruerent, pascerent, regerent, atque inobedientes poenis spiritualibus cogerent (§. XCIV.), et praesertim excludendo a fidelium, quem ipse erexit, coetu.

(*) Apostolus graecum nomen est, et idem ac missus. Hebraei tria habebant Apostolorum genera; quidam erant summorum Sacerdotum ministri, atque ad ipsorum mandata, quae religionem attinebant populo intimanda mittebantur: alii recipiebant tributum, quod aurum coronarium vocabant, a Judaeis annis singulis Sacerdoti summo pendendum; postremi hemisiclum colligebant, qui ab unoquoque Judaeorum templo solvebatur. Confer Richard *Dictionaire universelle des sciences ecclesiastiques.*

§. XCVIII.

Et praesertim Petro.

Nihilominus, ut rectus ordo, et fidei unitas servaretur, Petro Jonae filio Clavium potestatem modo singulari detulit, et super ipsum veluti firmam petram Ecclesiam suam aedificatam voluit. Nam ab Andrea fratre ad Christum deductus, Simonis in Cephae, sive Petri nomen immutare jussus est; et quemadmodum Abram, eo quod credentium Patrem Deus constituebat, Abraham vocari praecepit (Gen. XVII. 5.); ita Simon, quem Christus Ecclesiae suae Petram et fundamentum designaverat, Cepham, hoc est, Petram nuncupari jussit (Joan. I. 42.). Neque alterum fuisse Salvatoris nostri consilium inde luculenter patet, quod quum Petrus coelesti Patre revelante Christi novisset divinitatem, publicumque ejusdem testimonium dedisset, audire vicissim a Christo promeritus est: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam . . . . et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in caelis* (Matth. XVI. 16. seq.). Quae majorem prae ceteris Petrum obtinuisse dignitatem et authoritatem ostendunt, nec non universae Ecclesiae, ac Apostolorum ipsorum Principem fuisse constitutum.

Scholion. Fieri nequit, Acatholici ajunt, Petrum Ecclesiae fundamentum fuisse designatum, cum eodem in capite paulo post eumdem Satanam Christus vocet. Nihilominus haec validissimum, quod proposuimus, argumentum non infringunt. Nam Satana idem est ac adversarius, ille nempe, qui aliqua in re obstat aut resistit. Confer II. *Regum* XIX. 22. III. *Regum* V. 4. Porro cum Petrus a morte subeunda Christum avocare vellet, ejus hac in parte adversarius audiit. Tanto pro humani generis salute Christus amore flagrabat! At tunc adpromissus quidem Ecclesiae principatus ei fuerat, nondum collatus; necdum divina gratia in fide solidatus erat, quod contigit primo *Lucae* XXII. 32. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

§. XCIX.

Quod porro Christus adpromiserat, amplissimam clavium potestatem se ei elargiturum, atque veluti supra firmam petram et fundamentum ab ipso secundarium et ministeriale Ecclesiam suam aedificaturum, post resurrectionem suam impertivit. Etenim Christo postulante, an Petrus eum plus ceteris diligeret, ipsoque reponente: *Domine tu scis, quia amo te*; vicibus etiam ternis Salvator ut agnos ovesque suas pasceret, mandavit (Joan. XXI. 15. seq.) At vero, quum reliqui adstarent Apostoli, ipsique soli gregem universum regendi pascendique potestatem tribuerit, evidens est, jurisdictionem Petro datam tam amplam fuisse, ut in Apostolos ipsos, qui etiam Christi oves sunt, diffunderetur. Quod non minus primi ministerialis in Petro fundamenti ratio exposcit, et singularis ipsi facta (§. praec.) clavium traditio persuadet. Hanc ob causam Apostoli cum Petro veluti capite suo communionem retinere, et ab ipsis fundatas ecclesias edocere, ut illum Ecclesiae Principem agnoscerent, tenebantur.

Cui jurisdictionem in ceteros dedit.

Scholion. Acatholici non pauci praerogativam aliquam honoris, non tamen jurisdictionis collatam Petro agnoscunt. Lutherus *in disput. Lypsica* Petrum in ordine primum fuisse non denegat. Samuel Basnagius in *Annal.* ad an. 39. n. 29. Petro privilegium aliquod datum fuisse non it inficias. Blondellus in opere *de la primautè en l'eglise* affirmat, antiquitatem agnovisse S. Petrum caput collegii Apostolici. Verum Acatholici omnes ipsius primatus jure divino hostes sunt infensissimi: horum lucubrationes non paucas produxit Walchius Lutheranus Biblioth. Theol. selectae tom. II. cap. sect. V. XIII. §. X. Acatholicis hac in parte suffragarunt Graeci schismatici. Vid. Confessionem Ecclesiae graecae Lipsiae an. 1695.

§. C.

Majorem prae Apostolis caeteris dignitatem authoritatemque a Christo Domino Petrum recepisse plura adhuc sunt, quae demonstrant. Nam ipse omnium primus, ubi de Apostolis sermo est, nominatur

Quod ulterius ostenditur.

(Matth. X. 2. Marci III. 16. Lucae VI. 14.), quamvis Andreas ipsius frater ante ipsum fuerit vocatus (Joan. I. 40.); tributum Christus pro se ipso tantum et Petro solvi jussit (Matth. XVII. 26.); Petrus tamquam omnium caput et Princeps Judae proditoris loco Apostolum alium eligendum proponit, ac electionis modum (Act. I. 15. seq.); ipse Evangelium primus annuntiat (Ibid. II. 14. seq.), obortaque de legalibus controversia primus sententiam dicit, cui Jacobus et caeteri assensum praebuere (Ibid. XV. 7.)

§. CI.

Tum ex Patribus Graecis.

Petrum Apostolis reliquis praelatum, nec non universae Ecclesiae Principem fuisse constans est Patrum traditio: ac primum quantum ad Graecos Patres attinet, Origenes (*Comment.* in *Epist.* ad *Rom.* pag. 586. edit. Paris. 1759.) inquit: *Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum velut supra petram fundaretur Ecclesia, nullius alterius ab eo virtutis confessio nisi caritatis exigitur.* Eusebius Caesariensis (Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. XIV.) eundem nuncupat fortissimum et maximum inter Apostolos, et virtutis merito reliquorum omnium Principem ac Patronum. Cyrillus Hierosolymitanus (*Catech. II.* edit. Paris. 1720.) Principem et Apostolorum excellentissimum. Basilius Magnus (Tom. II. edit. novae p. 221.) discipulis omnibus praelatum dicit. S. Epiphanius (*Adversus haereses* lib. II.) electum a Christo discipulorum suorum Principem. Cyrillus Alexandrinus (Lib. XII. in Joan.) caeterorum caput et Principem vocat. Quanta vero occurrunt praeclara in eloquentissimo Jo. Chrysostomo ? pauca proferemus. *Petrus* (Tom. VI. p. 282.), inquit, *Chori illius Coriphaeus, et Apostolorum omnium, caput illius familiae, orbis totius Praefectus*: atque ad S. Mathiae electionem respiciens (*Hom. III. in Acta* n. 3.) de S. Petro haec memoratu digna profert: *Primus authoritatem habet in negotio, ut cui omnes commissi fuissent.*

§. CII.

Veritatem eamdem praestantissimi Latinae Ecclesiae Patres docuerunt. Quandoquidem Cyprianus (Lib. *de unitate edit. Oxoniensis*, quae adversariis non potest esse suspecta pag. 116.) allatis Evangelii testimoniis, quibus regni coelorum claves et pascendi authoritas Petro collatae fuere, subdit: *Super unum aedificat Ecclesiam suam: et quamvis Apostolis omnibus parem authoritatem tribuat . . . tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit.* Atque ad Januarium aliosque Numidiae Episcopos scribens (Epist. LXX.): *Una*, ait, *est Ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata.* S. Hilarius (*Canone XVI. in Matthaeum*): *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius Petra, quae infernas leges . . . dissolveret! O Beatus caeli janitor, cujus arbitrio claves aeterni aditus traderentur!* S. Ambrosius (*Lib. X. in Lucam* n. 175.): *Quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur . . . perfectiores ut perfectior gubernaret.* S. Hieronymus (*Lib. I. adv. Pelag.* cap. IV.), quemadmodum Platonem Philosophorum, ita Petrum Apostolorum vocat Principem, *super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est.* Optatus Milevitanus (*Adversus Parmenianum* edit. Dupinii pag. 102.) Petrum Apostolorum omnium caput Cathedram suam Romae posuisse affirmat, *Ut unitas ab omnibus servaretur, ne caeteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent.* Augustinus (Lib. II. *de Baptismo contra Donatistas.* Vid. *Enar.* in *Ps.* 108. et *tract.* 124. in *Joan.*) de S. Petro ait: *in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet.* Atque ne sim nimius, unum adhuc ex pluribus S. Leonem audiamus (*Serm. III. de assumptione sua*): *De toto mundo unus Petrus eligitur . . . . qui omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Praelatis praeponeretur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.* Et Latinis.

Scholion. Manet itaque demonstratum, Petrum ex Christi institutione Principatum in universa Ecclesia obtinuisse, atque in Apostolos caeteros jurisdictione fuisse insignitum. Neque assertioni nostrae detrahitur, quod Patres allata (§. XCVIII.) Christi apud Matthaeum verba non una ratione explicent, quidam petrae nomine confessionem fidei, alii Christum ipsum, alii Apostolos intelligant; nam iimet sensum litteralem, secundum quem Petrus designatur, admittunt. Immo arbitror, Petrum et a Christo, qui petra est, et primum Ecclesiae suae fundamentum, et a fidei confessione Cepham, et Petrum nuncupatum, Ecclesiae visibile caput, et fundamentum secundum, et ministeriale fuisse constitutum. Hinc apparet falsum omnino esse, quod in Encyclopaedia art. *Pape* habetur: verba, *Super hanc petram*, ad solam fundamentalem Divinitatis Christi veritatem, quam Petrus, aliique Apostoli praedicare debebant, esse referenda. Ex allatis jam Patrum Graecorum, et Latinorum auctoritatibus non minus patet, quanto in errore ejusdem articuli concinnator versetur scribens: non Origenem, non Cyprianum, non Hilarium, Hieronymum, Ambrosium, aliosque Patres, ullam praeeminentiam in laudatis Matthaei verbis Petro datam agnovisse. Ejusdem furfuris est, quod scribit, Christum, dum oves pascendas Petro commisit, in Apostolatus, a quo cum abnegando ceciderat, gloriam restituisse, et proinde defectus magis, quam praeeminentiae id esse argumentum. Verum quanto sapientius cum caeteris Patribus S. Jo. Chrysostomus? *Petrus sic abluit illam abnegationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus, eique totus terrarum orbis commissus fuerit.* Orat. VIII. *adversus Judaeos.*

§. CIII.

Haec potestas primatus dicitur honoris, et jurisdictionis.

Peculiaris Petro collata potestas primatus dici consuevit, atque jam saeculo quinto iisdem verbis ab Augustino fuit nuncupata (§. praec.); haec vero excellens praerogativa Christum habens institutorem (§. XCVIII. seq.) juris est divini. At non eum in finem Petro dedit, ut primus esset inter pares, vel in sola directione consisteret, sed ad unitatem in Ecclesia servandam, cujus eumdem constituit princi-

pium, et veluti centrum. Hanc ob causam ipsius muneris erat, fidei morumque doctrinam ubique servare inviolatam, invigilare caeteris, omnes pascere; cumque praecellentiori, et singulari penitus modo claves, imperii tesseram acceperit (§. XCVIII.), fit, ut, quotquot adverteret a sana doctrina deflectere, modo sacro imperio consentaneo cogere potuerit. Quamobrem Primatus Petri non honoris tantum est, sed etiam jurisdictionis, quae tam ampla fuit, ut in Apostolos caeteros (§. XCIX.) etiam se extenderet.

§. CIV.

Cui non officit Apostolorum contentio.

Nec Petri elevat primatum oborta inter Apostolos contentio, *quis eorum videretur esse major* (Lucae XXII. 24. seq.), ad quam consopiendam dixit Christus: *Reges gentium dominantur eorum . . . vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Nam primatum ambitione quaesitum, eaque administratum potestate, qualis inter orbis Principes exerceri solet, vetuit. Hinc ad sui exemplum Apostolos Christus revocat, qui licet summa in coelis, et in terra auctoritate pollens, nihilominus inter homines, quasi aliorum minister versabatur; atque si Apostolos omnes voluisset aequales, dixisset numquam, *qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Verumtamen cum Spiritus Sanctus super Apostolos nondum descendisset, fieri potuit, ut promissionis Petro factae de committendo ipsi Ecclesiae gubernio non meminerint, aut quod verborum Christi sensum non penetraverint, quemadmodum illis contigit, in sua, quam clare praenuntiaverat (Matth. XXI. 21.), et illi tamen ignorabant (Joan. XX. 9.), a mortuis resurrectione.

Scholion. In Encyclopaedia art. *Pape*, ex Christi verbis *Matthaei* XXIII. 8. *Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est enim Magister vester, vos autem fratres estis*, contenditur Christum Apostolis suis omnem auctoritatem inhibuisse; proindeque nec Petro contulisse primatum. Perperam: Quandoquidem Christus Apostolos suos Pharisaeorum Magistri, et Patris titulos ambientium imitari fastum, vanitatem, superbiam haud sinebat, et quanto majoris erant

apud homines auctoritatis, tanto humiliores esse cupiebat, eo quod, *qui se humiliaverit*, *exaltabitur*. In iis autem verbis: *Magister vester unus est Christus*, hic latet sensus, ego unus sum via, veritas, et vita, ego sum, qui omnes docet, et cuncta in sinu Patris novit; *Vos autem fratres estis*, nempe sub me magistro vestro coelesti constituti; unde aliam a mea doctrinam edocere non poteritis. Cumque etiam subdat, Patrem nolite vocare vobis super terram, palam fit, talem vetari, ne vocemus Magistrum, et Patrem, qualis Pater est, et Magister coelestis. Nec alter esse potest hujus loci sensus, quum Paulus seipsum gentium Magistrum vocet II. ad *Timoth.* I. 11. atque Doctores Ecclesiae commemorentur *Act.* XIII. 1. ad *Eph.* IV. 11. Quamobrem magistros, et doctores in Ecclesia non vetat Christus; quumque eodem in capite V. 11. dicat, *qui major est vestrum*, *erit minister vester*, dubitare nos haud sinit, aliquem constituisse inter eos auctoritate praecellentiorem, et primatus dignitate exornatum.

§. CV.

Nec Pauli Petro facta reprehensio.

A veterum doctissimorumque Patrum doctrina recedunt, quotquot Petri existimant officere primatui, quod Paulus eumdem a Gentilium mensa se subducentem, atque illis opinandi ansam praebentem, Legis Mosaicae opera ad salutem adhuc fuisse necessaria, publice reprehenderit (*). Ex hoc siquidem facto nil aliud ostendent heterodoxi, quam inferiores posse superiorem corrigere, dum ille, secus, quam veritas postulat, agit. Sane Cyprianus eodem, quo Petri agnoscit primatum, loco (*Epist.* 71. *ad Quintum*) eum collaudat, *quod consilium veritatis admisit*, *et rationi legitimae*, *quam Paulus vindicabat*, *facile consensit*; idem plane sen-

(*) Cepham a Paulo reprehensum, alium fuisse a Petro Apostolorum Principe, contendunt Bodeau, Harduinus, et postremo Cl. Iordanus Simon Augustinianus in dissert. *Cephas non Apostolus*, *sed discipulus*, *Antiochiae a Paulo reprehensus*, quibus tamen major Theologorum pars refragatur.

sit Augustinus eadem Cypriani verba proferens (Lib. II. *de baptismo contra Donatistas* c. 1.), qui *etiam sanctae humilitatis exemplum* Petrum dedisse agnoscit (*Epist.* LXXXII. *ad Hieronymum*). Assentitur Facundus Hermaniensis (Edit. 1679. pag. 151.), ajens : *Quod nec pro sui primatus gloria resistentem sibi Paulum despexit.*

Scholion. In Encyclopaedia haec adversus sententiam catholicam opponuntur : I. Paulus I. ad Corinth. I. eosdem increpat, quod dicebant : *Ego sum Pauli, ego vero Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi* : Si Petrus Ecclesiae fuisset caput, et Christi gessisset vices, eccur non potuissent Corinthii vocari Petri discipuli ? II. Paulus II. ad Corinth. XII. 11. caeteris Apostolis se non esse inferiorem scribit. At vitrea, immo fracta tela sunt ista : quandoquidem Apostolus Corinthios schisma inducentes merito carpit, subditque : *Divisus est Christus ?* quasi diceret : suntne plures Christianorum sectae ? An nos in nomine nostro Evangelium annuntiamus ? aut in nobis spem vestram locare debetis ? an pro vobis mortem subivimus ? *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis ?* Quamobrem etsi Petrus Ecclesiae caput fuerit, secundarium tamen, et ministeriale erat, nec ipse baptismi, gratiae, redemptionis auctor erat ; unde haud potuissent Corinthii ad eorum qui Christi se dicebant, distinctionem, se dicere Petri. Quantum ad alterum : In ratione Apostolatus, de qua Paulus loquitur, pares erant omnes Apostoli ; quamvis ad unitatem servandam Petrus aliorum caput et Princeps (§. XCVIII. seq.) fuerit constitutus.

§. CVI.

Petrus Romae fuit, et ibi mortuus.

Petrum Romae fuisse, ibique glorioso pro Christi fide martyrio diem ultimum clausisse, tam constans est traditio veterum, ut non pauci, a Romanae sedis communione alieni, rem hanc habeant exploratissimam (*). Enim vero, assertionis locuple-

(*) Inter Acatholicos Basnagius *in annal. Eccl. Polit.* ad an. 64. Petri in urbem adventum constanti adeo traditione fulcitum asscrit, ut de eo dubitari nequeat, quin

tissimi a remotissima antiquitate testes sunt, Ignatius (In Epist. ad Romanos, quam genuinam esse nobiliores critici demonstrarunt), quem cum Apostolis familiariter vixisse, ab iisque fluenta spiritualia hausisse, scribit Chrysostomus (Hom. in S. Ignatium); atque Antiochenae Ecclesiae Episcopum fuisse *ipso Petro manus ei imponente*, inquit Theodoretus (Dial. I. p. 33.); Papias Hieropolitanus, Joannis Evangelistae auditor (apud Eusebium lib. II. Hist. Eccl. c. XV.); Irenaeus S. Polycarpi Apostolorum coaetanei discipulus (Adversus haereses lib. III. c. I.); Dionysius Corinthiorum Episcopus (Apud Eusebium II. c. 25.); Clemens Alexandrinus (Ibidem c. 15.), Tertullianus (De baptismo c. IV.); Cajus Romanus presbyter (Apud Eusebium Lib. II. c. 25.); Origenes (Tom. III. in Gen. apud Eusebium lib. III. c. 1.), Lactantius (De mortibus persequutorum), ut silentio praeteream Cyprianum, Arnobium, Eusebium, Athanasium, Epiphanium, Optatum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum,

---

omnia historiae convellantur fondamenta. Caveus *hist. litter. Patrum*, voce *Petrus* inquit: *Petrum Romae fuisse, sedemque in ea aliquamdiu tenuisse, cum toto antiquorum coetu intrepide affirmamus.* Pearsonius, et Hammondus, ille *dissert. I. de success. primorum Episcoporum Romae* c. VI. iste *dissert. V. de Episcopis* c. I. regendae Ecclesiae Romanae immortuum fuisse Petrum constanter tenent. His assentitur Grotius tom. 4. op. p. 488., ubi cujusdam Borboritae argumenta retundens scribit: *Non sequitur, hoc vel illo anno Petrus Romae non fuit; ergo nunquam ibi fuit. Nam Apostoli huc illuc impavide cursitabant, atque nullus est annus., intra quem non potuisset Romam ire, et Jerosolymis redire.* Perperam etiam agunt, qui ex Patrum dissensu in consignando anno, quo venit Romam, Petrum nunquam Romae fuisse contendunt. Nam criticorum regula est, quod si factum agnoscatur ab omnibus verum, etsi in circumstantiis enarrandis varient, illud uti genuinum habendum sit. Et revera quid certius morte Christi? At quam dissonae sint in anno mortis stabiliendo Patrum, et Chronologorum sententiae, ignorat eruditus nemo. Quid plura? Sicut Calvini, et Lutheri asseclae, quo loco ii mortui sint, compertum habent, ita ignorare haud poterant celeberrimi, et vetustissimi Ecclesiae Patres, quo loco obierit Petrus. Qui inter Protestantes fassi sunt Petrum Romae fuisse recenset Fabricius *Sal. Lucis Evang. p.* 97.

aliosque plures, quorum etiam pars maxima vel Petrum Romae martyrio coronatum aperte asserit, vel in texenda Romanorum Pontificum serie a Petro veluti totius successionis stipite originem ducit.

Scholion. Nec ad infringendum Primatum Petri juvat, quod Patrum nonnulli affirment Paulum simul cum Petro Romae Episcopum fuisse; esto: quamvis non conveniant omnes, qua de re consulas, quae doctissime disseruit Petrus Habertus Vabrensis Episcopus lib. *de primatu Petri*; nihilominus Paulum Petro uti totius Ecclesiae capiti subordinatum fuisse, est affirmandum. Vid. Petrum de Marca *dissert. de singulari primatu Petri.* Thomassinum *de veteri, et nova Ecclesiae disciplina, part.* 2. *lib.* 2.

§. CVII.

Potestas Petri, et Apostolorum ad eorum successores transiit.

Primatus a Christo in Ecclesiae bonum institutus fuit, ut capite constituto schismatis amoveretur occasio, unitasque inviolata persisteret (§. CIII.). Porro, quum quidquid totius communitatis bonum, publicamque utilitatem respicit, id in ea debeat esse perpetuum; palam fit, Primatus Petri praerogativam haud fuisse soli ipsius personae concessam; sed ideo a Salvatore elargitam, ut in Ecclesia sua persisteret semper, ac ad Petri successores transiret. Quod non minus de ea, qua insigniti fuerunt Apostoli reliqui, tenendum est ordinaria potestate; quae cum in pascendo, regendo, ac media determinando, quibus Christiana civitas indiget, consistat; dubium esse nequit, quin etiam ad eorum successores pervenire debuerit, postulante Ecclesiae bono, ut qui dirigant, gubernent, determinent, in Ecclesia sint constituti.

Scholion. Major adhuc ad unitatem servandam post Apostolorum tempora Primatus necessitas fuit, quoniam magis semper diffusa fuit Ecclesia, neque Apostolorum Successoribus singulis adest peculiaris illa Spiritus Sancti assistentia, qua decoratus erat Apostolorum quilibet. Qui vero succedunt Apostolis tam amplam non habent, quam Apostoli ipsi auctoritatem; ii enim illimitatam habebant fundandi,

regendi, Episcopos per civitates constituendi auctoritatem, eorum vero successores peculiaris tantum Ecclesiae, si divisim considerentur, curam gerunt.

§. CVIII.

Inde in Ecclesia Primatus ex facto Petri annexus R. Sedi.

Quamobrem, quum Ecclesia ex Christi Institutoris voluntate ad saeculorum finem sit permansura (Matth. XXVIII. 20.), atque in ejusdem bonum, utilitatemque, ad unitatem fovendam, conservandamque Petrus obtinuerit primatum ad successores propagandum (§. praeced.), ac ipse Romam venerit, sedem suam fixerit, retinueritque usque ad mortem (§.CVI.); quumque, sicuti in muneribus publicis cunctis videre est, quae cum omnibus juribus ad successores pertranseunt, ita unius sedis Episcopus cum quantum ad characterem, tum quantum ad auctoritatem et jurisdictionem alteri succedat; res est plane explorata, Romanum Episcopum in omnibus Petri juribus succedere, et primatum honoris non minus, quam jurisdictionis in universa Ecclesia obtinere (*).

§. CIX.

Quod evincit traditio.

Veritati huic ex Patrum, oecumenicarumque Synodorum doctrina pondus accedit maximum. Romanam enim sedem, vel unitatis centrum vocant, aut caeteris auctoritate, quemadmodum caput membris reliquis, exercitui Ducem, gregi Pastorem, praeeminere ajunt, vel ad eam pertinere Ecclesiarum omnium curam, et sollicitudinem. Ex pluribus pauca delibabimus. Irenaeus (Lib. III. *adversus haeres. c.* 3.) *Ad Ecclesiam Romanam*, ait, *propter potentiorem principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam.* Athanasius, Felicis Rom. Pontificis implorans auxilium (Epist. *ad Felicem*) affirmat, Romanos Praesules in summitatis arce a Deo constitutos fuisse, atque ut Ecclesiarum omnium cu-

(*) Videsis Benedictum XIV. P. de *synodo dioec. L.* 2. c. 34. Cardinalem de Cusa *lib.* 2. *de concord. cath.* c. 1. Petrum de Marca *diss. de sing. Primatu Petri n.* 20. Rautenstrauchii Abbatis *inst. juris Eccl. T. I.* §. 112.

ram habeant, jussisse. Augustinus, et Patres LX. Milevitanae Synodi ad Innocentium (Epist. 176.) de Pelagio scribunt: *Arbitramur . . . . . auctoritati sanctitatis tuae ex Sanctarum Scripturarum auctoritate depromtae facilius eos qui tam perversa, et perniciosa sentiunt, esse cessuros.* Hieronymus ad Damasum (Epistol. 67.): *Beatitudini tuae, id est cathedrae Petri communione consocior.* Eximia non minus sunt, quae ab oecumenicis Conciliis depromuntur. Ephesini Concilii Patres (Act. I.) coactos se dicunt per Canones, et Epistolam Coelestini Romanae Sedis Episcopi ad depositionem pertinacis Nestorii. In Hadriani Papae epistola ad Tharasium approbata a VII. Generali Synodo, de S. Petro legimus; *Cujus sedes in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget, et caput omnium Ecclesiarum Dei consistit*: sed illustris imprimis est locus Concilii Florentini (*In decreto unionis.* Plura dabit Nat. Alexander saec. I. diss. IV.): *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, omnium Christianorum Patrem, et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur.*

Scholion. Nec ad Rom. Pontificis primatum labefactandum facit, quod Cyprianus scribit in *Epist. ad Quintum*: *Neque enim quisque nostrum se Episcopum Episcoporum constituit.* Haec enim de Africanis Episcopis in Synodo congregatis protulit, quos in proposita de Haereticorum rebaptismo quaestione, ut sibi subscriberent, haud adegisse ostendere voluit; sed quid haec ad elevandum R. Pontificis primatum? Nec heterodoxos juvat, Hieronymum, Gaudentium, Ephrem Syrum existimasse, Episcopos Apostolorum, et ipsius Petri esse successores; quandoquidem sicuti in Apostolica auctoritate pares erant Apostoli omnes et ipse Petrus; ita laudati Patres

Episcopos ipsi Petro succedere affirmant; attamen si Petrum veluti Apostolorum Principem, totiusque Ecclesiae caput perpendas, solos Romanos Pontifices hac in dignitate succedere Petro, constanter docent. Haud ignoro, adversarios praesidium in eo sibi quaerere, quod Gregorius Magnus nomen Episcopi universalis, quod arrogabat sibi Joannes Patriarcha Constantinopolitanus, veluti blasphemum et temerarium rejiciendum penitus affirmavit. Verum animadvertendum est, duplici modo Episcopi universalis nomen accipi posse: vel quasi unus tantum in orbe esset Episcopus, caeteri ejus Vicarii; vel quod aliquis sit in universa Ecclesia caeteris dignitate, et auctoritate praeeminens; illo, non isto sensu Episcopi universalis nomen repudiandum esse censuit Gregorius, qui Episcopos omnes Romanae Sedi, si errent, subjectos esse affirmat, Lib. IX. *epist.* ep. 59. atque *epist.* 12. *ad Joannem Episcopum Syracusanum*, Constantinopolitanam Ecclesiam subjectam esse Romanae, atque id et piissimum Imperatorem, et ejusdem civitatis Episcopum assidue profiteri scribit.

§. CX.

Nec inficias iverunt PP. Calcedonenses.

Existimandum non est, quod Acatholicos in ferendo de PP. Calcedonensibus judicio fallit, dignitatis praerogativam in Romano Pontifice unicam esse. Nam Romanae urbis Episcopus est, Rom. Provinciae Metropolita, Occidentis Patriarcha, atque uti Petri Successor universae Ecclesiae jure Divino caput, Doctor, et Pastor. Quare mirari quisquam non debet, memoratos Episcopos dixisse (Can. XXVIII.), Romanae *Sedi, eo quod urbs illa caeteris imperaret, privilegia tribuisse Patres*, ac aequalia se Constantinopolitano throno concedere: de Patriarchalibus enim privilegiis, quae humani juris sunt, habent sermonem. Caeterum si ad primatum, quem in universa Ecclesia Romanus Pontifex obtinet, convertamus animum, hunc a Patribus Calcedonensibus agnitum fuisse, aequus rerum aestimator nullus dubitet. Enimvero an obliti jam fuissent ante annos viginti eum solemniter ab Ephesinis Patribus agnitum fuisse (§. praec.)? An ignorassent Joannem Chrysostomum paucis ab habita oecumenica Synodo

Constantinopolitana I. annis ejusdem Sedis Antistitem, primatum Petri verbis magnificis depinxisse (§. CI.); damnatum opera Teophili Alexandrini in Synodo ad Quercum ad Innocentii I. Romani Pontificis praesidium confugisse (Epist. I. ad *Innocentium*) eumque rogasse, ut adversarios suos a communione separaret, seque in Ecclesiam suam restitui juberet? Annon ipsi Chalcedonenses Patres (Act. XVI.) Nicaeno, et Constantinopolitano perlectis canonibus affirmarunt: *Perpendimus omnem quidem primatum, et honorem praecipuum secundum Canones antiquae Romae Dei amantissimae conservari.* Ac, quod magis: nonne Leoni scribunt (In *epistola Synodica*): *Quibus tu sicut membris caput praeeras, in iis, qui tuum tenebant ordinem?* Agnovere itaque PP. Chalcedonenses Romani Pontificis primatum.

Scholion. De privilegiis quoque Metropoliticis, vel Patriarchalibus accipiendus est canon VI. Nicaenus, in quo Patres ex singulari, quam in Ecclesiis suburbicariis Pontifex Romanus exercebat potestate, ad stabiliendam similem, qua Alexandrinus Episcopus, in Ægypto, Lybia, et Pentapoli fruebatur, ducunt argumentum. Immo Paschasius Romanae Sedis in Concilio Chalcedonensi Legatus, eumdem canonem ad stabiliendum Primatum adducebat; *quod Romana Sedes semper habuit primatum*: scio quidem ex codice Oxoniensi Quesnellum legere *semper habeat primatum*; at majoris auctoritatis codices primam lectionem retinent, ut ostenderunt Fr. Ballerinii tom. 3. *op. S. Leonis.* Confer Duguet *diss.* 58. sur le VI. *canon de Nicée*, Lettre *sur la primautè de S. Pierre, et de ses successeurs*, atque Theologos Polemicos.

Pudeat jam Acatholicos dicere Romanum Pontificem esse Antichristum; hanc enim calumniam ex ipsorum gremio moderatiores, et magis cordati refutant. Vid. Grotii *appendix comment. ad Antichristum*, ejusdemque *votum pro pace Ecclesiastica*. Sed juvat adhuc Melanchthonis in epist. ad *Bellajum* verba proferre: *Concedunt nostri politiam Ecclesiae rem esse licitam, quod videlicet sint aliqui Episcopi, qui praesint pluribus Ecclesiis: item quod Rom. Pontifex praesit omnibus Episco-*

pis . . . . Quare, quod ad hunc articulum attinet de superioritate Pontificis, et de Episcoporum auctoritate non est dissensio, et facile retinere possunt auctoritatem suam Romanus Pontifex, et caeteri Episcopi . . . . prodesset etiam meo judicio Monarchia illa Romani Pontificis ad hoc, ut doctrinae consensus retineretur in multis nationibus.

§. CXI.

Inde II. in Ecclesia Episcopi Apostolorum successores.

Apostolorum itidem auctoritas ad eorum successores debuit pertransire (§. CVII.); atque quemadmodum ex Petri facto universae Ecclesiae Primatum Romanus Pontifex obtinet; ita Apostolis Episcopi caeteri, quos ipsis adhuc viventibus ad Ecclesiae constituerunt regimen (*), in dignitate et auctoritate succedunt. Rem planam faciunt verba, quibus suos Apostolos alloquutus est Christus: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, nempe sicuti ipse in mundum venerat, ut edoceret, instrueret, hominesque ad aeternam felicitatem deduceret, atque ut Evangelii sui praecones, fidelium pastores rectoresque disponeret, ita jussit, ut Apostoli eundem in finem Dei ministros Episcopos, eorum praeditos auctoritate eligerent, ordinarentque, quorum successio futura esset in Ecclesia perpetua. Germanam esse hujus loci expositionem addubitare non sinit Clemens Romanus Pauli discipulus, et Petri post Linum, Cletumque in sede Romana successor. *Apostoli*, inquit . . . . *acceptis mandatis Episcopos* . . . . *constituerunt* . . . . *et quid mirum, si quibus in Christo commissum est a Deo hoc munus, praedictos constituerint? . . . Ob eam ergo causam accepta perfecta praecognitione constituerunt supra dictos, et deinceps futurae successionis regulam tradiderunt, ut cum illi decederent, ministerium eorum ac munus alii viri probati exciperent.*

(*) Paulus Titum, et Timotheum Episcopos ordinavit, Joannem Evangelistam Episcopos constituisse narrat Eusebius lib. 3. *hist. Eccl.* c. XXIII. Polycarpum a familiaribus et ministris Domini Smyrnensis Ecclesiae Episcopatum accepisse tradit Eusebius *eodem libro*, cap. 3. tum Apostolos alios pro rerum opportunitate Episcopos constituisse, dubium non est.

Scholion. Episcopos successores Apostolorum esse universa traditio docet. Vid. Cyprianum *Epist.* 69. Firmillianum *epist. inter Cyprian.* 75., Basilium *epist. ad S. Ambrosium neoelectum Mediolanensem Episcopum*, Hieronymum *dial. adv. Luciferianos*, Pacianum *I. ad Simpronianum*, Augustinum de *civ. Dei* lib. XX. cap. 9., Gregorium Magnum *hom. XX. in Ev.*, Callixtum II. R. Pontificem, qui in Concilio Remensi Episcopos alloquens ajebat: *Vobis, qui locum, et officium Apostolorum in Ecclesia tenetis*, Eugenium IV. in *decreto pro Armenis*, Tridentinam Synodum sess. XXIII. cap. 4. Quanta dignitas; sed quantum pondus! unde ajebat Gregorius Nazianz. *Orat. I. tom. I. p.* 44. *Hic spiritalis omnis imperii finis est ubique, privata utilitate neglecta, commodis omnium consulere.* Et Bernardus lib. II. *consid.* c. VI. n. 13. *Si filius es Apostolorum, et Prophetarum, et tu fac similiter. Vindica tibi nobile genus similibus moribus.*

§. CXII.

Jurisdictionem proxime habent a Deo.

Equidem in eam, cui praesunt, Ecclesiam, Episcopos jurisdictionem a Deo habere, existimandum censeo. Etenim nedum Christus Apostolos suos elegit singulos (Lucae VI. 13.); verum etiam ligandi eis dedit, solvendique potestatem (§. XCVII.), atque ad constituendas, gubernandasque Ecclesias in universum orbem misit, quemadmodum ipse missus erat a Patre. In Judae proditoris locum, quum alter subrogandus esset, voluntas Dei precibus fuit explorata, electusque Mathias, qui missionem, auctoritatemque suam a Deo accepit (Act. I.): Paulus vero non ab hominibus, vel per hominem se Apostolum constitutum affirmat, *sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis* (Ad Gal. I. 1.). Nemo autem jure ibit inficias, Apostolos jurisdictione fuisse a Deo exornatos, nam ex potestate ligandi, et solvendi haec infertur clarissime, atque eadem usos fuisse ex pluribus Scripturae locis (I. ad Corint. V. VI. VII. XI. XIV. et II. ad Cor. I.) innotescit. Porro Episcopi sunt Apostolorum successores (§. praeced.); ac qui succedit alteri, hujus juribus fruitur (§. CVII.); quo fit, ut sicuti Apostoli, ita et Episco-

pi a Deo proxime auctoritatem, et jurisdictionem obtineant. Hujus veritatis testem habemus Gentium Doctorem (Act. XX. 28.): *Attendite*, ait . . . . *universo gregi*, *in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Regere autem quis non potest, si jurisdictione praeditus non sit.

Scholion. Joannes a Turrecremata lib. II. *summae de Ecclesia* existimat perperam Apostolos ipsos non a Christo, sed proxime a Petro jurisdictionem suam accepisse; hoc commentum Bellarmino quoque displicuit, refutavitque, qui tamen opinatur Apostolos a Christo, Episcopos omnes a R. Pontifice immediate jurisdictionem obtinere; id etiam praeter alios propugnat Mansius in *animadv. ad Nat. Alex. hist. Eccl. saec. I. diss.* 4. At Clerus Gallicanus consensu unanimi nostram propugnat sententiam; defenduntque Bossuet *defens. Cleri Gallicani* p. II. lib. XIII. cap. XI. Natalis Alexander loco laudato, Witasse *de Sacramento Ord.* Habert *de Eccl. Hierarch.* cap. V. Serry *Praelect. Theol. de conciliis praelect. IV.* Petrus etiam *Ballerinius de potest. Ecclesiast. sum. Pontif.* §. 2. aliique plures.

§. CXIII.

Non a Rom. Pontifice.

Quamobrem iis, qui Episcoporum jurisdictionem a Romano Pontifice proxime descendere autumant, adhaerere nequimus; neque in eo multum praesidii invenire possunt, quod Episcopi, antequam Rom. Pontificis rescripta obtineant, suas Ecclesias regere nequeant, aut quod sedis Apostolicae gratia se Episcopos nominent, vel quod Innocentius I. (*Ad Concilium Milevitanum* (Petrum nuncupet Episcopalis nominis et honoris auctorem, et Leo Magnus (Serm. 3. *in anniv. assumt. suae*) scribat: *Si quid cum eo* (Petro) *commune caeteris voluit esse Principibus*, *nunquam nisi per Petrum dedit*, *quidquid caeteris non negavit*. Enimvero, quantum ad primum attinet: Veteris Ecclesiae disciplina fuit, quemadmodum ex Canone Nicaeno IV. et Laodiceno XII. apparet, ut Episcopi consecratio, et confirmatio a Metropolita cum suae Provinciae Episcopis fieret: tum secundum hodiernam Ecclesiae consuetudinem Romani Pontificis confirmatio habenda est, veluti re-

quisita conditio, qua habita Christus Jurisdictionem Episcopis impertitur; ea ratione qua electo per Cardinales Rom. Pontifice a Christo Domino suam in universa Ecclesia jurisdictionem mutuatur. Sedis autem Apostolicae gratia circa saeculum XII. se inscripserunt primum Episcopi (*), ut suam pietatem, observantiam, et communionem cum Romana Ecclesia, unitatis centro, magis semper ostenderent. Innocentius inquit vero, Petrum fuisse Episcopatus auctorem, eo quod ipse primus designatus Episcopus fuit, atque cum eo veluti capite suo caeteri communionem servare tenentur. Leonis autem verba ita sunt intelligenda, quod Petrus suo aliorumque nomine Divinitatem Christi profitens causa fuit, ut reliqui ligandi etiam, et solvendi a Christo potestatem reciperent, quamvis ipse excellentiorem longe auctoritatem obtinuerit; alio si esponas modo laudatos Pontifices, fiet, ut Apostoli ipsi a Petro, non a Christo Jurisdictionem suam habuerint.

§. CXIV.

Praeter Apostolos instituit Christus 72. discipulos.

Delectis a Christo Apostolis duodecim, quos ad propagandam per universum orbem Legem suam Ecclesiae principes elegebat, atque vitae suae, miraculorum, doctrinae testes adhibebat, designavit insuper discipulos septuaginta duos, quos *misit ante faciem suam in omnem civitatem, et locum, quo ipse erat venturus* (Lucae X. 1.). Quo datur intelligi, eorum fuisse munus corda praeparare, spiritumque eorum, quibus Christus Evangelium annuntiare decreverat. Quaenam vero horum omnium nomina fuerint, nonnisi divinando assequi valeas; ut enim Eusebius inquit (*Lib. I. Hist. Eccl.* cap. XII. Confer tamen cum ipso Nicephorum Lib. I. cap. 21. seq.) *eorum series nullibi praescripta re-*

(*) Immortalis memoriae vir Mabillonius *de re diplomatica* lib. II. cap. II. §. X. primum invenit, Saec. XII. Eberhardum Bambergensem, qui in litteris ad Eugenium III. se nuncupavit Episcopum *Divina, et Apostolica miseratione*. Plura vero eorum, qui Sedis Apostolicae gratia se vocarunt Episcopos exempla ex Saec. XIV. profert. Vid. Thomassinus *de Vet. et Nov. Ecclesiae discipl. P. I. lib. I. cap. LX.*

peritur. Caeterum, quemadmodum eos Apostolis inferiores Salvator constituit, ita praetulit caeteris, qui doctrinae suae nomen dederant; nam plus quam quingentis fratribus post resurrectionem suam Christus apparuit (§. LXII.). Quapropter Ecclesiam ex sua institutione ex duabus partibus conflatam fuisse cognovimus; fidelis nempe populi, eorumque quos ad publicum ministerium delegerat, duodecim scilicet Apostolorum, et LXXII. discipulorum, quibus postremis dixerat: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* (Lucae X. 3.).

Scholion. Hallucinatus est Blondellus *apol.* pag. 113. rem certissimam esse scribens, LXXII. discipulos collegas Apostolorum fuisse, ac ipsorum aequales: *ut vel talpis caeciores esse oporteat, qui id non videant, vel cochleis hebetiores, qui negent.* Nam solis Apostolis Christus dixit, *sicut misit me Pater, ego mitto vos* (§. CXI.); solis Apostolis amplissimam, et illimitatam docendi, et baptizandi potestatem contulit, *Matth.* XXVIII. 18. Ipsi soli Ecclesiae fundamenta fuere constituti ad *Ephes.* II. 20. Ipsis solis Thronum assignavit, *Lucae* XXII. 30.

§. CXV.

Quibus successere presbyteri secundi ordinis.

Ubique, semper, et ex ipsa Christi institutione in Ecclesia fuere secundi ordinis pastores sub Episcoporum cura, et directione fidelium praesides: hujus veritatis habemus testem Apostolum Paulum Timotheo jubentem (I. ad Timot. V. 17.) *Ut qui bene praesunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, et doctrina*; atque in Epistola ad *Titum* (I. 5.) ideo Cretae eum reliquisse scribit, *ut constituat per civitates presbyteros*. At enim cum LXXII. discipuli a fideli plebe essent distincti, et ad publicum ministerium electi (§. praec.), jure affirmamus, quod sicuti Episcopi Apostolorum successores sunt (§. CXI.), ita secundi ordinis presbyteri septuaginta duorum discipulorum in Ecclesia occupent locum. Id scripto consignabant vetustiorum traditione edocti Ven. Beda (In *Evangelium Lucae* Lib. III. cap. X.); Hincmarus Rhemensis (In *instructione ad Parochos*

Rhemenses), Theodulphus Episcopus Aurelianensis (*In capitularibus* cap. I.), et Angelicus Doctor S. Thomas (3. *parte quaest.* 67. art. 2. ad 2.).

Scholion. Facultatis Parisiensis haec semper mens fuit, quae etiam nonnullos ad revocandas propositiones doctrinae huic contrarias adegit; hujus singula decreta commemorare longum esset. Vid. Juvenin *comment. historic.*, et *dogmatic. de Sacramentis* diss. IX. *de ordinibus in specie* art. 3. Drouven de *Re Sacramentaria* lib. VIII. sect. V. de *presbyteratu*, Natalem Alexandrum *Theol. dogm. mor. de Sacramento ordinis* cap. 2. art. 2.

§. CXVI.

Episcopis inferiores.

Apostoli Salvatore nostro ita disponente septuaginta duobus discipulis dignitate, et auctoritate praeeminuerunt (Schol. §. CXIV.); Apostolis autem Episcopi, discipulis secundi ordinis presbyteri succedunt (§. praec.); dubium itaque inesse potest nullum, presbyteros esse tum potestate, tum honoris amplitudine Episcopis inferiores. Quid multa? Episcopum presbytero superiorem esse demonstrat Paulus Timotheum dignitate Episcopali insignitum admonens (I. ad Timot. V. 19.), ne adversus presbyterum accusationem recipiat, *nisi sub duobus aut tribus testibus*; confirmatque Apostolus Joannes, unum tantum in Ecclesiis Ephesi, Smyrnae, Pergami, Thiatirae, Sardis, Philadelphiae, Laodiceae, in quibus plures erant presbyteri, memorans pastorem summum, quem et Angeli decorat nomine, cui dirigendi, emendandi, determinandi onus impositum erat, et a quo commissarum sibi ovium rationem Deus reposcebat (Apocal. II. III.). Quamobrem nullo non tempore Episcopos praeeminuisse presbyteris sacrae litterae docent.

Scholion. Aerius saeculo IV. Episcopatus, cujus desiderio exardebat, spe frustratus evulgare caepit Episcopum inter, et presbyterum discrimen inesse nullum. Vid. Epiphanium *haer.* 73. Augustinum *de haeresibus* cap. LIII. Eamdem ab causam errorem revocavit Wicleffus: his adhaeserunt Calvinus lib. IV. *instit.* c. IV. Blondellus *in apologia pro*

sententia Hieronymi de Episcopis, *et Presbyteris*, Salmasius *in apparatu ad libros de primatu Papae*, et in libro *de Episcopis*, *et presbyteris*, Maresius *in examine quaestionis de Episcoporum origine*, Buddeus in dissert. *de origine*, *et potestate Episcoporum*. Verum ex eorumdem Heterodoxorum numero multi sunt, qui Episcopos, Presbyteris jure Divino superiores agnoverunt. Usserius *de Episcop. et Metropolit. origine*, Hammondus *dissert.* IV., Bilsonus, Parcherus, Dodwellus, Pearsonius, Beveregius, Prideaux, Binghamus, alii. Inter Catholicos legendi praeprimis, Petavius de *Eccl. Hierarchia*, Natalis Alexander *dissert.* 44. sec. 4. Isaac Habert *in Pontificali Graecorum*, Witasse *de Sacramento ordinis*, aliique.

§. CXVII.

Presbyterianorum ex Scripturis argumenta.

Qui presbyteros inter et Episcopos perfectam statuunt aequalitatem, his innituntur argumentis. Paulus (Act. XX. 17.): *a Mileto mittens Ephesum vocavit majores natu* τοὺς πρεσβυτέρους *Ecclesiae*, *qui cum venissent ad eum*, *et simul essent*, *dixit eis*... *Attendite vobis et universo gregi*, *in quo Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Presbyteri igitur et Episcopi idem plane erant; ad Philippenses etiam scribens, Episcopos tantum salutat et Diaconos (Cap. I.), quod argumento est Episcoporum nomine Presbyteros voluisse designare. Quid? quod Thimotheum (Epist. I. Cap. III.) de vitae integritate, prudentia, doctrina Episcopis necessaria edocens, ad Diaconos statim convertit sermonem, ajens *Diaconos similiter pudicos*, *non bilingues* etc. an praetermisisset Presbyteros, si ii ab Episcopis distincti fuissent?

§. CXVIII.

Refelluntur.

Chrysostomi, aliorumque plurium cum Latinorum, tum Graecorum interpretum vestigiis inhaerentes asserimus, Ecclesiae initio Presbyteri et Episcopi nomen promiscue quidem acceptum; at si de praeeminentia et dignitate sit sermo, primi ordinis Sacerdotes, a Presbyteris semper fuisse distinctos. Nec ex nominis aequalitate parem quis debet semper aequalitatem auctoritatis dimetiri. Nam Paulus de se

aliisque episcopali dignitate fulgentibus scribit: *Ministri* διάκονοι *sumus ejus cui credidistis* (I. ad Corinth. III. 5. Vid. II. ad Cor. III. 6.). Christus ipse animarum nostrarum Episcopus a Petro (I. Petri II. 25.) et a Doctore gentium circumcisionis διάκονος nuncupatur (Ad Rom. XV. 8.): an Paulum Diaconis, Christumque ipsum Episcopis, Diaconisque haud praeminuisse contendent Presbyteriani? sed jam ad difficultates: Paulum in dignitate et authoritate Episcopos a Presbyteris secrevisse evincitur ex Irenaeo scribente (Lib. III. *advers. haeres.* c. XIV. n. 3.), Apostolum Episcopos convocasse et Presbyteros, qui ab Epheso erant, et a reliquis proximis civitatibus. Porro quod Doctor gentium in Epistola ad Philippenses Episcopos tantum commemoret, et Diaconos, ideo fieri potuit, quod in Ecclesiae exordio, fidelium numero nondum aucto, nonnullae civitates essent, quibus solus Episcopus cum Diaconis sufficeret. Quod si Episcoporum nomine Presbyteros intellexisse dicamus, causa tamen cadent adversarii; ex eadem enim epistola (Cap. II. 25.) fit palam, Epaphroditum Philippensium Apostolum, atque in majori apud eos dignitatis fastigio constitutum, tunc absentem fuisse. Tertium non urget; quandoquidem tantum abest, ut Presbyterorum collegio Ecclesiae regendae potestatem dederit, ut potius in unaquaque civitate Episcopum cum Diaconis constitui mandet. At inquis: eccur de Presbyteris silet Apostolus? quia omne, quod adest Presbyteros inter et Episcopos discrimen, in majori potestate et jurisdictione consistit, non in pietate, innocentia, virtute, quae Presbyteris non minus quam Episcopis debet esse communis. Quo fit, ut duos hos ordines quum de merito, non authoritate loqueretur, sejungere haud debuerit Paulus.

Scholion. Epiphanii tamen *haer.* 75. doctrina est, secundi ordinis Presbyteros numquam vocatos fuisse Episcopos. Theodoretus vero *comment.* in I. ad *Timoth.* Cap. 3. primis temporibus Episcoporum et Presbyterorum nomen commune fuisse judicat; sed eos, qui nunc vocantur Episcopi, tunc Apostolorum nomine fuisse decoratos. *Procedente autem tempore*, subdit, *Apostolatus nomen reliquerunt iis, qui ve-*

re erant Apostoli: Episcopatus autem appellationem imposuerunt iis, qui olim appellabantur Apostoli. Ita Philippensium Apostolus erat Epaphroditus: ita qui ab Hierosolymis, iis qui erant Antiochiae, scripserunt Apostoli, et Presbyteri. Confer Duguet *Conferences Ecclesiastiques tom. I. dissert. III. de la preèminence de l' Episcopat.*

§. CXIX.

Quod evincit traditio.

Ad Presbyterianorum systema funditus convellendum, ac praeeminentiam Episcoporum ab ipsis Apostolorum temporibus demonstrandam, eorumdem seriem, ac successionem continuam, quam primitivae Ecclesiae Patres contexunt, juverit adferre. Irenaeus (Lib. III. c. III. n. 1. et 2.) *Habemus*, ait, *annumerare eos, qui ab Apostolis constituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos*: et quoniam Apostolicarum omnium Ecclesiarum originem edere diuturni operis fuisset, eam, quae Ecclesiae Romanae est, affert; nec non Polycarpum, quem ipse in tenera aetate constitutus noverat Smyrnensem Episcopum ab Apostolis inauguratum narrat. Quis vero *Blondellum* asserentem ferat, Episcopos primos nulla praeeminentia praeditos fuisse, atque labente tempore eam jure tantum humano acquisivisse? Hoc enim discrimen proprio marte confinxit, ac ab Irenaeo refellitur, qui authoritatem Apostolorum, primorumque Episcoporum pervenisse eamdem usque ad sua tempora scribit (Lib. IV. cap. 33. n. 8.). Tertullianus vero Haereticos provocat, ut Ecclesiarum suarum edant originem *ita ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem, et antecessorem* (*Lib. de praescript.* cap. 32.). Quam praerogativam solius Catholicae Ecclesiae propriam esse affirmat. *Percurre*, inquit; *Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident . . . habes Corinthum . . . habes Philippos . . . habes Thessalonicenses . . . habes Ephesum . . . habes Romam* (Ibid. cap. 36.). Eusebius Jacobum Hierosolymorum Episcopum primum fuisse testatur (*Hist. Eccl.* lib. II. c. 1.), quo ad superos evocato in-

quisitum sedulo fuit, quis in ejus locum foret eligendus, atque *Simonem Filium Cleophae episcopali sede dignum judicarunt* (Lib. III. cap. 11.). Clemens Romanus Episcopos a Presbyteris secernit, illosque summos Sacerdotes vocat (*In Epist. ad Corinth.*). Hermas, cujus meminit Paulus (Ad Rom. XVI. 15.), Episcopos Ecclesiarum vocat praesides (Lib. III. *simil.* IX. n. 27.). Hanc Episcoporum supra Presbyteros praeeminentiam agnoverunt quoque Ignatius Martyr (*In epist. ad Magnesianos* n. 3. et alibi saepe), Hegesippus (Apud Eusebium lib. IV. hist. cap. 22.), Clemens Alexandrinus (Lib. III. pedagog. c. 12.), Origenes (Hom. II. *in Hierem.*), caeterique sequioris aetatis Patres.

Scholion. Blondellus testimonio fretus Eutichii Patriarchae Alexandrini contendit, Marcum Evangelistam duodecim Alexandriae constituisse Presbyteros, qui Patriarcha mortuo ex ipsorum gremio eligerent unum, cui reliqui undecim manus imponerent, benedicerent, et Patriarcham crearent; moremque hunc usque ad Alexandrum, qui Concilio Nicaeno interfuit, viguisse. Porro, addit, cum Eutichius idem narret, nullum ante Demetrii tempora in Ægypto Episcopum fuisse, palam fit, a solis presbyteris per duo saltem saecula totam Ægyptum fuisse administratam. Verum Eutichius iste, qui saeculo IX. primum vixit, nullam promeretur fidem; multis enim scatet anachronismis, veluti cum imperite scribit Origenem Justiniani Imperatoris temporibus vixisse, ac Mangabensem Episcopum fuisse. Caeterum hujus sacerdotalis Collegii institutio pluribus orientalibus, qui de Ecclesia Alexandrina scripserunt, ignota fuit. Severus in Cerdonis electione, qui tertius a Marco Patriarcha fuit, plebem orthodoxam, Sacerdotes, et Episcopos convenisse narrat. Falsum non minus esse comperimus, per saecula tria ex duodecim Presbyteris electum fuisse Patriarcham. Nam Agrippinus decimus Alexandrinus Episcopus e plebe Christiana fuit sive Laicus, Demetrius etiam, qui et uxorem habuit. Vid. *Historiam Patriarchatus Alexandrini* p. 20. Paradoxum non minus est in Ægypto ad Demetrium usque non fuisse Episcopos; nam historici Arabes, qui de Patriarchatu Ale-

xandrino scripsere, ad electionem Patriarchae ante Demetrium convenisse Episcopos constanter scribunt. Pamphilius apud Photium *cod.* 118. asserit Demetrium duas celebrasse synodos adversus Origenem, primam Episcoporum et aliquot Presbyterorum, alteram ex solis, qui sibi faverent Ægypti Episcopis, atque gravius severiusque de eo judicium latum fuisse. Immo nec Eutichius scribit *in provinciis Ægypti*, sed in *provincia* Ægypti, cujus nomine non tota regio, sed inferior tantum, quae Delta vocari solet, designatur; hanc Ægyptii appellant χημι, atque a Sahide sive superiore Ægypto distinguunt, ut ex epistolis Encyclicis post ordinationem Patriarchae conscriptis innotescit. Quamobrem fieri potuit, ut inferior Ægyptus a solo Patriarcha regeretur (etsi repugnent Arabes scriptores) dum superior haberet suos Episcopos, qui ad eligendum, consecrandumque novum Patriarcham convenirent. Vid. doctissimum Renaudotium dissert. *de Patriarcha Alexandrino* tom. I. *Liturg. Orientalium.*

§. CXX.

Cui non adversatur S. Hieronymus.

S. Hieronymus pares omnino ex institutione primaeva Presbyteros Episcopis existimasse, Presbyteriani rem esse exploratissimam affirmant: at perperam tanti Doctoris patrocinio sibi adblandiuntur. Enimvero Divinam Episcopatus institutionem, atque supra Presbyteros praeeminentiam non uno in loco ipse agnovit. Ac primum: haec Isaiae verba: *Ponam visitationem tuam pacem, et Praepositos tuos justitiam*: ita legit: *Ponam Principes tuos in pacem, et Episcopos tuos in justitiam* (*Comment. in Isaiam* cap. IX.) subditque: *In quo Scripturae sanctae admiranda majestas, quod Principes futuros Ecclesiae Episcopos nominavit.* In epistola vero *ad Evangelum* scribit: *Ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri testamento, quod Aaron et filii ejus et Levitae in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et Presbyteri et Diaconi vindicent in Ecclesia*; quamobrem sicuti in vetere, ita in novo foedere hierarchia Divino jure fuit instituta: immo S. Doctor sacrae ordinationis potestatem in solis Episcopis residere eodem in loco docet. Ad Marcellam autem scribens Apostolorum locum tenere

affirmat (Epist. XXVII.), atque adversus Luciferianos stilum acuens Ecclesiae salutem in summi Sacerdotis dignitate pendere tradit. Quo fit manifestum, S. Doctorem eosdem fuisse Episcopos ac Presbyteros scribentem, non ad rem ipsam, sed ad solum respexisse nomen.

Scholion. Difficultate sua non carent, quae Epist. ad *Evangelum* scribit S. Doctor: *quod autem postea unus electus est, qui caeteris praeponeretur, in schismatis remedium actum est*: atque in *comment. epist. ad Titum*: *Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur caeteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret*; immo addit, Episcopos, *magis ex Ecclesiae consuetudine, quam dispositionis Dominicae veritate* Presbyteris esse majores. Quibus reponimus, S. Hieronymum ad Corinthiorum Schisma respicere, dum eorum quilibet, *ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephae, ego Christi*, affirmabat, I. *ad Corinth*. 1. 12., quae epistola cum Blondello fatente anno LV. fuerit conscripta, videre nulla ratione possum, cur ipse Episcopatus initium anno 136. consignaverit. Quamobrem censeo, S. Hieronymum existimasse, ab initio in civitatibus solos Presbyteros constitutos fuisse, nuncupatos etiam Episcopos, sive superintendentes, qui, cum plures essent, nec ejusdem semper sententiae, enata inde sunt Schismata, ad quae exstirpanda unus in regendi dignitate par Apostolis, cui caeteri obedire tenerentur, electus fuit. Perperam tamen adversarii colligunt, vel Episcoporum non agnovisse necessitatem, vel eos existimasse humanae institutionis: non primum, quia Apostoli ipsi nullibi fixo domicilio suprema et Episcopali auctoritate illas moderebantur Ecclesias: non alterum, eo quod S. Hieronymus ipse Divinae institutionis Episcopos esse agnovit. Porro quod afferat Episcopos consuetudine potius, quam dispositionis Dominicae veritate Presbyteris praeeminere, secundum ipsius mentem intelligendum est, de modo scilicet exercendae jurisdictionis externae, qua fruebantur Presbyteri, dum Apostoli absentes erant, nullique Epi-

scopi constituti. Accedit his, S. Doctorem ut Presbyterorum supra Diaconos auctoritatem attolleret, de iis magnifice et quadam cum emphasi fuisse locutum. Caeterum peculiaris haec fuit S. Hieronymi sententia, quae etsi Presbyterianis haud faveat, nullo tamen satis solido fundamento inniti ostendit Cl. Duguet *dissert. sur le sentiment de S. Hyerome touchant l'Episcopat.*

§. CXXI.

Inde Hierarchia in Ecclesia exsurgit.

Hierarchia graecum nomen est a Ἱερός sacer, et ἀρχὴ principatus: est autem *potestas* personarum sacrarum ordinata debitum in subditos principatum retinens. Potestas haec solas respicit personas sacras, ad Dei enim cultum promovendum aeternamque hominibus felicitatem curandam fuit instituta; est autem ordinata, quum rectus ordo splendeat in harmonia admirandoque consensu, qui ipsos inter hierarchas regnat; nam gradus varii inter ipsos conspiciuntur; unus enim est, qui ad ordinem servandum suprema authoritate donatus est (§. XCVIII. CVIII.); alii sunt Ecclesiae principes a Christo delecti, ita tamen, ut capiti, quod constituit visibile, subordinentur (§. XCVII. XCIX. CXI.); hi vero dignitate et authoritate praeeminent aliis (§. CXIV. CXV. CXVI.), qui tamen caeteros Ecclesiae ministros potestate antecellunt. Porro quum principatus relationem dicat ad subditos, fit, ut Hierarchae secundum eam, quam obtinuerunt authoritatis praerogativam, praeesse debeant, et moderari; caeteri vero ad eis parendum teneantur. Hierarchia alia est ordinis, alia jurisdictionis; prima eorum complectitur gradum, qui potestatem habent conficiendi, aut distribuendi sacramenta, et bona caetera elargiendi, quae Deus Ecclesiae suae concredidit; altera vero auctoritatem secum fert, juxta quam modo suae potestati consentaneo coercere subditos valet.

Scholion. Hierarchiae nomen in usum assumtum novimus ab auctore *Ecclesiasticae Hierarchiae*; quem esse Dionysium Areopagitam perperam a non paucis fuit existimatum; opus enim illud posterioris aetatis foetus est, et quarto primum, vel quinto secu-

culo lucem aspexit. Nihilominus ἀρχὴν sive imperium, vel principatum viris ecclesiasticis, Episcopis praesertim antiquitus tributum fuisse evincitur ex Chrysostomo, qui hom. 34. in Epist. ad Hebraeos, Episcopos ἄρχοντας vocat, et Episcopatum molem imperii; Epiphanio asserente *haer*. 29. Regium thronum a Christo concessum fuisse Ecclesiae Sacerdotio, tum Gregorio Nazianzeno *Orat. I.* Ambrosio lib. *de dignitate Sacerdotali*, Ennodio *dict. V.* aliisque Patribus. Buddeus *Instit. Theol. dogm. lib. V. c. IV.* §. *L.* affirmat *Hierarchiae* vocem non occurrere in sacris litteris, atque ex modo operandi Salvatoris, Apostolorum, et antiquae Ecclesiae vocandam potius *Hierodiaconiam*; id apposite a Protestantibus responsum fuisse, dum Patres Tridentini adversus eos, qui Hierarchiam ibant inficias, fulmen vibrabant. Levem haec habent difficultatem; quandoquidem etsi nomen in sacris litteris non sit, adest tamen res ipsa. Enimvero Christus Dominus in clavium potestate Apostolis dedit, et praesertim Petro facultatem determinandi, leges ferendi, judicandi, coërcendi (§. XC. seq.), quibus vera principatus ratio et imperantium et parentium ordo constituitur. Caeterum cum imperium illud sit ministerio similius (§. XCVI.), atque ad distribuenda bona a Christo fidelibus concessa etiam institutum, cum Hierarchia Hierodiaconia conjungi potest: unde jure PP. Tridentini in Protestantes sacrum eliminantes principatum pronuntiarunt anathema.

Gregorius Nazianzenus *Orat. I.* viris in Ecclesiastica Hierarchia constitutis saluberrimum aureumque monitum dat. *Privatis quidem hominibus vitium illud habendum, esse malum, et supplicio digna facere: Principis autem et Praesidentis non vel optimum esse.*

§. CXXII.

Quae, ut juris est Divini, Episcopis, Presbyteris et Ministris constat.

In catholica Ecclesia Hierarchiam esse Divina ordinatione institutam, eamque Episcopis, presbyteris, et ministris constare definiverunt merito Patres Tridentini (Sess. XXIII. Can. VI.); quandoquidem perpetua haec fuit, constansque omnium saeculorum fides. Ignatius Martyr (*In Epistola ad Smyrnaeos*, et alibi passim) ait: *Episcopum sequimini, ut Je-*

sus Christus Patrem, et presbyterum ut Apostolos, Diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Clemens Alexandrinus (Lib. VI. *Strom.*) in Ecclesia esse affirmat *progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum.* Origenes (Lib. II. *in Epist. ad Rom.* c. II.), inquit, *Ecclesiarum et rectoribus et Principibus loquitur Apostolus, his videlicet, qui judicant eos, qui intus sunt, id est Episcopis, vel Presbyteris, et Diaconis.* Tertullianus (Lib. *de baptismo*), *baptismi dandi jus summo Sacerdoti, qui est Episcopus, deinde eodem jubente etiam Presbyteris, et Diaconis.* Cyprianus Carthaginensis Episcopus plures Presbyteris, et Diaconis inscribit Epistolas. Tres laudatos Hierarchicos ordines legere est in Epistola Synodi Antiochenae adversus Paulum Samosatenum (*apud Eusebium* lib. VII. *hist. Eccl.* cap. XXX.). Accedunt Cyrillus Hierosolymitanus (Catech. XVI.), Optatus (Lib. I. *adversus Parmenianum*), Chrysostomus (Hom. I. *in Epist. ad Phil.*), Hieronymus (*In Apologia adversus Jovinianum*), Augustinus (Lib. I. *de moribus Ecclesiae Catholicae*). Horum porro institutionem Divinam esse, dubium esse nequit. Enimvero Episcopi ex Salvatoris praescripto Apostolis succedunt (§. CXI.); et septuaginta duobus discipulis Presbyteri secundi ordinis (§. CXV.). Nec Divina institutio Diaconis deest, ut jam sumus ostensuri.

Scholion. Ordines caeteros jure humano sive Ecclesiastico fuisse institutos persuasum habeo; nam de Subdiaconatu et quatuor minoribus ordinibus altum est in Scripturis silentium, atque antiquiores Patres tres tantum laudatos ordines, ut divinae institutionis, commemorant. Quid? quod Urbanus II. P. M. in Concilio Beneventano id non ambigue docet: *Nullus*, ait, *in Episcopum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiose vivens fuerit inventus: sacros autem ordines dicimus Diaconatum, et Presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia, super his solis praeceptum Apostolicum habemus.* Accedit his, Graecos ex quatuor minoribus Ordinibus solum habere Lectoratum, quod etiam clarum est de Jacobitis Ægyptiis, et Syro Nestoria-

nis, ut ex eorum Euchologiis Cl. viri Martene, et Morinus observarunt. Confer Renaudotium tom. V. *perpetuitatis fidei* lib. V. c. 6. Haec de Hierarchia ordinis: quantum ad Hierarchiam jurisdictionis attinet, Ecclesiastici sunt instituti Patriarchae, Metropolitae, Archiepiscopi, Archipresbyteri, Praepositi, Decani.

§. CXXIII.

Diaconorum institutio.

Graecis conquerentibus in quotidiano ministerio eorum viduas despici, Apostoli hac oblata opportunitate sapientes viros septem, repletosque Spiritu Sancto elegerunt (Act. VI. 3.), atque orantes eis imposuerunt manus, ut majoribus gratiae donis cumularentur; qui Apostolorum agendi modus ad solum profanum ministerium electos haud fuisse palam facit. Ad quid enim, si mensarum tantum fuissent ministri, precibus, manuumque impositione, quibus nonnisi in maximis Religionis nostrae mysteriis ad Spiritum Sanctum conferendum utebantur, eos initiare opus fuisset? Quid? Nonne Stephanus Christum annuntiabat, atque eidem refragantes convincebat (Ibidem v. 9. et 10.)? Nonne Philippus ad fidem Samaritas adduxit, sacroque baptismatis fonte regeneravit (Act. VIII.)? Munus forsan ab Apostolis sibi impositum ignorarunt, aut potestatem sibi non collatam usurparunt? Æquus rerum aestimator dicet nemo. Paulus insuper ad Timotheum, et Philippenses scribens Diaconos Episcopis, et Presbyteris adjungit, easdemque ferme ab istis, quam ab illis animi dotes requirit; oportet itaque Diaconos ex Christi ordinatione ad sacrum ministerium assumtos fuisse. Quamobrem conveniens viduarum sustentatio occasio fuit, ut Diaconi eligerentur; sed causa nec unica fuit, neque praecipua. Quod si optimam, tutamque sacros libros interpretandi Ecclesiae consuetudinem consulamus, dubium manebit nullum; ad sacram enim Hierarchiam eos referunt vetusti Patres (§. praec.), atque nullo non tempore ad altaris ministerium sive in Graeca sive in Latina Ecclesia adhibiti fuerunt.

Scholion. S. Hieronymus arrepta institutionis occasione Diaconos mensarum et viduarum ministros

nuncupans superbiam eorum, et arrogantiam frangit; ad sacrum tamen ministerium adlectos fuisse haud negat, quum Epist. ad Heliodorum in tertio collocet sacerdotii gradu, atque (§. CXX.) eos esse dicat, qui fuerant in veteri testamento Levitae. Neque anterior Hieronymo Cyprianus nostrae obest sententiae epist. *ad Rogatianum* scribens, ipsum Christum Dominum elegisse Apostolos id est Episcopos, Diaconos vero ab Apostolis sui Episcopatus ministros fuisse constitutos. Enimvero hoc unum contendit, quod ad majorem Episcopatus dignitatem, tumidosque Diaconos compescendos inserviebat, Christum ipsum delegisse Apostolos, non autem Diaconos, collata tamen Apostolis facultate, ut ad sacrum ministerium eos assumerent. Caeterum, quod Henningius Bohemerus *dissert. juris Eccl. antiqu. dissert. VII.* asserit, septem illos viduis alendis praefectos Presbyteros fuisse non Diaconos, adeo absurdum est commentum, ut a Buddeo *de Ecclesia Apostolica*, Moshemio *comment.* de *reb. Christ.* penitus fuerit rejectum.

§. CXXIV.

Nec canonis Trullani habenda ratio.

Trullanorum Patrum sententia erat, Diaconorum duplex distinguendum genus; alios sacro ministerio addictos fuisse, eos vero, de quibus *Act.* VI. ad profanum ministerium fuisse unice destinatos. At horum Episcoporum nutat auctoritas: multi enim eorum Schismatici erant; pluraque veritati haud consona sanxerunt, quae Ecclesiae Catholicae auctoritate rescissa sunt; immo et ab antiqua Ecclesiae graecae doctrina recesserunt. Quandoquidem Synodus Neocaesariensis (Can. XIV.), in magnis etiam civitatibus septem Diaconos ad eorum normam, de quibus liber Apostolorum disserit, eligendos decreverat. Quis autem negare audeat hujus Synodi temporibus ad ministerium sacrum adlectos Diaconos fuisse? Existimabant itaque vetusti Graeci Patres septem Diaconos ab Apostolis constitutos, ad quorum normam suos ordinabant, ad munus sacrum assumptos esse.

Scholion. Verum quidem est, Patres Trullanos auctoritate Jo. Chrysostomi *Hom.* 14. *in Acta* sen-

tentiam suam conatos fuisse communire. Verum re mature perpensa nil aliud eloquentissimus Doctor contendit, quam initio Ecclesiae clarum non fuisse quantum ad nomen Episcopos inter, Presbyteros, et Diaconos discrimen, sed omnes tunc nuncupatos sacros ministros. Nihilominus singulorum ordinationes scribit tunc jam fuisse peractas, ut nempe constituta pedetentim Ecclesia quilibet sacer minister peculiarem suum gradum haberet. Verum quemadmodum S. Doctor, quantum ad ordinis dignitatem Episcopos tunc fuisse non negat; ita neque Diaconos, quorum ordinationem eadem in homilia describit inquiens, eos segregatos fuisse a reliqua multitudine; ordinatos *manuum impositione*, *et prece*, sacram illam actionem complecti *manuum impositionem*, *quae hominis opus est*, *atque Divinam operationem*. V. Berti *de Theol. discip.* lib. 36. cap. 6. Christianum Lupum in hujus Synodi canones *notis et Scholiis illustratos*, annexamque dissertationem *de ejusdem causa*, *tempore*, *loco*, *Episcopis*, *auctoritate*.

CAPUT VII.

De notis et membris Ecclesiae.

§. CXXV.

Vera Ecclesiae notio.

Christus Dominus sponsor noster, Mediator, Redemptor, soluto, quod debebamus Divinae justitiae pretio, aeterno Patri suo nos reconciliavit (§. LV.), novamque instituit Deum colentium societatem per universas gentes propagandam (§. LXXXII.); hanc sanctissimis, optimisque communitam legibus, eadem fide, eademque Sacramentorum communione devinctam esse jussit (§. XC.). Hunc in finem imperium sacrum instituit potestate summa exornatum determinandi media, leges ferendi, judicandi controversias, et excludendi a coetu, quotquot refractarii essent, sponsaeque suae vocem audire recusarent (§. XCI. XCV. seq.). Supremam auctoritatem hanc, non singulis societatis suae membris contulit, sed Apostolis tantum, et Petro praesertim, cui ad unitatem servandam, jurisdictionem in reliquos Apo-

stolos dedit (§. XCVII. seq.), hanc itidem auctoritatem ad eorum successores Christus ipse pertransire voluit (§. CVII. seq.); quo fit, ut iis ac inter eos singulos Romano vel maxime Pontifici ceu Petri in *Primatu* successori potestas competat ferendi leges, decernendique cuncta, quae ad Ecclesiae bonum judicant necessaria; Christifideles autem illis tamquam principibus a Deo constitutis reverentiam, obsequium, obedientiam debent, quae si recusent, e societate Christiana ab ipsis excludi possunt; ex his palam fit, hanc germanam esse Ecclesiae notionem: *Coetus hominum ejusdem Christianae fidei professione, et eorumdem Sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum Pastorum, et praecipue Romani Pontificis.*

Scholion. Ecclesia vox graeca est a verbo καλέω vel ἐκκαλέω convoco. Ex laudata autem definitione eam visibilem esse patet; cum homines sub Pastoribus legitimis eamdem fidem profiteri, et de iisdem Sacramentis participare teneantur. Libri sacri eamdem veritatem confirmant, nam repraesentant Ecclesiam, ut veritatis columnam; exercitum bene ordinatum; tribunal, in quo judicium exercetur; regnum, quod nonnisi cum mundo habebit finem: Christus ipse civitati supra montem aedificatae omniumque conspectui obviae comparat *Matth.* V. 13. Prophetae etiam ut visibilem praenuntiarunt. *Isaiae* II. 2. *Dan.* II. 25. *Mich.* IV. Confer Augustinum lib. III. *contra Epistolam Parmeniani* cap. 5. n. 28. *contra Epist. Petiliani* cap. 31. n. 71. et cap. 104. n. 239. *contra Cresconium* cap. 36. Vide Bossuet *conference avec M. Claude*, et *hist. des Variations* liv. XV. Fratres Wallemburgicos tom. II. *Controv. fidei tract.* 3. Heterodoxi cum Calvinistae, tum Lutherani eam tantum autumant esse genuinam Christi Ecclesiam, quae conflatur ex iis, qui fide vera cum Christo conjuncti sunt, sanctique vocantur; quare cum vera fides et sanctitas intueri nequeat, Ecclesiam negant esse visibilem: ita ex Lutheranis Buddeus *Instit. Theol. dogm.* lib. V. c. 3. §. 1. 2. Ex Calvinistis Turretinus *loc.* 18. *quaest.* 7.

§. CXXVI.

Quam descripsimus visibilem Ecclesiam, fidei morumque testem, depositariam, et regulam, in terris militantem nuncupare solemus; haec vero ex ipsius institutoris voluntate esse debet una; nam eam super idem fundamentum eamdemque petram aedificavit (Matth. XVI. 18.); unum ovile est, cujus unus est Pastor (Joan. X. 16.), unum corpus, unus spiritus, una fides (ad Eph. IV. 4. 5.); Salvator ipse diram mortem subire voluit, *ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum* (Jo. XI. 51. 52.); nempe, ut ad eamdem vocaret Ecclesiam, quotquot vel ex Judaeis, vel ex Gentibus in ipsum erant credituri (ad Eph. II. 14.); atque ut bellis intestinis atque dissidiis haud fore discindendam moneret, suam pacem veluti pretiosam haereditatem discipulis suis reliquit (Joan. XIV. 27.). Hujus unitatis necessitatem Patres agnoverunt semper. Audito Corinthiorum schismate, ut eos ad unitatem revocaret, gravissimam Epistolam dedit Romana Ecclesia. S. Ignatius Martyr in *Epistola ad Ephesios*, ut in unitate immaculati permanerent, hortatur. Irenaeus (Lib. I. c. 10. n. 2.) Ecclesiam per totum orbem diffusam ob fidei unitatem ita constitutam asserit, ac si unam domum inhabitaret; Tertullianus (Lib. *de Praescrip.*) dispersas undique Ecclesias unam efformare asserit, *quum unam omnes probant unitatem*; Clemens Alexandrinus (Lib. VII. *Strom.*) Ecclesiam unam nuncupat, *quam conantur haereses in multas discindere*. S. Cyprianus ad unitatem Ecclesiae demonstrandam librum composuit. Cujus veritatis testes etiam sunt disertissimi Athanasius (Lib. *de Incarnat. Verbi*), Hieronymus (Lib. I. *adversus Jovinianum*), Epiphanius (Haer. XXXV.), Cyrillus Alexandrinus (Lib. VI. *in Levit.*), Augustinus (Lib. *de unitate Ecclesiae* et alibi saepe). Haec autem unitas in ejusdem fidei professione eorumdemque Sacramentorum participatione sub legitimis Pastoribus manifestatur (§. praec.), qui communicant ad invicem, et praesertim cum R. Pontifice totius unitatis centro (§. CVIII. CIX.). Id autem est, quod Cyprianus *Sacerdotum gluten* vocabat, unde dispersa ubique terrarum Ecclesiae membra consociantur.

Est una.

Scholion. Non omnes Catholici in notis assignandis, quae veram Christi Ecclesiam a societatibus spuriis segregent, ejusdem sententiae sunt. Non pauci sex cum Augustino statuunt, Michael Medina agnoscit decem, quindecim Bellarminus, Bosius centum. Nos iis utemur, quas Symbolum Concilii Constantinopolitani I. assignat: Unam, Sanctam, Catholicam, Apostolicam.

§. CXXVII.

Sancta.

Sanctitas character est, et nota verae Christi Ecclesiae omnino necessaria. Sancta est, tum quia ad sanctitatem vocata est (ad Rom. I. 7.), tum eo quod ad Christi jus pertinet, qui illam magno pretio emit (§. LII.), et se ipsum tradidit, ut illam sanctificaret (ad Eph. V. 25.). Sancta est: enimvero ipsius doctrina, mysteria, Sacramenta sancta sunt; ejusdem cultus, ritus, praedicatio, leges sanctitatem undique spirant. Christus supremum ejus caput, ipsamet est substantiva sanctitas (§. XLIX.); spiritus, qui eam dirigit, moderatur, vivificat, Spiritus sanctus est; ipsa sola generat sanctos; nam sola Christi sponsa est, adversus quam portae inferi praevalere nequeunt: Sancta est in sua spe; haec quam nobilis est, quam augusta! Coelum ipsius est ardentibus votis optata patria, Deus ipse sanctissimus unicum ejus objectum est, quod ipsam absque fine beatissimam reddet. His de causis in Apostolorum symbolo Sancta nuncupatur, et Paulus ad cujuslibet peculiaris Ecclesiae fideles scribens praeclarissimo sanctorum (I. ad Cor. I. 2. ad Eph. I.) decorat nomine.

Scholion. Verum quidem est, in Ecclesiae gremio viros improbos reperiri; at horum vitia corripit, et deplorat Ecclesia.

§. CXXVIII.

Catholica.

Vera Ecclesia non minus esse debet Catholica. Nomen istud graecum est ex κατὰ et ὁλικός, significatque universalem. Triplici autem titulo catholica est, ratione doctrinae, temporis, et loci. Quod non ambigue Christus ipse docet (Matth. XXVIII. 18. seq.): *Data*, ait, *est mihi omnis potestas in caelo*,

et in terra; euntes docete omnes gentes . . . docentes servare omnia, quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Omnes gentes edocendae sunt: en universitatem locorum! de omnibus instrui debent, quae mandavit Christus: en doctrinae universitatem! et id usque ad saeculorum finem: en universitatem temporum! Augustinus vero plurimis Scripturarum testimoniis hanc veritatem communit (Lib. *de unitate Ecclesiae* cap. 6. seq.) affirmatque inter tam multas haereses ipsum Catholicae nomen in Ecclesiae gremio non sine causa eum retinere; ipsosque haereticos, etsi perperam se catholicos jactitent, peregrino interroganti, ubi Ecclesia catholica sit, suam domum vel Basilicam ostendere minime audere (*Contra Epistolam fundamenti* cap. 4.). Observatione non minus dignum est, Patres adeo fuisse persuasos, veram Ecclesiam oportere esse catholicam, ut hac de re cathecumenos instruerent, ut compertum haberent, quaenam esset Ecclesia, cui se in symbolo credere profiteri debebant (Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. XVIII. illuminatorum* .

§. CXXIX.

Postremo vera Ecclesia est Apostolica. Quam enim censere queas Christi sponsam, nisi quae ab ipso fundata, ac per Apostolos, ejusque successores propagata, instructa, et gubernata est? Enimvero, etsi Salvator sit angularis Ecclesiae lapis, nihilominus Apostoli ejusdem etiam fundamenta sunt (ad Eph. II. 20.), quibus ex Divina institutione succedunt Episcopi (§. CXI.). Quamobrem ubi non reperiuntur ii, qui ab Apostolorum temporibus serie minime interrupta a Deo positi sunt Ecclesiam Dei regere, ibi nec vera Ecclesia nec Divina vocatio ad sacrum munus praedicandi, ministrandique Sacramenta adesse potest. Hinc merito Tertullianus ajebat (*De Praescriptionibus*) : *Apostoli Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, et semina doctrinae caeterae exinde Ecclesiae mutuatae sunt, ac per hoc et ipsae Apostolicae deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum*: ex his facile disces, eamdem fidei re- **Apostolica.**

gulam, eamdem doctrinam, quam disseminarunt Apostoli, continuam Apostolicae societatis successionem ad veram Ecclesiam dignoscendam esse necessariam.

Scholion. Iis vero, qui Ecclesiae Apostolicae statum interruptum fuisse dicunt, atque Ecclesiam sive in fide, vel moribus variasse, proindeque opus fuisse Pastoribus extraordinariis, qui eam in pristinum decorem restituerent, reponendum: quod si res ita se haberet, atque interrupta fuisset, et contaminata Ecclesia, suis promissionibus defuisset Christus, secundum quas eam constituit columnam, et firmamentum veritatis I. ad Timoth. III. 15. neque usque ad consummationem saeculorum, sicuti spopondit *Matth.* 28. 20. cum ea permansisset. Vide Bossuet *instruction sur les promesses de l' Eglise.*

§. CXXX.

Sola Ecclesia Romana est una et sancta.

Quas recensuimus verae Ecclesiae notas, hae soli Romanae Ecclesiae conveniunt: ac primum; ipsa tantum una est in capite suo invisibili Christo, et visibili Pontifice Romano. Porro, etsi peculiaris Ecclesia quaelibet proprium habeat rectorem, et pastorem, unitati tamen minime derogatur; nam Episcopi omnes primo se uniunt visibili Pastori, qui quum commune sit unitatis centrum, ad illud veluti totidem lineae tendunt, quotquot illi subjiciuntur. Hinc perfecta exsurgit unitas, unde fit, ut Ecclesiae omnes per orbem universum diffusae unicam Ecclesiam constituant. Heterodoxi vero, affirment licet, se Christum habere caput, ipsique subesse, nihilominus ab ipso alienos esse convincuntur, eo quod ipsius Vicarium, Petri successorem ad unitatem fovendam, et servandam constitutum (§. CVII. seq.) venerari recusant. Unica insuper est Ecclesia Romana in sua fide, doctrina, Sacramentis, in singulis membris suis, quae unum corpus sub uno visibili capite efformant. Haec ipsa sancta est in suis legibus, moribus, disciplina: haec sola veritatem servans, et caritatem Christo sponso suo gignere sanctos potest.

§. CXXXI.

Quam vero, nisi Romanam nuncupare merito possis Catholicam? Haec unica ad omnia extenditur loca, ubique enim terrarum diffusa est, ac in quatuor mundi partibus fideles adsunt, qui cum ipsa communione junguntur: haec omnia complectitur tempora; nam a Christo Salvatore usque ad aetatem nostram serie non interrupta permansit, durabitque perpetuo, quoniam ejus institutor, et sponsus se cum ea ad saeculorum usque consummationem permansurum spopondit. Character iste Ecclesiae adeo perspicuus est, et notus, ut quotquot ab ipsius sinu se divellebant, suam statim proderent novitatem. Nam Montanistae, Manichaei, Ariani, Lutherani, Calvinistae, Sociniani suorum auctorum nomine semper fuere nuncupati, et de iis dici merito potest: *vos heri non fuistis*; at quantum ad Ecclesiam Catholicam Romanam, nullus assignatus ei unquam auctor fuit, nisi Christus (*). Hanc etiam Ecclesiam Apostolicae titulo cohonestandam esse nemo prudens in dubium vertet. Nam Episcopi, a quibus gubernatur, ab ipsis Apostolis descendunt, eorumque successores sunt; Romana Ecclesia ab ipso Apostolorum Principe fundata (§. CVI.) ad nostram usque aetatem ordine continuo suos perpetuo habuit Episcopos, quorum in universam Ecclesiam auctoritas, et jurisdictio semper agnita fuit (§. CVIII. CIX.). Ipsa eandem credit, et profitetur doctrinam, quam Christus, et Apostoli tradiderunt; quod innotescit facile, si ejusdem fidem cum ea compares, quam priscis quinque saeculis Sanctissimi Patres docuerunt. Profecto intestinum odium, quo Acatholici in Patres feruntur, conatus omnis, quem adhibent, vel in minuenda, vel in elevanda penitus eorum auctoritate, palam faciunt, se non eam fovere, quam Patres didicerunt, et professi sunt, doctrinam (**).

Catholica et Apostolica.

(*) Vide Bossuet *discours sur l' hist. univ.* 2. pag. ch. XXVI.

(**) *Qualis consolatio Dei filiis*! ajebat Magnus Bossuetus (ib. cap. XXX.), *sed qualis convictio veritatis, quum cernunt ex Innocentio XI.* (nunc dicamus Pio VI.)

§. CXXXII.

Membra Ecclesiae.

Ecclesia corpus est, cujus supremum caput est Christus, membra autem fideles sunt: *Omnia*, ait Apostolus ad *Ephesios* (Ad Eph. I. 21.), *subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est Corpus ipsius.* In hanc vero Christi societatem per Baptismum aditus patet (§. LXXXVII.): unde Paulus ajebat (I. ad Corint. V. 12.): *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Porro Ecclesia corporis humani ad instar vita praediti habenda est. Ad Ecclesiae animam pertinent fides, spes, charitas, quam virtutes reliquae, ac Spiritus Sancti dona exornant; ad corporis autem ipsius naturam attinet externa ejusdem fidei professio sub pastoribus legitimis et praesertim Rom. Pontifice (§. CXXV.). Attamen eos inter, qui in Ecclesia recensentur, sunt, qui ad ejus animam non minus, quam corpus attinent, atque ii non extrinsecus tantum Christo capiti uniuntur; verum etiam sanctitate exornati ei penitus adhaerent, atque ab ipso vivificantur; quos perfectissimo modo in Ecclesia esse nemo ibit inficias. Alii vero, qui virtutibus, et caritate praesertim carent, sed eandem sub legitimis pastoribus profitentur fidem,

---

qui tam digne primam Ecclesiae sedem occupat, ascendi nulla habita temporis interruptione usque ad S. Petrum a Jesu Christo constitutum Apostolorum Principem! Quo iterum assumendo Pontifices, qui sub lege veteri ministrarunt, ad Moysen usque, et Aaronem pervenitur, inde ad Patriarchas usque, et mundi originem! Qualis continuatio, qualis traditio, qualis admiranda concatenatio! Si mens nostra naturaliter incerta, atque propter suas incertitudines ex propriis ratiociniis ludificata, iis in quaestionibus, ubi de salute agitur, quadam certa auctoritate figi, ac determinari indiget, qualis major auctoritas, quam Catholicae Ecclesiae, quae in semet omnem praeteritorum seculorum auctoritatem unit, vetustasque generis humani traditiones usque ad primam ejus originem! Successionem hanc nulla haeresis, nulla secta, nulla alia societas, quam sola Dei Ecclesia sibi tribuere potest .... Hic ad Ecclesiae pedes cadunt omnes societates, omnes sectae, quas homines sive in Christiana Religione, sive extra ipsam confinxeruut. Legesis eloquentissimi scriptoris integrum laudatum caput.

ad corpus tantum Ecclesiae pertinent: atque ad instar pilorum, unguium, pravorum humorum in humano corpore, ita et illi in Ecclesia reputantur.

SCHOLION. Nonnulli Catechumeni, qui morum puritate decorantur, atque baptismatis desiderio flagrant, aliquo modo ad Ecclesiae animam pertinent, sicuti nonnulli injuste ab Ecclesiae corpore abscissi. Catechumeni tamen in Ecclesia proprie censendi non sunt, in quam per Baptismi Sacramentum inserimur. Hinc *Act. II.* 41. legimus: *Qui ergo receperunt sermonem ejus*, *baptizati sunt*, *et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia*, tum quia sub Pastoribus legitimis eadem non fruntur Sacramentorum Communione. Nihilominus etsi non actu, affectu tamen, et voluntate in Ecclesia sunt, atque ex caritate cum Baptismi voto justificati salutem aeternam consequi valent. Confer Bellarminum lib. 3. *de Ecclesia* cap. 2. Opstraet. *dissert. III. de Ecclesia* quaest. 1. §. 2.

§. CXXXIII.

Crassus error est (*) auctoritate sacrorum librorum, et PP. damnatus, solos praedestinatos esse membra Ecclesiae. Nam ea comparatur agro, in quo cum tritico tribuli, sterilesque avenae nascuntur (Matth. XIII.); sagenae missae in mari, et ex omni piscium tum bonorum, tum malorum genere congreganti (Ib.); convivio, in quo vestem nuptialem non habens inventus est unus (Matth. XXII); tum Virginibus decem (Ib. XXV. 2.), quarum quinque prudentes, ceterae fatuae erant. Quibus Symbolis Christus Dominus Ecclesiam suam ex solis electis haud conflatam esse, persuadere voluit. Nec alia fuit SS. Patrum sententia, quemadmodum fidem faciunt Cyprianus (Ep. LII. *ad Antonianum*), Non sunt soli Praedestinati.

(*) Wicleffus teste Thoma Valdensi tom. II. *doctrinalis fidei antiquae* c. 8. 9. Ecclesiam ex solis praedestinatis conflatam esse affirmabat; ejusdem mentis fuit Joannes Hus, ut apparet ex sess. XV. Conc. Constantiensis, in quo ipsius errores proscripti fuere: idem sentiunt Calvinistae. Confer Franciscum Turretinum *loco* XVIII. quaest. 3.

Gregorius Nazianzenus (Orat. I.), Chrysostomus (Ad illud *Ps. XXXIX. Multiplicati sunt super capillos*), S. Hieronymus (Dial. *adversus Luciferianos*), Fulgentius (Lib. *de fide ad Petrum* cap. XLIII.), ut de aliis sileam. Cumque Salvator Ecclesiam suam voluerit esse visibilem (§. CXXV. Schol.), atque quis sit praedestinatus a mortalium nemine sciri queat, palam fit, Ecclesiam ex solis praedestinatis non constare.

Scholion. Qui ex solis praedestinatis Ecclesiam compositam volunt, nonnullis abutuntur Scripturae auctoritatibus: ajunt *Canticorum IV.* comparatur Ecclesia horto concluso, fonti signato, puteo aquarum viventium: in hoc vero horto solos esse praedestinatos, sententia est Augustini lib. V. de *Baptismo* cap. XXVI. Ignorat insuper nemo similitudinem Ecclesiae cum arca Noe, in qua sicuti non fuerunt, nisi qui a diluvio salvi facti sunt, ita nec in Ecclesia reputandi sunt, qui aeternam salutem non adipiscuntur. Quid, quod Joannes asserit reprobos videri esse in Ecclesia, licet revera non sint? en ejus verba: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis permansissent utique nobiscum.* His, ut occurras difficultatibus, observandum est, Ecclesiam vel quantum ad praesentis vitae statum, vel quantum ad finem suum posse considerari; Augustinus vero, quum in horto concluso, signatoque fonte solos praedestinatos collocat, Ecclesiam quantum ad terminum suum, jam in coelis triumphantem perpendit; in qua soli procul dubio electi reperientur. Ipsemet S. Doctor se explicat lib. II. *Retract.* cap. XVIII. *Ubicumque*, ait, *Ecclesiam commemoravi non habentem maculam, neque rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quae praeparatur, ut sit, quando apparebit etiam gloriosa.* Comparatio Ecclesiae cum arca Noe in eo consistit, quod sicuti nullus a diluvio nisi per arcam salvari potuit; ita salutem aeternam consequetur nemo, qui in Ecclesia non adsit. Secus locum hunc si exponant Calvinistae, baptizatos omnes fateri debebunt cum Christo fore regnaturos, quum arcam S. Petrus cum baptismo comparet. S. Joannes vero

eos, qui e Christiana societate discesserunt, ex electorum numero non esse contendit; si enim ex iis fuissent, in Ecclesia profecto mansissent. Verumtamen asserens, *ex nobis prodierunt*, indigitare voluit, eos ex Ecclesiae corpore fuisse, a quo per suos errores recesserunt.

§. CXXXIV.

Sed etiam gravissimi peccatores.

Ex diversis figuris, et parabolis, quibus Ecclesiae suae statum manifestare voluit Christus (§. praec.), non eos tantum, qui Dei spiritu vegetantur, fidemque habent caritate perfectam, sed etiam manifestos peccatores in ea contineri palam fit. Jam vero Paulus contentiones (I. ad Cor. I. 11.), quas in Corinthiorum Ecclesiam irrepsisse agnoverat, reprehendit, atque in Apocalypsi Ecclesiarum Asiae corripiuntur vitia; immo de Sardensis Ecclesiae Praeposito legimus: *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, et mortuus es* (Cap. III. 1.). Quid plura? Peccatores si Ecclesiam non audierint, a coetu ejiciendos Christus ipse affirmat (Matth. XVIII. 17.): a societate autem excludi non potest, nisi qui in ea est. Perpetua quoque haec fuit Ecclesiae doctrina: Cyprianus enim, Firmilianus, et qui ab eorum partibus stabant Episcopi, baptisma haereticorum, eo quod in Ecclesia non sunt, irritum esse perperam judicabant; validum tamen a peccatoribus collatum existimabant. Augustinus vero cum aliis Catholicis Episcopis in celebri cum Donatistis collatione, Ecclesiam ex bonis, malisque conflatam esse pluribus, invictissimo argumento demonstrabat (In *breviculo collat. cum Donatistis, Coll.* 3. *diei* cap. IX.). Postremo cum Ecclesia ea sit, quae sub legitimis pastoribus eandem profitetur fidem, ac de iisdem participat Sacramentis (§. CXXV.), consequitur, malos, dum ab his non deflectunt, in Ecclesia consendos esse.

Scholion. Pelagiani Ecclesiam hominum perfectorum esse dicebant, Augustino teste de haeres. cap. 88. Novatiani coetum hominum justorum eam vocabant, vel saltem ex iis conflatam esse contendebant, qui nunquam in graviora peccata lapsi fuissent. Donatistis placebat esse proborum hominum

coetum. Lutherani dicunt esse Sanctorum congregationem, ut patet ex articulo VII. Confessionis Augustanae, cui tamen improbos admixtos esse inquiunt: verum ut ait Buddeus *institut. Theol. dogmat.* lib. V. c. III. §. 11: improprie tantum Ecclesia nuncupari potest, quae bonos simul, et malos complectitur. Caeterum malos ab Ecclesia excludendos, minime ostendit, quod illa Sancta vocetur, et Christi sponsa, vel quod impii ex Patre Diabolo dicantur. Quandoquidem sancta dicitur, et sponsa Christi, quantum ad partem sui nobiliorem, et quoniam sancta habet dogmata, mores, ritus, Sacramenta (§. CXXVII.). Sponsa insuper Christi est, quae tunc maculam, et rugam habebit nullam, cum jam perfecta erit in coelis: nam si dicamus, dum in hoc saeculo degimus, *quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est*. I. Epistol. Joann. I. 8. Impios Diabolum pro Patre habere, eo quod ejusdem prava imitantur opera, non diffiteor; nihilominus ad Ecclesiae corpus adhuc pertinent, quoniam a Christo geniti sunt, atque in Ecclesiam per Baptismum ingressi eandem adhuc profitentes fidem, eadem fruentes Sacramentorum Communione, legitimis pastoribus subditi eo in statu sunt, unde resipiscere possint, et aeternam salutem adipisci.

§. CXXXV.

Non tamen Haeretici.

Haereticos in Ecclesia haud esse, adeo verum est, ut Apostoli ipsi, fidelibus omnem cum iis communicationem interdixerint. Paulus ad Titum scribens (Cap. III. 10.): *Haereticum hominem*, ait, *post unam et secundam correptionem devita sciens, quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus*: atque Joannes (II. *Epist.* Cap. I. v. 10.): *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nec ave ei dixeritis.* Eadem fuit vetustissimorum Ecclesiae PP. mens. Sanctus Ignatius Martyr (*Epist. ad Smyrnaeos*) ajebat de haereticis: *Oportet ab iis recedere, nec seorsim cum ipsis, neque communiter loqui*; Justinus Martyr (*In dialogo cum Tryphone*), inquit, eos, etsi nomen Jesu Christi prae se ferant, neque Christianos esse, neque cum iis communicandum;

Irenaeus scribit (Lib. III. Cap. III. n. 4.), Polycarpum multos haereticos ad Ecclesiam convertisse; Tertullianus (Lib. *de Praescriptionibus*), eos ut corpus distinctum segregatumque ab Ecclesia agnoscit; Clemens Alexandrinus (Lib. VII. *Stromat.*) multas suo tempore haereticorum sectas fuisse ingemiscit, quas omnes affirmat a vera, antiqua, Catholica Ecclesia discissas. Ab aliorum Patrum proferendis sententiis abstineo, qui eandem veritatem scriptis suis confirmarunt. Quid plura? Ecclesiae in Synodis congregatae perpetua consuetudo fuit, in pertinaces haereticos anathematis vibrare fulmen, eosque a sua communione separare.

Scholion. Secus vero existimandum est de haereticis et infidelibus occultis, quos si baptismatis fonte tincti fuerint, atque sub legitimis Pastoribus vivant, fidem exterius profitentes, ad Ecclesiam adhuc pertinere affirmamus. Nam ii, si Parochi sint, vel Episcopi valide adhuc ligare possunt, et solvere, jurisdictionem exercere; quod fieri haud posset, si extra Ecclesiam essent reputandi.

§. CXXXVI.

Neque Schismatici.

Ecclesia ex Christi institutione est una (§. CXXVI.), σχίσμα vero idem sonat ac dissidium, scissionem, dissensionem, a χίζω *findo, scindo, disseco*; quamobrem cum Schismatici unam Ecclesiam scindant, in ea haud recensendos esse compertum cuilibet esse debet. Hinc S. Clemens Romanus (Epist. I. ad Corinth.) iis, qui seditionis fundamenta ponebant, scribit: *Discite aliis subjici, melius enim est in ovili Christi parvos, et in bona aestimatione reperiri, quam sibi videri aliis eminentiores et extra ejus cancellos foras ejici.* S. autem Irenaeus (Lib. IV. cap. 33. n. 7.) ait: *Nulla enim ab eis tanta fieri potest correctio, quanta est Schismatis pernicies, judicabit autem Deus omnes eos, qui sunt extra veritatem, id est, qui sunt extra Ecclesiam.* Cyprianus (*Epist. ad Florentium Papianum*) Ecclesiam vocat plebem sacerdoti adunatam, et pastori suo adhaerentem gregem. Chrysostomus (*Hom.* II. in *Epist. ad Ephesios*) manui a corpore abscissae Schismaticos comparat. Hieronymi sententia est

(In *caput I. Amos*) hosce deceptam multitudinem ab Ecclesia Dei separare. Plura in rem nostram egregia habent Optatus (Lib. I. et II. *contra Parmenianum*), Basilius (*Epistola ad Ampylochium*), Augustinus (Lib. *de fide et operibus* Cap. X., et in *libris adversus Donatistas*). Accedit Concilii I. Constantinopolitani oecumenici auctoritas, quod avulsos et abscissos nominat (Can. VI.) qui adversus Canonicos Episcopos congregationem faciunt. Atque cum in Ecclesia censendi sint ii, qui eandem profitentur fidem sub pastoribus legitimis et praesertim Romano Pontifice (§. CXXV.), palam fit Schismaticos a communione legitimorum Pastorum recedentes minime esse in Ecclesia.

Scholion. Schismaticae dicuntur singulares Ecclesiae, earumdemque Pastores, qui a communione universalis Ecclesiae, et Romani Pontificis segregantur; tum ii sunt schismatici, qui a communione suae peculiaris Ecclesiae, quae cum Romano Pontifice et universali Ecclesia unita est, separantur. Ex quo percipies errasse Alphonsum a Castro lib. II. *de justa haereticorum punitione* asserentem, schismaticos de Ecclesia esse, nec non haereticos erroneam profitentes doctrinam esse membra Ecclesiae. Confer Tournellii de *Ecclesia* quaest. 4. art. 3. Dupinium traitè *de la doctrine chretienne*, et *orthodoxe* Liv. I. ch. XVI. Nicole *oeuvres de controverse* tom. V. Liv. I. ch. V. seq.

Cum Salvator noster sectatoribus suis spiritum pacis et caritatis reliquerit; patet quamplurimum errasse eos, qui obtendentes, fuisse vitia in Ecclesia, ab ejus se communione separarunt; nam ut ait Augustinus contra Parmenianum lib. II. c. 11. *praecidendae unitatis nulla est justa necessitas*. Sapienter more suo lib. II. contra *Gaudentium C.* 8. *Responde, utrum Ecclesia perierit, an non perierit? elige quod putaveris. Si jam tunc perierat, Donatum quae peperit? si autem tot in eam sine baptismo aggregatis perire non potuit, responde, quaeso, ut ab ea se, tanquam malorum communionem devitans, pars Donati separaret, quae dementia persuasit?* Augustini argumentum adversus sectas omnes, quae schisma fecerunt, militat.

§. CXXXVII.

Ecclesia, quatenus pastorum corpus complectitur, potestatem habet clavium, quibus rebelles cogere, atque a coetu suo excommunicatione valet excludere (§. XCIV.). Verum, quemadmodum ii, qui ab imperii civilis societate expulsi sunt, ad eam pertinere non amplius existimantur; ita qui ab Ecclesiae caetu excluduntur, ejusdem membra reputari nequeunt. **Nec excommunicati.**

CAPUT VIII.

De novae legis Sacrificio.

§. CXXXVIII.

Etsi sacrificium generatim acceptum omnes complectitur Religionis actus, quibus homo semetipsum offert Deo, ipsique adhaeret; nec non preces, gratiarum actiones, cor contritum, legis observantia, bona opera in sacris litteris (*Ps.* XLIX. 14. IV. 6. L. 19. *Eccl.* XXXV. 2. *ad Hebr.* XIII. 15. 16.) sacrificii nomine decorantur; nihilominus suam peculiarem habet, et propriam significationem, secundum quam intelligimus oblationem rei externae et sensibilis a legitimo sacerdote factam Deo in recognitionem supremi in res omnes dominii, cum rei oblatae aut destructione, aut aliqua immutatione. Externa haec sacrificia ipsi mundo coaeva sunt; atque in statu legis naturalis et Mosaicae a Deo praescripta, ipsique accepta fuere. Nequo aliam ab causam ab illusis hominibus tenebrarum angelus sibi expetiit sacrificia, nisi quia, ut Augustinus observat (*De Civ. Dei* lib. X. c. 5. 6. 19.), compertum ipsi erat, haec ab hominibus Deo esse offerenda. Jam vero quandoquidem Christus novus erat legislator (§. LXXXIII.), legisque veteris sacrificia abrogavit (§. LXXXI.); voluit etiam ipse novum instituere sacrificium, quod utilitate et excellentia omnia, quae prius fuerant, longe antecelleret (*). **Christus in Ecclesia verum sacrificium instituit.**

(*) Confer laudatum opus *instructions generales en forme de Catechisme* part. III. sect. II. cap. VII.

§. CXXXIX.

In Eucharistia.

Praenuntiatum jam fuerat in veteri testamento novum Messiae tempore instituendum esse in Ecclesia sacrificium; nam Regius Propheta (Ps. CIV. 4.) Christum praedixit sacerdotem non ex Aaronis stirpe, sed juxta ordinem Melchisedech: hunc vero panem vinumque in sacrificio obtulisse legimus (Gen. XIV.); quamobrem Christus eo tempore, quo panem et vinum accepit, immutavitque in suum corpus et sanguinem, sacerdotio secundum Melchisedech ordinem functus est, novumque instituit sacrificium; quod, quum Apostolis eorumque successoribus in sui memoriam repetendum jusserit, perpetuum illud voluisse affirmandum est. Rem ita se habere declarant praestantissimi Ecclesiae Patres Clemens Alexandrinus (Lib. IV. Strom.), Cyprianus (Epist. LXIII. ad *Caecilium*), Chrysostomus (Hom. XXXV. in Gen.), Hieronymus (Epist. XLIV. ad *Marcellam*), Augustinus (Lib. XVI. de *Civ. Dei* cap. 22.), aliique. Verumtamen insigne est ad demonstrandum dogma Catholicum Malachiae vaticinium (Cap. I. 10. 11.): *Non est mihi*, inquit, *voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio* (מנחה) *munda.* Ex quibus luce meridiana clarius evincitur, novum sacrificium in munda oblatione, veteribus substituendum, et per universum terrarum orbem offerendum fuisse. Neque Prophetae verba de crucis sacrificio intelligi queunt, hoc enim Jerosolymis tantum oblatum fuit, aliud in universa terra offerri debet, nec de orationis hostia ut Clarius, Munsterus aliique contendunt; haec enim quolibet tempore ab iis, qui Deo placuerunt, oblata fuit. Quamobrem restat, ut de vero externoque sacrificio intelligamus; id quoque nomen Minchah ostendit, quod oblationem ex farina conflatam Buxtorfio teste designat (*Lexicon Hebraico-Chaldaicum voce Minchah*). Unde ad sacrificium Eucharisticum Malachiam respexisse indubium est, quo sensu celeber-

rimi Ecclesiae Doctores et vetustissimi, hoc vaticinium acceperunt (*).

Scholion. Heterodoxorum sententia est, Melchisedechum in pane et vino sacrificium minime obtulisse; eo quod in hebraico fonte non habetur *obtulit*, sed *exire fecit panem et vinum*, Abrahamo nempe, ut ipsum, suosque milites pugna fessos refocillaret, quemadmodum ex versione LXX. interpretum innotescit. Verum haec nostram non labefactant doctrinam: quandoquidem Melchisedech panem et vinum exire fecit ad sacrificandum, ut Clemens Alexandrinus observat: tum Abrahamo distribuit, ejusque sociis. Quod ostendunt verba illa: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*, quae in textu Hebraeo Samaritano dogma Catholicum mire confirmant: *Protulit panem et vinum, quia ipse erat Sacerdos Deo altissimo*; unde oblationem non mere civilem fuisse clarissime evincitur. Porro si melioris notae codices graeci LXX. interpretum consulantur, ut Oxoniensis, Vaticanus, Valtonianus paricula αὐτῷ illi, Abrahamo scilicet, deest, sicut etiam in fonte hebraeo, in nostra vulgata, in versione Syriaca, in Targum Onkelos, et in textu hebraeo Samaritano; unde praesidium, quod inde quaerunt Acatholici, est nullum. Quid? quod Melchisedechum obtulisse sacrificium, atque in eo praefiguratum fuisse, quod Messiae tempore offerendum erat, non pauci ex Doctis Rabbinis constanter tenent? Vide Galatinum lib. X. cap. 5. Josephum de Vosin de *lege Divina* cap. 6. At audio adversarios urgentes: eccur, ajunt, Paulum in epist. ad Hebraeos asserens Melchisedech fuisse Christi typum, nec vel minimum verbum habet, unde evincatur ipsius sacrificium praefigurasse Eucharistiam? Non difficilis est responsio: Enimvero gentium Doctor de praeeminentia Sacerdotii Melchisedech supra Leviticum disserebat: non de ri-

---

(*) Justinus Martyr *in dialogo cum Tryphone*, Irenaeus lib. IV. cap. 32. Tertullianus lib. III. *contra Marcionem* cap. 22. Eusebius lib. I. *Demonstrat. Evang.* cap. 6. Joannes Chrysostomus in Ps. XCV. Hieronymus in *caput* 2. *Malachiae*, Augustinus lib. XXIII. *de Civ. Dei* cap. 35.

tu et modo offerendi. Porro id ostendit, quoniam sacerdotium Melchisedech in aeternum permanere debebat, eo quod Abraham, ex quo tribus Levi descendit, decimas Melchisedecho dedit, et ab eodem benedictionem recepit. Caeterum aliquid magis arcani, Melchisedechi sacerdotium praefigurasse, inde evincitur, quod capite V. 10. 11. Paulus de Christo scripserat: *Appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech, de quo nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum*, et v. 12. *Et facti estis quibus lacte opus est non solido cibo.* Vid. Berti lib. XXVII. cap. 7. et 8.

§. CXL.

Quod ex ipsius institutione ostenditur.

Quod si ad Eucharistiae institutionem attendamus, Christum Dominum sacrificium in ea obtulisse futurum in Ecclesia perpetuum apparebit. Audiamus Matthaeum rem gestam ita enarrantem (XXV. 26. seq.): *Coenantibus autem eis accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite; hoc est corpus meum; et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur* (graece ἐκχυνόμενον, qui funditur) *in remissionem peccatorum.* Lucas autem, inquit (XXII. 20.), corpus, quod pro vobis datur; Paulus (I. ad Corinth. XI. 24.), quod pro vobis frangitur κλώμενον: uterque vero narrat, jussisse Christum, ut quod ipse gessit, in ejus memoriam fieret. Quis vero non videat, quae ad veri sacrificii rationem attinent, adesse cuncta? Fuit gratiarum actio Deo facta, benedictio, fractio, et divisio partium, separatio corporis a sanguine saltem mystica, hostiae participatio, quae in sacrificiis pacificis esse solet. Apostoli etiam Eucharistiae institutionem commemorantes participio praesentis temporis usi sunt; de sanguine dixerunt, quod funditur; de corpore, quod datur, et frangitur; quibus in postrema coena oblationem veram corporis et sanguinis Christi, et sacrificium peractum fuisse indigitatur. Quod cum in Christi commemorationem fieri mandatum sit, illud in Ecclesia numquam desiturum conficitur.

Scholion. Sacrificium Eucharisticum praeter Petrobusianos, et Albigenses nonnullosque vetustiores haereticos impugnarunt Lutherus, OEcolampadius, Calvinus, Zuinglius, eorumque asseclae. Celeber Radulphus Cudworthus *de vera notione coenae Dominicae* novam ingressus est viam. Arbitratur autem coenam a Christo Domino institutam fuisse in earum similitudinem, quae a Judaeis et gentilibus fieri consueverant, qui sacrificio peracto, ex eo quod residuum manserat, coenas instituebant. Hac de causa Eucharistiam non sacrificium, sed epulum ex sacrificio nominat. Quam tamen sententiam praeformasse videntur Jo. Guilielmus Stukius *Antiquitatum Convivalium* lib. I. c. 33. Petrus Molinaeus lib. *de Altaribus et Sacrificiis Christian.* Cap. V. Cudvvorthum inter Calvinistas sequuti sunt Jo. Claudius *Sermons sur l' Eucharistie*, et Philippus Massonus *in Hist. critica Reip. Litt.* Ex Lutheri asseclis Godofredus Olearius dissert. de κοινονία cum Christo et Daemoniis, Christ. Matthaeus Pfaffius *Instit. Theol. dogm. et mor.* p. III. sect. III. §. 3. Samuel Waltherus *historie der Heidnischen* etc. Magdeburgi 1726. qui postremi adversus eos, qui se vocant reformatos, in usum assumpserunt consimile argumentum: qui conviviis Judaeorum et gentium accumbebant, ipsius victimae fiebant participes: itaque si coena Dominica iis conviviis successit, oportet, ut de ipso sacrificio, quod corpus Domini est, fideles fiant participes. Hinc apparet hallucinatum fuisse Cudvvorthum epulas has vocans *sacrificiales*, *sed symbolice celebrari ajens*, et in memoriam tantum revocare crucis sacrificium. Quandoquidem si Eucharistia epulum est ex sacrificio, praecedere sacrificium, epulum consequi necesse est: Apostoli vero cum Christo accumbentes de Eucharistica coena indubie participarunt, unde de sacrificio epulas distribuit ipsis Salvator, qui quum nondum cruentam in cruce se victimam obtulisset, incruentam aeterno Patri hostiam se debuit in ultima coena offerre. Itaque si Eucharistia epulum est ex sacrificio, verum etiam erit sacrificium.

§. CXLI.

Ulterius demonstratur.

Sed quam pretiosa sunt, et ad catholicam veritatem firmandam accommodata, quae Paulus ad Hebraeos (XIII. 10.) conscripsit! *Habemus*, inquit, *Altare, de quo edere non habent, qui tabernaculo deserviunt: quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra: propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Quamobrem in Ecclesia altare est: ubi autem altare, ibi et Sacerdos et sacrificium sit, oportet. Quae in propria accipienda sunt verborum significatione, cum haec altari Tabernaculi, et sacrificiis in veteri lege oblatis comparet gentium Doctor, qui non tantum victimae ostendit veritatem, sed etiam edendo nos ejusdem fieri participes asserit exclusis iis, qui legalia adhuc sacrificia offerebant (*). Accedit, quod in actis Apostolicis (XIII. 2.) legitur: *ministrantibus* (λειτουργούντων, id est, *sacrificantibus*) *autem illis Domino, et jejunantibus dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Sacrificium itaque, quod nullum aliud est, quam Eucharistia, offerebatur Apostolorum tempore.

Scholion. Jo. Franciscus Buddeus *de Baptismo et sacra Coena* p. 1078. liturgiam, non sacrificium, sed *ministerium*, *opus publicum* significare scribit a λήϊτον, publicum, et ἔργον opus; atque novi testamenti liturgiam non in sacrificio, sed potius in oblatione, et publicatione Evangelii constare tradit, quod evincere conatur ex Apostolo ad *Rom.* XV. 15. scribente: Data est mihi gratia Dei εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη ἱερουργοῦντα τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, *ut sim minister Jesu Christi in gentibus sacrificans Evangelium Dei.* Quid? quod addit Magistratus Liturgi Dei vocantur *Rom.* XIII. 6. et Angeli liturgici, id est administratorii spiri-

(*) Vide hac de re praeclare disserentem auctorem *tractatus dogmatici super Eucharistia* parte II. §. XXXI. seq.

tus Hebr. I. 14. Do libenter Buddeo Liturgiam opus publicum designare; at opus nullum magis illo publicum est, quo Sacerdos non suo tantum, sed adstantis populi, immo et Ecclesiae totius nomine Christum offert, et mystice immolat, atque hoc sensu vetusti recentesque graeci scriptores Ecclesiastici Liturgiae nomen sumpserunt. Quantum ad Apostolum attinet, non sine divino consilio factum judico, quod se Christi dixerit Liturgum, verboque sacrificium designante sit usus: hoc enim pacto Christi se ostendit Sacerdotem, simulque ejusdem comprobavit Divinitatem, quum Sacerdotem sacrificantem solus verus Deus habere debeat. Verumtamen Apostolus se Evangelium sacrificare affirmans metaphorica usus est loquutione, atque innuere voluisse arbitror in Evangelica, quam annuntiabat lege nihil esse praestantius, nihil magis acceptum Deo, quam Agni immaculati sacrificium. Hallucinatur insuper Buddeus de sola Evangelii praedicatione, *Act. XIII.* sermonem esse contendens; nam legimus *ministrantibus Domino*, Evangelii autem annuntiatio ad eos, qui audiunt, attinet. Magistratus et Angelos ampliori significatione liturgos vocatos fuisse dicimus, quemadmodum etiam et Elohim nomine non raro in sacris litteris insigniti sunt; quamvis nomen hoc ad Deum proprie pertineat.

Magna profecto est Sacerdotum dignitas et excellentia, quorum ministerio immaculati Agni sacrificium demandatum est. At magnam etiam flagitat vitae innocentiam, animaeque puritatem. Ut enim ait Chrysostomus *hom. LX.* ad populum Antiochenum: *Quo non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? Linguam, quae tremendo nimis sanguine rubescit?*

§. CXLII.

Et ex Ecclesiae traditione.

Nihil ad perpetuam Ecclesiae fidem demonstrandam aptum magis opportunumque, quam ejusdem Euchologici libri, maxime si antiqui sint, atque apud christianas nationes omnes inveniantur concordes. Haec enim communis fides Apostolicam traditionem aperte ostendit. Porro Eucharistiam verum esse novae legis sacrificium vetustissimae latinae li-

turgiae demonstrant. Sacramentarium Gelasianum in vigilia Theophaniae haec habet : *Tribue quaesumus Domine , ut eum praesentibus immolemus sacrificiis , quem venturae solemnitatis pia munera praeloquuntur* : non his dissimilia legas in Sacramentariis Leoniano , Gregoriano , in missali Gothico edito per Thomasium , et in antiquissimo Francorum (*). Quantum ad Graecos attinet , in S. Joannis Chrysostomi liturgia sacerdos Christum orans inquit : *Tu enim es qui offers et offerris , assumis , et distribueris* , atque de incruento non minus sacrificio ibi fit mentio. Quod si ad Orientales animum convertamus , in liturgia Coptica S. Basilii haec occurrunt : *Filii tui dispensationem nobis exhibuisti , et sacrum ritum istius sacrificii incruenti , nec enim illud est sanguis legalis , ac justitiae corporeae , sed agnus est spiritalis , gladiusque rationalis , et incorporeus in hoc sacrificio , quod tibi offerimus* (**). Verum Ecclesiae graecae fidem manifestat synodus Alexandrina Cyrillo praeside in epistola ad Nestorium lecta et approbata in synodo III. oecumenica (Tom. III. Concil. Labbaei curante Coleti p. 951.). *Unigeniti Filii tui* (ajunt Patres) *hoc est Jesu Christi mortem et ex mortuis resurrectionem annuntiantes , ejusdem in coelum assumtionem confitentes , incruentum in Ecclesia nos sacrificium celebrare , atque ad mysticas benedictiones accedere , et sanctificari utpote participes sacrae carnis et pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Salvatoris effectos*. Catholicum hoc dogma ab Ecclesiae Patribus traditum fuisse nec inficias ivit Lutherus , qui perfricta fronte se (Lib. *de abrog. Missa* , *et de Captiv. Babyl.*) ab eorum auctoritate discedere affirmavit (***).

(*) Vide hac de re celeb. Muratorium *dissert. de rebus Liturgicis* Cap. XVI.

(**) In aliis quoque Orientalium liturgiis , de quibus Renaudotius in *Liturgiarum Orientalium collectione* , sacrificii incruenti in Eucharistia sermo occurrit , nec recentiores Graecos hac in parte ab antiquorum doctrina deflexisse pluribus , authenticisque monumentis ostenditur in celebri *perpetuitatis fidei* opere tom. III. lib. 8.

(***) Jo. Ernestus Grabe scriptor acatholicus *annot. ad* Lib. IV. *Irenaei adversus haereses* cap. 32. nunc 17. scribit : *Certum est enim Irenaeum , ac omnes quorum scripta*

§. CXLIII.

Heterodoxi plures clamare non desinunt, admisso Eucharistiae sacrificio, Salvatoris morti, per quam aeterno Patri pro humani generis salute se hostiam obtulit, derogatum iri. At perperam: Enimvero sicuti passioni Christi injuriam non irrogant instituta ab ipso Sacramenta, debitumque, quod nobis inest, fidei, orationis, caritatis, bonorum operum, ita nec Eucharisticum sacrificium, quod in sui memoriam renovare Christus jussit (§. CXL.), revocatque ad mentem crucis sacrificium, ejusdemque uberrimum nobis fructum applicat. Praeterea, quum in Eucharistia idem praesens sit corpus, sanguis idem, qui in crucis ara salutem nobis peperit, idem sit sacerdos, qui tunc cruento modo, nunc incruento in Eucharistia per suos ministros se offert, eadem victima, idem mediator, idem redemtor, hallucinari dubium non est, quotquot Eucharisticum sacrificium cruenti virtutem aut eliminare aut imminuere contendunt. **Nec derogat crucis sacrificio.**

Scholion. Buddeus *Instit. Theol.* dogm. lib. V. c. I. p. 1142. affirmat, nec nono saeculo, nec decimo aut sequentibus Missam sacrificium proprie di-

---

habemus Patres Apostolis sive coaevos, sive proxime succedentes S. Eucharistiam pro novae legis sacrificio agnovisse; atque hanc non privatam particularis Ecclesiae vel Doctoris, sed publicam universalis Ecclesiae doctrinam, atque praxim fuisse, quam illa ab Apostolis, Apostoli ab ipso Christo edocti acceperunt, diserte hoc et sequenti capite 34. docet Irenaeus; atque ante ipsum Justinus Martyr in apologia I. ad Antoninum, clarius vero et prolixius in dialogo cum Tryphone, cujus ut Ignatii, Tertulliani, Cypriani, aliorumque verba tam a Pontificiis, quam a doctioribus Protestantibus crebro allegata hic describere non est necesse. Addit vero, quod postquam multi pii doctique e parte Protestantium viri hunc Lutheri et Calvini errorem, ac veram Apostolicae Ecclesiae doctrinam agnoverunt, *hujus quoque sanctissimas formulas liturgicas, quibus dictum sacrificium Deo offertur, ab illis male e suis coetibus proscriptas in usum revocent, et hunc summum divinae Majestati honorem debitum reddant.* Ingenua sane confessio, et in viro heterodoxo maxime laudanda.

ctum appellatam fuisse: immo Petrum Lombardum, qui saec. 12. floruit, diserte docuisse Missam improprie tantum sacrificium dici *lib.* 4. *sent.* dist. 22.; atque S. Thomam in *summa* p. 3, q. 83. art. I. ita disputare, ut appareat Missam pro sacrificio proprie dicto non habuisse, tum inter ipsos Patres Tridentinos hac de re agitata fuisse certamina, ut legere est apud Petrum Suave *hist. Conc. Trid.* lib. 6. Verum immane quantum a veritate aberrat. Nam Eucharistiam verum esse sacrificium omnium nationum fides docet (§. praec.). Petrus autem Lombardus inquirens, an, quod sacerdos agit, dicendum sit sacrificium, et immolatio, sacrificii nomen pro ipsa morte et occisione accipit; unde hoc sensu merito dicit Christum semel immolatum fuisse, nunc autem id fieri repraesentatione; quae jam responderat Chemnitio similia objicienti Bellarminus lib. I. *de Missa* cap. XV. S. Thomas vero, cum sibi nonnulla objecisset, quibus ad elevandum Missae sacrificium etiamnum abutuntur Heterodoxi, inquit: *Sed contra quod Augustinus in lib. sent. Prosperi, ait, semel oblatus est in semetipso Christus, et tamen quotidie immolatur in Sacramento; et in Resp. ad I. Una est hostia, sicut dicit Ambrosius, quam scilicet Christus obtulit, et nos offerimus... hoc vero sacrificium exemplum est illius.* Suavem vero ex authenticis monumentis confutavit Eminent. Pallavicinus *hist. concil. Trid.* lib. XVIII. c. 1. quem consulas.

§. CXLIV.

Est propitiatorium et impetratorium.

Quod descripsimus sacrificium, si consideres, quatenus ad agendas pro acceptis beneficiis gratias Deo offertur, Eucharisticum peculiari modo nuncupatur; si vero ad manifestandum, quem Deo debemus, summum cultum, atque in ejus supremi dominii argumentum exhibeas, Latreuticum dicitur. Verum, esto refragentur Acatholici, illud ipsum ad Deum nobis reddendum propitium, atque ad peccatorum, debitarumque ipsis poenarum remissionem obtinendam jure meritoque offerimus. Quandoquidem ipsamet Christi sacrificium hoc instituentis verba id demonstrant: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hic est sanguis meus, qui pro vobis et pro*

multis effunditur in remissionem peccatorum (§. CXL.), confirmatque perpetua Ecclesiae traditio. Nam in antiquissimis latinae Ecclesiae sacramentariis libris Leoniano, Gelasiano, Gregoriano Eucharistia *hostia placationis* vocatur, precesque sacerdos fundit, ut corpus et sanguis Christi sit *peccatorum abolitio et venia*. In Liturgia S. Jo. Chrysostomi invocationem legimus Sancti Spiritus ad immutandum panem et vinum, *ut fiant recipientibus ad remissionem peccatorum* (*). Nobilissimos Ecclesiae Doctores ejusdem mentis fuisse ex Origene patet (*Hom.* XIII. in *Levit.*), Chrysostomo (*Lib. VI. de sacerdotio*), Ambrosio (Lib.I. *de officiis* cap. XLVIII.), Cyrillo Hierosolymitano (Catech. V.), Hieronymo (*Comment. in Epist. I. ad Titum.*), Augustino (Lib. XX. *de civ. Dei* cap. XXV.). Ipsa non minus sana ratio id suadet: quid enim opportunum magis esse potest ad Deum placandum nobis, propitiumque reddendum, quam eidem offerre corpus sanguinemque unigeniti Filii sui, cujus etiam virtute hauserunt, quidquid habebant meriti, veteris legis sacrificia? Quo etiam fit, ut sacrificium hoc debeat esse impetratorium; atque perennis veluti fons sit, unde gratiarum haurimus beneficia. Nam quidquid benignitate sua elargitur Deus, id per Christi Domini merita nobis concedit, atque cum ipsum mediatorem nostrum Deo Patri in Eucharistia offeramus, dubium inesse potest nullum, quin Deus copiosissimas gratias unigeniti Filii sui intuitu nobis elargiatur.

Scholion. Ad ea, quae diximus illustranda observes velim, etsi Eucharisticum sacrificium peccata eorumque poenas remittat, id tamen aliter ac in Sacramentis contingere, quae instrumenta proxima sunt et immediata gratiam recipiendi; quum in hoc sacrificio id tantum, ut ajunt, remote contingat. Nam PP. Tridentini *sess.* XXII. cap. II. docent: *per hoc sacrificium vere propitiatorium fieri, ut si cum vero corde, et recta fide, cum metu et reve-*

(*) Non dissimilia his occurrunt in Liturgiis Orientalibus, de quibus Renaudotius in earumdem collectione, et Muratori *de rebus lit. cap. XVII.*

rentia contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in tempore opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum proenitentiae concedens crimina et peccata etiam ingentia dimittit. Ex quo evincitur, per modum impetrationis gratiam et donum poenitentiae nos obtinere. Hoc propterea inter crucis et Eucharistiae sacrificium adest discrimen, quod primum proprie meritorium fuit, satisfactorium, et impetratorium; alterum vero primario et per se impetratorium est, cum per istud impetremus, ut passionis Christi meritum nobis applicetur; propitiatorium autem et satisfactorium est ratione rei, quae impetratur. Postremo Eucharistiae sacrificium ratione hostiae et principalis offerentis pretii est infiniti, ratione vero effectus et applicationis, Deo ita volente et disponente, finitum est.

§. CXLV.

Quod non Sanctis, sed Deo offertur.

In sacrificiis instituendis finis princeps fuit, ut homines Conditorem suum tanquam supremum rerum omnium arbitrum Latriae cultu venerarentur. Catholicorum autem nemo ita umquam desipuit, ut cultum summum Deo soli debitum tribueret Sanctis (§. LXX.). Iis itaque sacrificium nos minime offerre, sed soli Deo apertum est. Unde Augustinus (Lib. XXII. *de civ. Dei* cap. X.) scribit: *Deo quippe, non ipsis* (Martyribus) *sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum.* Eadem est PP. Tridentinorum (Sess. XXII. cap. III.) doctrina: *Quamvis*, ajunt, *in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consuevit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit: unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium Petre vel Paule; sed Deo.* Et sane; si vetustas omnes latinae et graecae Ecclesiae liturgias evolvas, Sanctorum memoriam quidem haberi, ut pro nobis intercedant, nullibi vero sacrificium ipsis oblatum fuisse perspicies. Quamobrem sacrificium soli Deo fit in Sanctorum honorem, ut eorum celebremus triumphos, et ad eorum virtutes imitandas excitemur, ut Ecclesiae coelesti, cum qua militans Ecclesia communionem habet, uniamur;

atque ex eorum intercessione per merita Christi, qui eos coronavit, gratias a Deo recipiamus. Consuetudinem hanc ad sanctum sacrificium Sanctos commemorandi vetustissimam esse palam fit ex Justino (Apol. 2.), Cypriano (Epist. 34.), Cyrillo Hierosolymitano (*Catech. Mystag.*), Chrysostomo (*Hom.* 21. in *Acta*), Augustino (Lib. XX. *contra Faustum* cap. XVI.) aliisque plurimis Ecclesiae Patribus.

Scholion. Chemnitius *exam. conc. Trid.* p. II. de *Missa Pontificia* cap. III. scribit, dixisse Christum: *Hoc facite non in Sanctorum, sed in mei commemorationem*: tum coenae Dominicae profanationem esse, quod Catholici ajunt: *Ut ipsorum meritis, et precibus divinae protectionis muniamur auxilio.* His reponimus, quod commemoratio in sacrificio duplex est, una necessaria, altera tantum utilis: passionis et mortis Christi memoria ad ipsius sacrificii naturam pertinet, nec sine ea sacrificium esse potest; nam quum speciem unam ab altera sejunctam consecramus, Christi sanguinem a corpore separatum fuisse noscimus; atque necessario mortis Christi renovamus memoriam: at, quam facimus Sanctorum commemorationem, de Eucharistiae institutione non est; illam utilem esse perspicimus ad eorum celebrandas, ut imitemur, virtutes, ad Christum, a quo omne ipsorum meritum est, glorificandum. Quantum ad alteram: si Sanctorum meritis ita inniteremur, ut Christi passionem nobis haud sufficere judicaremus, impia profecto esset assertio nostra: verum procul a nobis abest similis cogitatio, qui Sanctorum merita cuncta ex Christi passione et gratia descendere compertum habemus; quare exoramus eos, ut simul nobiscum deprecentur, atque si eo, quo debemus, fervore, devotione, affectu ad tantum sacrificium non accessimus, per eorumdem, quae a Christo sunt, merita, et per eorum preces, quas per Christi merita faciunt, indulgere nobis Deus, atque suae protectionis auxilio nos communire dignetur.

§. CXLVI.

Pro quibus offerendum.

Eucharistiae sacrificium pro fidelibus omnibus offerendum esse in dubium vertit Catholicorum nemo: atque hac de causa sacerdos in Missae Canone offert, *pro Ecclesia Sancta Catholica, omnibus orthodoxae et Apostolicae fidei cultoribus.* Videtur non minus offerri posse pro infidelibus, haereticis, schismaticis, excommunicatis: eo quod hoc sacrificium passionem, mortemque Christi commemorat, eundemque exhibet praesentem Christum Dominum, qui pro omnibus mortuus est (§. LVIII.): quapropter ajebat Paulus ad Timotheum (Epist. I. cap. II. 1. et seq.): *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et pro omnibus, qui in sublimitate sunt*: quorum pars maxima in infidelitatis tenebris adhuc sepulta jacebat. Nihilominus Ecclesiae consuetudo viget, pro istis nominatum sacrificium minime offerre, quemadmodum evincitur *cap. a nobis de sententia excommunicationis.* Quid vero de iis statuendum, qui excesserunt e vita? Certum est pro damnatis, quorum status in poenis futurus est perpetuus, offerre haud licitum esse. At pro fidelibus in Domino defunctis, ac nondum plane purgatis, hoc sacrificium offerendum est; *Sancta enim, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (II. Machab. cap. XII.). Liturgiae omnes etiam pervetustae, latinae, graecae, et orientalis Ecclesiae preces habent in sacrificio pro defunctorum solatio, et requie; qui mos adeo antiquus, et universalis, cujus non possis initium assignare, traditionem Apostolicam aperte demonstrat (*). Patrum auctoritas id non minus ostendit. Tertullianus (*Lib. de corona militis* c. X.) ait: *oblationes pro defunctis annua die facimus*; ejusdem mentis est Cyprianus (Ep. LXVI.); tum Epiphanius, qui inter haere-

(*) Regula aurea est Augustini contra Donatistas lib. IV. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

ses ab Aerio disseminatas connumerat, quod preces, eleemosynas, et sanctum sacrificium defunctis inutilia esse dixerit (Haeres. LXXV.). Accedunt Ambrosius (*In oratione funebri de morte Satyri fratris sui*) Jo. Chrysostomus (*Hom. III. in Epist. ad Philipp.*), Cyrillus Hierosolymitanus (*Cath. V. Mystagogica*), Augustinus, qui defuncta Matre sua Monica oblatum pro ea fuisse *sacrificium pretii nostri* (Lib. IX. *Conf.* cap. 12. n. 32.) nos certos reddit.

Scholion. Quamquam in Parasceves die tantum Ecclesia preces publicas pro infidelibus, haereticis, schismaticis facere soleat; ejusdem nihilominus spiritus est pro ipsis secreto saltem exorare Deum, ut conversionis gratiam iis elargiri dignetur. Haec Ecclesiae vota in oratione Dominica implicite saltem includuntur: nam quum fideles orant: *Sanctificetur nomen tuum*, postulant, ut infideles ad Ecclesiae sinum accedant, haereses omnes, omnia schismata finem habeant, redeantque cuncti ad unitatem. Harum precum principium est caritas, amor nempe Dei, et proximi. Quandoquidem diligendo Deum optant, ut omnes eum honorent, et fideliter ipsi serviant; atque amando proximum, quod pro se ipsis desiderant, aliis etiam cupiunt. Confer *Instructiones generales* par. III. sect. II. c. IV. §. 2.

§. CXLVII.

Privatae Missae sunt licitae.

Quamquam, si proprie loqui velimus, Missa nulla vocari queat privata, eo quod minister sacer passionem, Dominique mortem commemorans pro peracta generis humani redemtione Deo gratias agit; et non suo tantum, sed totius Ecclesiae nomine celebrat, unde publica exoriuntur beneficia; nihilominus privatas communi usu eas nuncupare solemus, quae vel in privatis sacellis, aut in eodem templo una eademque die absque cantu, et solemnitate celebrantur; illae tandem, in quibus de oblato sacrificio sacerdos solus participat. Jam vero in privatis locis, et absque solemnitate Missas celebrari licite posse, vetustas Ecclesiastica nos condocet. Sufficiat Tertullianum consulere (Lib. *de fuga in persequutio-*

ne), Cyprianum (Epist. V.), Sozomenum (Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 6.), Gregorium Nazianzenum (*In oratione funebri Patris sui*), Augustinum (Lib. XXII. *de Civ. Dei* cap. 8.), Paulinum Diaconum (*In vita Ambrosii* n. 10.), Concilium Agathense (Can. XXI.), Gregorium Magnum (Hom. XXXVII. *in Evangelia*) (*). Litem tamen nobis majorem Acatholici, quantum ad eas Missas intentant, quibus fidelis populus haud communicat. Attamen nec praeceptum Divinum ullum existit, nulla quoque Ecclesiastica lex urget, ut nonnisi populo communicante Eucharisticum sacrificium offeratur: immo authenticis pluribus monumentis id antiquitus legitimum habitum fuisse ostenditur. Nam S. Jo. Chrysostomus (Hom. XVII. *in Ep. ad Hebraeos*) ait: *Multi hujus sacrificii sunt participes semel toto anno, alii bis, alii saepe.* Ex quo non obscure colligitur populum de sacris mysteriis non semper participasse. S. Ambrosius (Serm. XXXIV.) populo, ut saltem Dominica die offerat, et communicet, gravi oratione suadet; at una monet, ut qui non est impeditus, quotidiano sacrificio assistat. Concilium Agathense initio VI. saeculi celebratum Eucharistiam sumere jubet in Nativitate Domini, Paschate, et Pentecoste. Gregorius Magnus (Loco jam laudato) scribit, Cassium Narniensem Episcopum celebrasse semper, sive adstarent communicantes, vel non; plura alia Cl. Mabillonius (Praef. *in saeculum II. Benedictinum*, et *part.* I. saeculi III. Vide Cassandri consultationem, Allatium de consens. lib. VIII. cap. 15.), hujus praxeos exempla dabit.

Scholion. Missa latinum nomen esse arbitror a mittendo, vel dimittendo: hinc vocata fuit Catechumenorum Missa, qua finitis ante sacram oblationem lectionibus precibusque Catechumeni dimittebantur; communis vero illa erat, qua peracto sacrificio dimittebantur fideles. Vocem hanc vetustam esse, atque ad finem III. saeculi jam in usum assumptam,

---

(*) Confer Emin. Bona loco laudato c. XIV. Bocquillot traité hist. de la liturgie lib. II. c. 7.

fatetur Buddeus lib. V. c. 1. §. XI. Schol. Confer Cardinalem Bona *rerum liturg.* lib. I. c. 1. Ducangium in *Glossario*, Benedictum XIV. *de sacrificio Missae* sect. I. n. 66. Claudium de Vert *explication simple litterale, et historique des cerémonies de l' Eglise* tom. I. c. 1. Schol. Quamobrem opus non est, ut derivationem hebraicam quaeramus a voce מסת missat, quae oblationem sponte factam designat Deut. XVI. 10. quemadmodum visum fuit Reuchlino lib. II. *Hebr. erudit.* Baronio ad an. 34. Munstero in *diction. Hebraico*, aliisque. Nam apud Graecos Syrosque, qui nonnulla hebraica vocabula ab Apostolis in usum assumpta retinuerunt, altum plane hac de voce silentium. Genebrardus a graeca voce μύησις, *doctrina*, *initiatio*, etymologiam vocis *Missae* repetit: at levis haec conjectura doctis viris non probatur, quum Eucharisticum sacrificium pro doctrina, et initiatione acceptum haud fuisse appareat. Eruditissimus Albaspinaeus lib. II. de *Sacram. Euchar.* Missae etymon in populis septentrionalibus quaerit, qui festum diem, et populi congregationem *Mess* vocare consueverant; verum, cum ii Evangelii lucem receperunt, nomen Missae jam diu notum erat, et acceptum in Ecclesia.

Missas privatas institutioni Eucharistiae adversari Acatholici scribunt: eo quod Christus Dominus non solum ipse comedit, sed adstantibus reliquis distribuit ajens: *Hoc facite in meam commemorationem*: tum quod Paulus I. ad Corint. cap. XI. 20. inquit: *Convenientibus vobis in unum jam non est Dominicam coenam manducare: unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum.* Ubi coenam Dominicam non esse inquit, quando quis solus de ea participat. Haec tamen facile solvuntur: enimvero in Eucharistiae institutione quaedam sunt omnino necessaria, atque a Christo Domino praecepta, ut benedicere, offerre, consecrare, ac de sacrificio sacerdotem ipsum participare; caetera, quemadmodum est locum tempusque designare, privatc, aut publice offerre, unum vel plures quolibet tempore communicare, Ecclesiae suae arbitrio decernenda reliquit. Et sane: si quae Christus gessit, cuncta agere mandatum esset, oporteret, pedum ablutionem praecedere sumtionem Eucharistiae, de

nocte, coenae tempore, duodecim praesentibus et recumbentibus celebrare: immo nec Eucharistia mulieribus distribuenda esset, cum institutionis tempore praesens esset nulla. Paulus non de Eucharistiae communione, sed de coena loquitur, quae ad Dominicae imitationem a fidelibus in Ecclesia fieri consueverat: Nam inquit: *Unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum, et alius quidem esurit; alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum?* Quamobrem vult Apostolus, ut ditiores pauperibus subvenirent, quoniam in coena legali Christus cum omnibus, qui cum ipso erant, comederat. Non diffiteor tamen v. 23. de Eucharistia sermonem instituere: verum de una re ad aliam transit, et quidem apposite: nam peracta liturgia Eucharistia distribuebatur; tum in Ecclesia instituebatur convivium, ut Chrysostomus scribit.

§. CXLVIII.

Missae solitariae.

Quantum ad Missas solitarias attinet, si eas intelligas, quae nullo praesente, et ministrante celebrantur, earumdem initium circa saeculum IX. assignandum videtur, atque eadem aetate reprobatae fuerunt in conciliis Moguntino, Parisiensi, Nannetensi: nonnemo tamen fuit, qui easdem approbavit, quemadmodum B. Petrus Damiani (*). Secundum hodiernam Ecclesiae consuetudinem saltem nulla necessitate urgente celebrari non debent (**).

§. CXLIX.

Usus linguae latinae in Missa aequus est.

Quum Ecclesia ex Christi institutione una sit (§. CXXVI.), atque per varias nationes genio et lingua discrepantes propagari debuerit (§. LXXXII. XCI.), media cuncta, quae ad hanc unitatem in pluribus facilius conservandam opportuna sunt, ea etiam licita, immo et utilia esse dubio caret. Por-

(*) In opusculo, cui titulum fecit, *Dominus vobiscum*.

(**) Videantur de his solitariis Missis Odo Cameracensis *in expositione canonis*, Stephanus Eduensis *lib. de Sacramento Altaris* cap. 13. et praesertim Card. Bona lib. I. cap. 13. *rer. liturg.*

ro ex usu latinae linguae in Missa fit, ut per vastissimas occidentis regiones haec debeat necessario vigere; cumque majus semper habeas societatis vinculum cum iis, quorum sensa penetres, ac cum illis, quibus loqui, et intelligere non valeas, apparet ex hac communi iis, qui Christianam plebem regunt, lingua unitatem magis commode conservari; nec non eos ad controversias, quae enascuntur, dirimendas facilius posse congregari, et propria lumina ad Christiani populi aedificationem sibi communicare. Sed haec alia exsurgit utilitas, quod ii nempe, qui aliorum non callent linguam, si ad eorum provincias peregrinentur, sacris mysteriis interesse queant, et de iis participare. Accedit his, quod si in vernacula lingua liturgia ubique celebraretur, decurrente aetate ignoraretur penitus latina lingua, nec amplius intelligerentur Patrum scripta, et plurium Conciliorum statuta, quae conservandae Religioni sunt necessaria. Quid? Quod in immmensum ferme augendi essent rituales libri, tot vigentibus diversis linguis, variisque unius ejusdemque dialectis? immo cum populares linguae in eodem statu haud permaneant, et aliquando in deterius, aliquando in melius vergant, saepe liturgiam ipsam immutare oporteret. In tantis autem linguarum conversionibus, et immutationibus facile esset in ipso sacro textu, in formis ipsis Sacramentorum variationem inducere. At cur plura proponam? cum vetustarum Ecclesiarum praxis haud necessarium esse in lingua vulgari celebrare liturgiam, clare demonstret.

Scholion. Doctissimus Renaudotius dissert. I. *de liturgiarum orientalium origine, et auctoritate* cap. 6. graecae, et orientalis Ecclesiae consuetudine usum Ecclesiae Romanae confirmat. Nam, inquit, Syri-orthodoxi, Jacobitae, et Nestoriani syriaca lingua, quae a longo tempore vulgaris esse desiit, in liturgiis suis utuntur. Coptitae Alexandrini linguam Ægyptiacam adhibent ignotam vulgo. Æthyopes Amharica lingua loquuntur, atque in Liturgia veterem Aethyopicam, studio ab ipsis comparandam, assumunt. Nec Armeni, subdit, vulgo peritiores sunt antiqui sui sermonis, quo officia scripta sunt. Im-

mo graecos idiotas, qui noverit, sciet eos litteralis linguae, quae in liturgiis et psalmodiis usurpatur, plane imperitos esse. Ex quibus Jacobus Usserius iique Acatholici, qui ad consuetudinem harum Ecclesiarum confugiunt, penitus confutantur.

Ex usu latinae linguae in Missa, ajunt Heterodoxi, fit, ut populus spiritalem fructum consequi nullum queat, nec respondere ad preces, et gratiarum actiones *Amen*, quemadmodum mandat Apostolus I. ad Corinth. XIV. 13. seq. Verum ignorantne adversarii nostri, Tridentinos Patres mandasse sess. XXII. c. 8., ut qui curam animarum gerunt, quae ad sacram liturgiam et hujus sacrificii mysterium attinent, fideli populo explanent? Scit itaque Catholicorum quilibet, Missam passionem mortemque Domini commemorare, scit in Eucharistia contineri corpus, et sanguinem Domini; atque a pastoribus edoctus, caetera, quae necessaria sunt, ut fructum uberrimum percipiat, callet: Apostolus Paulus de iis, qui linguarum, et prophetiae donis insigniti erant, sermonem habet, quos hortatur, ne plures simul, et semel loquantur, sed hisce donis decore, et honeste utantur tum ad populi instructionem, tum ad aedificationem: cumque ii preces pro lubitu funderent, oportebat, ut populus intelligeret, si *Amen* respondere debebat. At in Eucharistico sacrificio non propriis, sed Ecclesiae orationibus sacerdos utitur; unde populus ad Deum mentem elevare potest, et absque erroris periculo vel ore, vel corde *Amen* respondere.

Finis Tomi Secundi.

INDEX

CAPITUM QUÆ TOMUS II. COMPLECTITUR.

PARS QUARTA.

PARS QUINTA.

PARS SEXTA.

FINIS.